




Ex dono Josephi Vulpij è Soc. Jesu Fratris Auctoris.


Turpis amor surdis
auribus esse solet
PROPERT.




C. VALERIUS
CATULLUS,
ALBIUS
TIBULLUS ET
SEX. AURELIUS
PROPERTIUS



Ex recensione

JO: ANTONII VULPII BERGOMENSIS
J. U. D.

Cum ejusdem Observationibus, atque Indice locupletissimo.



Quæ accesserint præterea, indicat Epistola ad Lectorem.








PATAVII, M.DCCX.
Apud Josephum Corona.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Viro Illustrissimo & Excellentissimo

HIERONYMO JUSTINIANO

ASCANII FILIO, PATRITIO VENETO, D. MARCI PROCURATORI.



Jo: Antonius Vulpius F.



Uod maximè optaveram, HIERONYME JUSTINIANE, quodque ab immortali Deo fre-



† 2 quen-

quentibus votis precatus fueram, ut videlicet ſtudiorum meorum, quibus excolendis totam fermè adoleſcentiam conſumpſi, patronum aliquem, virtute non minùs, quàm genere, nobilem reperirem; id ſanè in te uno ex animi ſententia mihi videor conſecutus. Quamvis enim, pro ampliſſima tua dignitate, multis, iiſque graviſſimis, negotiis impeditus detineare, ſi quid tamen à mole rerum gerenda ſupereſt otii, doctorum virorum familiaritates ultro appetere ſoles, & ſubciſiva tempora, ſi quæ incurrunt, abſque fructu liberalium diſciplinarum perire non pateris. Accedit huic erga litteras & litteratos benevolentiæ ſingularis quædam humanitas, atque incredibilis morum elegantia, quibus adeò inter paucos excellis, ut quicumque te primùm aſpexerit, idem

con-

continuò admirari & diligere incipiat. Rarum hoc, & prodigii penè ſimile in tanta fortuna, ſed perpetuum in JUSTINIANA gente; quæ cum clariſſima VENETÆ REIPUBLICÆ munera domi foriſque, & bello & pace ſemper adminiſtraverit: ſummoſque honores, veluti hæreditatis jure ſibi debitos, quaſique domeſticos, obtinuerit: moderatione tamen, æquitate, clementia, facilitate, divitiarum contemptu, amore optimarum artium, præcipuè verò in ſuperos pietate glorioſius nihil aut præſtabilius judicavit. At de majorum tuorum notiſſimis laudibus quid attinet plura dicere? nulla eſt regio tam barbara, tam invia, tam à Solis curſu remota, in quam fama ipſarum jamdiù non penetraverit: nemini mortalium, qui modò ſe vivere ſentiat, fa-

cta vestra obscura esse possunt. E tot autem egregiis luminibus, quæ pluribus retro sæculis antiquissimam familiam illustraverunt, nefas duco, LAURENTIUM JUSTINIANUM, totius orbis confessione sanctissimum virum, silentio præterire; quem Adriacæ urbis Pontificem superior aspexit ætas, nunc autem Divorum concilio adscriptum ob ingentia merita, aris templisque universa Christiana Respublica veneratur. Sed, ut vetera omittam, recens avi tui, D. MARCI PROCURATORIS, patruique memoria bonorum dolorem incendere, ac renovare videtur: illa enim subit animum cogitatio, quos amiserint cives, quàm communi saluti prospicientes, quàm gubernandi peritos, quàm solidis verisque virtutibus ornatos. ASCANIUM

ve-

verò parentem tuum, cujus aspectu jucundissimo frueris, cujus vocem audis, cujus vestigia persequeris, nulla umquam ex animis nostris delebit oblivio: tanta enim æquitatis ac prudentiæ laude Patavinam Præturam administravit, ut opinionem honestissimam, quæ de virtute ejus erat, non modò sustinuerit, verùm etiam, quod vix uni aut alteri contingere solet, longè superaverit. Cum igitur & splendore nobilitatis, & acumine ingenii, & naturæ suavitate reliquis antecedas, HIERONYME JUSTINIANE, idcircò te potissimùm elegi, cui opellam hanc meam, breves nimirùm OBSERVATIONES in CATULLUM, TIBULLUM, & PROPERTIUM, Romanorum poetarum & mea & plurimorum sententia castigatissimos, dedicarem

rem

rem: quam ſi læta fronte, ut ſpero, acceperis, præmium uberrimum ſuſcepti laboris ex approbatione tua ſum percepturus. Non aſsis faciam, te defenſore, ac vindice, inanes malevolorum hominum rumuſculos; illud Venuſini poetæ ſubindè uſurpans:

—— ſatis eſt EQUITEM mihi plaudere, ut audax
Contemptis aliis exploſa Arbuſcula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quòd
Vellicet abſentem Demetrius, aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?

Vale vir Ampliſsime, diuque patriæ utilitati, ac litterarum commodis vive. Patavii, Anno à Chriſti natali M.DCC X. Menſe Septembri.

JO.

JO: ANTONIUS VULPIUS
BERGOMENSIS.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

CUm aliquando, Lector amice, studia humanitatis, quæ culpa temporum penè interciderant, divino beneficio rursum efflorescere cœpissent, id statim doctissimis viris provisum est, ne antiquitatis monumenta diutius in obscuro laterent, utque à situ & squallore per ipsos vindicata, olim amissæ dignitati restituerentur. Pulchrum sanè consilium, & cui posteritas universa gratias immortales meritò habeat: nihil enim veterum scriptis aut jucundius, aut fructuosius excogitari potest, garriant quantum libet novitatis amatores. Optásne magnam vim exemplorum colligere, quorum obtutu Rempublicam tuam administres? præsto sunt Historici utriusque linguæ gravissimi, Thucydides, Xenophon, Polybius, Plutarchus, Sallustius, Livius, Corn. Tacitus; Philosophorum sectas cognoscere mavis, & sapientiæ sacris initiari? en tibi Platonem, Aristotelem, Senecam, Epictetum; An Eloquentiæ gloria tactus, idoneos dicendi magistros ad imitandum requiris? nullum profectò acriorem Demosthene, dulciorem Isocrate, uberiorem Tullio nostra sæcula tulerunt; Vel denique animum seriis cogitationibus fatigatum, illustrium poetarum tractatione reficere postulas? non facilè invenias, quos opponas Home-

me-

mero, Sophocli, Pindaro, Terentio, Maroni, Horatio, ut de reliquis taceam, quos persequi longum esset. At quamquàm Græcorum hominum volumina, velut instructissimus rerum thesaurus, & [1] καὶ πάντα τέλειον κέρας ἀμαλθείας, manibus eruditorum assiduè teri consueverint, Romano tamen sermoni primi semper honores habiti: decebat quippe victoris gentium populi memoriam colere, linguam ejus præ cæteris maximè celebrando, quæ cadentis ruinam Imperii, per tot barbarorum sævientium tempestates, fato singulari sola evasisset. In hanc igitur versæ litteratorum curæ, factumque tandem summis conatibus, ut detersa rubigine, quæ libros frequentia dignissimos clanculùm occupaverat, optimum quemque Latinitatis auctorem, si non omnino emendatum, at certè integritati proximum legeremus. Hæc porrò tanta diligentia, licet communi bonorum suffragio approbata, in quorumdam tamen reprehensiones incidit; eorum puto, qui duriorem Latinè loquendi sibi legem imponi molestè ferrent, cognitionem verò antiquitatis rem otiosam, sterilem, atque ineptam existimarent. sunt enim nonnulli, ut verbis utar [2] Ciceronis, quibus nihil aliud laudare propositum est, præter id, quod se assequi posse confidunt. Non mirum ita insanire minutam istiusmodi plebeculam, siquidem pastillos numquam olebit caprarius, neque ad fossorem pertinet Roscii gestus, aut Bathylli saltatio. Ego contra totum hoc litterarum genus adeò severioribus disciplinis conjungi oportere censeo, ut mihi pessimè fecisse videantur, qui primùm scientiam ab eloquentia, mutuæ necessitudinis fœdere violato, separare tentaverint.

1 *Numeris omnibus absolutum copiæ cornu.*
2 *Lib. 2. Tuscul. quæst.*

rint. Poetis autem sedulò evolvendis quantum operæ, ac laboris insumpserim, testes fuerint leporum omnium parentes, purissimique Latinæ linguæ scriptores, CATULLUS, TIBULLUS, & PROPERTIUS, quos novis à me observationibus auctos in vulgus edere statui, hortante potissimùm adolescentiâ, cui ætati faveri magis, quàm invideri, manifestò compertum est. Videbam equidem hoc ipso munere clarissimos viros jam antea præclarè functos, inter quos eminent dubio procul M. ANTONIUS MURETUS, ACHILLES STATIUS, JOSEPHUS SCALIGER, JOANNES PASSERATIUS, duo JANI DOUZÆ, P. & F., ISAACUS VOSSIUS, JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS: [a] cum tamen aliqua subinde occurrerent silentio ab illis damnata, pauca quædam, ut ab hominibus, perperàm explicata, nonnulla summis tantùm labris (quod ajunt) delibata; plenum idcircò bonæ frugis putavi futurum, si cervicem oneri, quamquam fortasse imparem, supposuissem. Nunc ordo poscit, benigne Lector, ut priusquàm calumniatoribus respondeo (qui mihi diem, credo, dicturi sunt eo nomine, quòd scilicet amatorios, & parùm sobrii argumenti poetas in scenam trahere non dubitaverim) de singulis in hoc opusculo præstitis breviter differam. Principiò trium auctorum contextum quàm accuratissimè descripsi, eam ubique legendi atque interpungendi secutus rationem, quæ mihi elegantior, & veritati propior visa est. Conjecturas autem solo temeritatis præsidio munitas valere jussi, longéque exsulare: illas non invitus admittens, quas & multa veterum testimonia, & calamo exarati Codices firmo con-

[a] *His addendus* Janus Broukhusius, *qui, ut pridem audivi, politissimos in TIBULLUM, & PROPERTIUM edidit commentarios: quos tamen (si qua fides) nondum inspexi.*

consensu juvarent. Quapropter ita Scaligeri editionem repræsentare curavi, ut interdum mihi liberum fuerit ab acerrimi Critici opinionibus dissentire, cum & ipse (pace dicam ejus fautorum) ingenio suo nimiùm obsecundaverit. Magno quidem ille poetis nostris adjumento fuit, nam & plurima loca miserrimè depravata feliciter sanavit, & perturbatas paginas incredibili sagacitate disposuit: at dum Chironio ferro licentiùs grassatur, partem integram sæpe corrupit. Fateor me libros manuscriptos non inspexisse, neque enim erat operæ pretium. satis habui, si notas eruditorum, qui à se testarentur inspectos, passim consulerem, atque in eorum fide securus acquiescerem. Cognosces itaque, nisi valdè me fallit animus, delectum adhibitum, & ex variis lectionibus, quas natio Grammaticorum cupidè consectatur, cæteri verò fastidiunt, aptissimam tantùm, præstantissimamque receptam. Præterea, cum instituissem unumquodque poemation brevibus argumentis illustrare, lemmata omnia vel discrepantia, vel obscura, vulgò circumferri solita, de medio tollere non sum veritus; quod ne quis injuria factum queratur, sciat me, doctorum sententiis, judiciisque præeuntibus, id ausum esse. Observationes deinde adjeci (sive ingentium Commentariorum [1] Ἀνάλεκτα, ἢ Παραλειπόμενα vocare mavis, nam utrumque potes) qui labor à me præcipuè susceptus est, ut difficultates & salebras, quæ tot oculos hactenùs fugerant, adeóque contumaciores inhæserant, à mundissimorum poetarum carminibus removerem. Frustra igitur, mi Lector, aut largas eruditionis opes, aut priscorum rituum centies inculcatam historiam ex libello nostro petas: cujus enim stuporis fuisset,

[1] *Reliquias, & prætermissa.*

set, aliena scrinia compilando, inanem gloriolam turpiter venari? quotus autem quisque Philologorum usque adhuc exstitit, qui de conviviis, de coronis, de funeribus, de sacrificiis, de gladiatoribus, ludisque Circensibus, de theatro, de balneis, de servis, de militia, de triumphis, postremò de magistratibus Romanorum aliquid litteris mandare neglexerit? Hæc tamen ipsa modicè attingere non puduit, sicubi ratio perspicuitatis flagitabat, ad quem scopum totis animi viribus unicè intendi. Quòd si nobilium interpretum detegendos errores aliquando sum arbitratus, id verò feci, non ut, magnis nominibus detrahendo, improbam & minimè liberalem voluptatem perciperem, vel quòd acutioris ingenii famam eo pacto me consecuturum sperarem: at simplicitate quadam potiùs, & studio veritatis. Hoc tibi liquebit planè, simul atque animadvertere cœperis, eosdem à me justis laudibus cumulatos, quotiescumque merita ipsorum postularent. In producendis auctoritatibus parcus admodùm, ac temperatus fui, ne delicatos quosdam offenderem, qui nimirùm ad longiora dormitant, & se paucis doceri volunt. Nonnumquàm, arreptâ occasione, aliorum etiam scriptorum quomodò intelligenda sint loca, veluti digito, demonstro; è diverticulo tamen in viam continuò redire festino. Proverbia vernacula, tametsi raró, inspersa reperies, quòd videlicet nodum pulchrè solverent, remque subtiliùs explicarent. Invenies quoque semel, aut bis, principum poetarum inter Etruscos, Francisci Petrarchæ, ac Torquati Tassi versiculos ornatissimos; quidni enim admiscendi fuerant? cum præsertim opportunitas pateretur, & multum honestæ delectationis allaturi viderentur. His actis, Promptuarium concinnavi, quod tibi poetas iterùm daret, sed membratim distributos, ut nullo

nullo negotio lectissimum quemque sermonis flosculum carpere posses, atque in usus tuos transferre. Eò rejeci fabulas, historias, omnia denique ad Geographiam pertinentia, licet pleraque trita & inventu facilia: noveram etenim hac in parte magis rudioribus & imperitis, quàm excultis, & Marte suo pollentibus abundè satisfaciendum esse. Idcircò personam Grammatici sæpenumerò sustinui, & ad humiliora descendi, ut nitenti quidem, verùm imbecillæ, tyronum turbæ manum porrigerem, ac subvenirem. Quibus moribus poetæ nostri fuerint, qua stirpe orti; quos amicos, quos familiares habuerint, luculenter exposui; nam Criniti, & Gyraldi videbam in eo genere diligentiam desiderari. Ne quid autem operi prorsùs deesset, Catulli τὰ μέτρα examinavi, & perpendi, finem ibi scribendi faciens. Illud jam superest, ut adversariis tempestivè occurram, quorum pudentissimæ aures jocorum petulantiam reformidant: qui profectò, si clavum civitatis tenerent, hujusmodi scripta, tamquàm teterrimas pestes, ab hominum communitate exterminarent. Catulli multa quidem obscœna: non pauca Tibulli, & Propertii subturpicula: cogor enim fateri, quod apertissimum est: at nihilo meliora suppeditant Plautus, Horatius, Petronius, Juvenalis, Martialis; leguntur tamen, nec leguntur solùm, verumetiam in amoribus & deliciis habentur. Quonam reciderent Latinæ litteræ, his fontibus clausis, atque interdictis? Num Prometheo malè precabimur ob ignem è cælo in terras delatum, cum aliquod repentè tristissimum incendium exortum fuerit? nemo sanus id faciet; plures enim ex igne utilitates, quàm detrimenta capiuntur. Eadem omninò ratio est de poetis elegantissimis, qui si tractentur incautè, vel à quibus minimè decet, sententiis mollibus nervos virtutis fran-

frangere, aut saltem debilitare possunt; non sunt abolendi, sed custodiendi: grandioribus, non puerulis committendi. Gravius autem periculum imminet infirmiori ætati ab iis libris, qui populari linguâ conscripti, & nequitiis referti, usque ad virginum calathos furtim subrepunt. Eos devoveri, & cremari oportet, in quibus plerumque, præter insignem flagitiorum doctrinam, nihil est, quod admirere. Ego, quæ meæ partes fuerunt, cavi diligenter, ne pruritum excitarem, ne simulacrum Veneris denudarem, ne Floralia coram Catonibus agerem. desinant igitur malevoli homines læsæ verecundiæ crimine laborem hunc nostrum accusare: & quandoquidem fraudi non fuit spectatæ castimoniæ viris in hac palæstra luctari, nec mihi pariter noceat, qui secutus eorum exempla, in ipsorum auctoritate defensionem positam habeo. Tibi verò, ac fidei tuæ, Lector amice, primos ingenii mei fœtus committo, quos ita velim excipias, ut mihi ad utiliora studia properanti, & majora in dies publicis commodis impertire molienti, calcar & stimulos addas. Vale.



PROLEGOMENA.

CAPUT I.

Veterum Scriptorum testimonia de C. Valerio Catullo.

Cornelius Nepos in vita T. Pomponii Attici.

L. Julium Calidium, quem post Lucretii, *Catullique* mortem, multò elegantissimum poetam nostram tulisse ætatem verè videor posse contendere.

Horatius Satyra 10. l. 1.

Nil præter Calvum, & doctus cantare *Catullum*.

Tibullus l. 3. Eleg. 6.

Sic cecinit pro te *Doctus*, Minoi, *Catullus*.

Propertius l. 2. Eleg. 17.

Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve tuâ veniâ, pace, *Catulle*, tuâ.

Idem l. eod. Eleg. 23.

Hæc quoque lascivi cantarunt scripta *Catulli*,
Lesbia queis ipsâ notior est Helenâ.

Ovidius Amorum l. 3. Eleg. 9.

Obvius huic venies ederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, *Docte Catulle*, tuo.

Idem l. eod. Eleg. 15.

Mantua Virgilio gaudet, Verona *Catullo*.

Idem Tristium l. 2. vers. 427.

Sic sua lascivo cantata est sæpe *Catullo*
Femina, cui falsum *Lesbia* nomen erat.
Nec contentus eâ multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.

Se-

Seneca Pater Controversiâ 19.

Erat enim (*Calvus*) exiguus staturâ, propter quod etiam *Catullus* in hendecasyllabis vocat illum Salicippium disertum. *v. carmen Catulli 53.*

Plinius Major Hist. Natur. praefatione.

Namque tu solebas nostras esse aliquid putare nugas, ut obiter emolliam *Catullum* conterraneum meum.

Idem l. 28. c. 1.

Hinc Theocriti apud Graecos, *Catulli* apud nos, proximéque Virgilii, incantamentorum amatoria imitatio.

Idem l. 36. c. 6.

Hic namque est Mamurra, *Catulli* Veronensis carminibus proscissus.

Idem l. eod. c. 21.

Sed & ii pumices, qui sunt in usu corporum levigandorum feminis, jam quidem & viris, atque, ut ait *Catullus*, libris.

Idem l. 37. c. 6.

Nonius Senator.... filius Strumae Nonii ejus, quem *Catullus* poeta in sella curuli visum indignè tulit.

Plinius Junior. l. 1. Epist. 16.

Facit versus, quales *Catullus*, aut Calvus, quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis inserit.

Idem l. 4. Epist. 14. loquens de hendecasyllabis:

Scimus alioqui hujus opusculi illam esse verissimam legem, quam *Catullus* expressit: *Nam castum esse decet pium poetam &c.*

Sentius Augurinus apud eumdem l. eod. Epist. 16.

Canto carmina versibus minutis,
His, olim quibus & meus *Catullus*,
Et Calvus, veteresque ————

Cornelius Tacitus l.4. Annalium, in oratione Cremutii Cordi.

Carmina Bibaculi, & *Catulli* referta contumeliis Cæsarum.

Suetonius in Julio c. 73.

Valerium Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cænæ: hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.

Quintilianus l. 1. Instit. Orat. c. 10. ubi de aspirationibus.

Erupit brevi tempore nimius usus, ut *choronæ*, *chenturiones*, *prachones* adhuc quibusdam inscriptionibus maneant; quâ de re *Catulli* nobile Epigramma est. *v. carmen* 83.

Idem l. 10. c. 1.

Jambus non sanè à Romanis celebratus est, ut proprium opus: à quibusdam interpositus, cujus acerbitas in *Catullo*, Bibaculo, Horatio.

Martialis l. 1. Epist. ad Lectorem.

Lascivam verborum licentiam, idest Epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit *Catullus*, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur.

Idem l. 1. Epig. 62.

Verona *Docti* syllabas amat *Vatis*.

Idem l. 4. Epig. 14.

Sic forsan tener ausus est *Catullus*
Magno mittere *Passerem* Maroni.

Idem l. 7. Epig. 13.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:
Amisit lusus, deliciasque suas.

Non

Non quales teneri ploravit amicâ *Catulli*
Lesbia, nequitiis *Passeris* orba sui.
Idem l.8. Epig. 72.

Lesbia dictavit, *Docte Catulle*, tibi.
Idem l. 10. Epig. 78.

Nec multos mihi præferas poetas,
Uno sed tibi sim minor *Catullo*.
Idem l. 14. Epig. 100.

Si non ignota est *Docti* tibi terra *Catulli*.
Idem l. eod. Epig. 195.

Tantùm magna suo debet Verona *Catullo*,
Quantùm parva suo Mantua Virgilio.
Agellius Noct. Attic. l. 7. c. 20.

Catullus quoque elegantissimus poetarum.
Ausonius Drepanio Pacato Latino.

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait *Poeta* quondam,
Inventoque dedit statim Nepoti.
L. Apulejus in Apologia.

Eadem igitur operâ accusent *C. Catullum*, quòd *Lesbiam* pro Clodiâ nominarit.
Sidonius Apollinaris ad Hesperium.

Memineris quòd sæpe versum complevit *Lesbia* cum *Catullo*.


Severinus Boethius l. 3. de consolat. Philosophiæ Prosâ 4.

Num vis ea est magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui non fugare, sed illustrare potiùs nequitiam solent. quo fit, ut indignemur eos sæpe nequissimis hominibus contigisse. unde *Catullus* licet *in curuli Nonium sedentem strumam* appellat.

Diomedes Grammat. l. 3. c. 6. de Jambico.

Cujus carminis præcipui scriptores apud Græcos Archilo-

lochus, Hipponax, apud Romanos Lucilius, & *Catullus*, & Horatius, & Bibaculus.



CAPUT II.

Veterum Scriptorum testimonia de Albio Tibullo.

Horatius Ode 33. l. 1.

Albi ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes *Elegos*; quòd tibi junior
Læsâ præniteat fide.

Idem Epistolâ 4. l. 1.

Albi nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassî Parmensis opuscula vincat; &c.

paulò post

Non tu corpus eras sine pectore: Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemque fruendi.

Ovidius Amorum l. 3. Eleg. 9.
ita Tibulli mortem deflet.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata Deas:
Flebilis indignos Elegeia solve capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tui vates operis, tua fama *Tibullus*
Ardet in exstructo corpus inane rogo.
Ecce puer Veneris fert eversamque pharêtram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.

Aspi-

Aſpice, demiſſis ut eat miſerabilis alis,
  Pectoraque infeſtâ tundat aperta manu.
Excipiunt lacrymas ſparſi per colla capilli,
  Oraque ſingultu concutiente ſonant.
Fratris in Æneæ ſic illum funere dicunt
  Egreſſum tectis, pulcher Iule, tuis.
Nec minùs eſt confuſa Venus moriente *Tibullo*,
  Quàm juveni rupit cum ferus inguen aper.
At ſacri vates, & Divûm cura vocamur:
  Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat,
  Omnibus obſcuras injicit illa manus.
Quid pater Iſmario, quid mater profuit Orpheo?
  Carmine quid victas obſtupuiſſe feras?
[Et Linon in ſilvis idem pater & Linon altis
  Dicitur invitâ concinuiſſe lyrâ.]
Aſpice Mæoniden, à quo, ceu fonte perenni,
  Vatum Pieriis ora rigantur aquis.
Hunc quoque ſumma dies nigro ſummerſit Averno:
  Effugiunt avidos carmina ſola rogos.
Durat opus vatum Trojani fama laboris;
  Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic *Nemeſis* longum, ſic *Delia* nomen habebit,
  Altera cura recens, altera primus amor.
Quid nunc ſacra juvant, quid nunc Ægyptia proſunt
  Siſtra? quid in vacuo ſecubuiſſe toro?
Cum rapiant mala fata bonos (ignoſcite fallo)
  Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Vive pius, moriere pius: cole ſacra, colentem
  Mors tamen à templis in cava buſta trahet.
Carminibus confide bonis, jacet ecce *Tibullus*;
  Vix manet è toto, parva quod urna capit.

Téne facer vates flammæ rapuere rogales,
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa Deorum
Urere, quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus Erycis quæ possidet arces;
Sunt quoque, qui lacrymas continuisse negent.
* Sed tamen hoc melius, quàm si *Phæacia* tellus
Ignotum vili supposuisset humo.
Hìc certè manibus fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit.
Hìc *soror* in partem miserâ cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata *comas*.
Cumque tuis sua junxerunt *Nemesisque*, *Priorque*
Oscula, nec solos destituere rogos.
Delia discedens, feliciùs, inquit, amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui *Nemesis*, quid, ait, tibi sunt mea damna dolori?
2 *Me tenuit moriens deficiente manu.*
Si tamen è nobis aliquid, nisi nomen, & umbra
Restat, in 3 *Elysia* valle *Tibullus* erit.
Obvius huic venies ederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.
His comes umbra tua est, si qua est modò corporis umbra.
Auxisti numeros, *Culte Tibulle*, pios.
Ossa quieta, precor, tutâ requiescite in urnâ,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Idem Amorum l. 3. Eleg. 15.

Donec erunt ignes, arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, *Culte Tibulle*, tui.

Idem

---

* *Tibullus Eleg. 3. l. 1. vers. 5. & seq.*
2 *Idem Eleg. 1. l. 1. v. 74.* 3 *Idem Eleg. 3. l. 1. v. 58.*

Idem Artis Amat. l. 3. verſ. 233.

Et teneri poſſis carmen legiſse Properti,
Sive aliquid Galli, ſive, *Tibulle*, tuum.

Idem Remed. Amoris verſ. 763.

Carmina quis potuit tutò legiſse *Tibulli*?

Idem Triſtium l. 2. verſ. 447.

Credere juranti *durum* putat *eſſe Tibullus*,
Hoc etiam *de ſe* quòd *neget* illa *viro*.
Fallere *cuſtodem* demùm *docuiſſe* fatetur,
Seque *ſuâ* miſerum *nunc* ait *arte premi*;
Sæpe, velut gemmam dominæ, *ſignumque probaret*
Per cauſſam meminit ſe tetigiſſe manum.
Utque refert, *digitis* ſæpe eſt, *nutuque* locutus,
Et tacitam *menſæ duxit in orbe notam*.
Et quibus è *ſuccis abeat* de corpore *livor*,
Impreſſo fieri qui ſolet ore, docet.
Denique ab *incauto* nimiùm petit ille marito,
Se quoque uti *ſervet*, *peccet ut illa* minùs.
Scit cui latretur, cum ſolus obambulat ipſe,
Cur toties clauſas *exſcreet ante fores*.
Multaque dat furti talis præcepta, docetque,
Qua nuptæ poſſint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi, legiturque *Tibullus*,
Et placet, & jam te principe notus erat.

Hæc omnia, paulò tamen diverſa leguntur apud ipſum Tibullum Elegiâ 7. l. 1.

Idem Triſtium l. 4. Eleg. 10.

Virgilium vidi tantùm, nec avara *Tibullo*
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Succeſsor fuit hic tibi Galle, Propertius illi:
Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.

Idem Triſtium l. 5. Eleg. 1.

——— ingenium come *Tibullus* ——

Da-

Domitius Marsus.

Te quoque Virgilio comitem non æqua, *Tibulle*,
Mors juvenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut *Elegis* molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Vellejus Paterculus l. 2.

Tibullusque, & Naso perfectissimi in formâ operis sui.

Papinius Statius lib. 1. Silv. carm. 1.

——— divesque *foco lucente Tibullus.*

Quintilianus Institut. Orat. l. 10. c. 1.

Elegiâ Græcos quoque provocamus, cujus mihi tersus, atque elegans maximè videtur auctor *Tibullus*.

Martialis l. 4. Epig. 6.

—— qui compositos metro *Tibulli*
In Stellæ recitat domo libellos.

Idem l. 8. Epig. 72.

Fama est arguti *Nemesis* lasciva *Tibulli*.

Idem l. 14. Epig. 72.

Ussit amatorem *Nemesis* lasciva *Tibullum*,
*. *In totâ juvit* quem *nihil esse domo*.

L. Apulejus Apologiâ.

Accusent:..... & *Tibullum*, quòd ei sit Plautia in animo, *Delia* in versu.

Sidonius Apollinaris carm. 9.

Non Getulicus hìc tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, *Tibullus*.

Idem ad Hesperium.

Memineris quòd sæpe versum complevit *Delia* cum *Tibullo*.

Diomedes Grammat. l. 3. c. 6.

Quod genus carminis (*Elegiam*) præcipuè scripserunt apud

* *Tibul. Eleg. 5. l. 1. vers. 30.*

apud Romanos Propertius, & *Tibullus*, imitati Græcos Callimachum, & Euphorionem.



CAPUT III.

Veterum Scriptorum testimonia de Sexto Aurelio Propertio.

Ovidius Artis Amat. l. 3. vers. 333.

ET teneri possis carmen legisse *Propertî*.

Idem Remed. Amoris, vers. 763.

Carmina quis potuit tutò legisse Tibulli,
Vel *Tua*, *Cujus* opus *Cynthia* sola fuit?

Idem Tristium l. 2. vers. 465.

Invenies eadem blandi præcepta *Propertî*,
Districtus minimâ nec tamen ille notâ est.

Idem Tristium l. 4. Elegiâ 10.

Sæpe suos solitus recitare *Propertius* ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

Idem Tristium l. 5. Eleg. 1.

——— blandique *Propertius* oris.

Plinius Junior l. 6. Epist. 15.

Passienus Paulus splendidus eques Romanus, & in primis eruditus, scribit Elegos. Gentilitium hoc illi, est enim municeps *Propertii*, atque etiam inter majores suos *Propertium* numerat.

Idem de eodem l. 9. Epist. 22.

In litteris veteres æmulatur, exprimit, reddit: *Propertium* in primis, à quo genus ducit, vera soboles, eoque

que simillima illi, in quo ille præcipuus. Si Elegos ejus in manum sumpseris, leges opus tersum, molle, jucundum, & planè in *Propertii* domo scriptum.

Papinius Statius l. 1. Silv. carm. 2.

Callimachusque senex, Umbroque *Propertius* antro.

Quintilianus Instit. Orat. l. 10 c. 1. ubi de Eleg.

Sunt, qui *Propertium* malint.

Martialis Epig. 72. l. 8.

Cynthia te vatem fecit, lascive *Properti*

Idem l. 14. Epig. 189.

Cynthia facundi carmen juvenile *Properti*.
Accepit famam, nec minùs ipsa dedit.

L. Apulejus Apologiâ.

Accusent........& *Propertium*, qui *Cynthiam* dicat; Hostiam dissimulet.

Sidonius Apollinaris ad Hesperium.

Memineris quòd sæpe versum complevit...... *Cynthia* cum *Propertio*.

Lactantius Firmianus Divin. Instit. l. 2. c. 7.

De quo Senatu *Propertius* Elegiarū scriptor hæc loquitur:
* *Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu &c.*

Diomedes Grammat. l. 3. c. 6.

Quod genus carminis (*Elegiam*) præcipuè scripserunt apud Romanos *Propertius*, & Tibullus, & Gallus, imitati Græcos Callimachum, & Euphorionem.

CA-

* *Propert. Eleg. 1. l. 4. vers. 11.*

CAPUT IV.

De Vita, & Scriptis C. Valerii Catulli.

VAlerio Catullo Cajus prænomen fuit, quidquid contra sentiat Josephus Scaliger, qui corruptissimi 1 loci auctoritate nixus Quintum appellat: testaturque se in antiquo libro Jacobi Cujacii J. C. ita disertè scriptum reperisse. Refragantur etenim editiones omnes, quotquot hactenùs prodierunt: reclamat consensus eruditorum: L. denique Apulejus mendacii reum agit, cum Apología priore carminum quorumdam suorum lasciviam & lusus Caii Catulli nobilissimo exemplo tuetur. Cui sanè, ut ætate multò propiori, fides habenda est. Veronensem fuisse liquidò constat, cum ex Ovidio, Plinio seniore, Martiali, Ausonio, cæterisque; tum etiam ex ipsius testimonio, qui & alicubi 2 Veronam suam dicit, &, ubi è Bithynia reversus, 3 Sirmionem lacus Benaci peninsulam alloquitur, ad Larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est, si Hieronymus rectè rationem subduxit, Olympiadis CLXXIII. anno II., ab Urbe verò condita DCLXVII. L. Cornelio Cinna, Cn. Octavio COSS. Quamobrem non immeritò Lilius Gyraldus Crinitum reprehendit, quòd scribere non dubitaverit: *pro comperto haberi, carmen de paßere Lesbiæ ad Virgilium missum fuisse, ob illud Martialis:*

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Etenim, ut omittamus τὸ *forsan*, quod argumenti vim omnem infringit, verisimile non fit, Catullum septem-

de-

1 *Carm. 66. v. 12.* 2 *Ibid. v. 34.* 3 *Carm. 31.*

decim annis Marone grandiorem [natus est enim Maro, teste Hieronymo ac Donato, Olympiadis CLXXVII. anno III., ab urbe verò condita DCLXXXIV. Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso primùm COSS.] eidem adhuc puero tantum detulisse, ut ad ejus tribunal accessurus indigeret audacia.

Parentem habuit Valerium, honesti ordinis virum, cujus nimirùm hospitio, si Tranquillum audimus, C. Cæsar usus fuerit. Rei familiaris autem inopia laboravit, utpote qui *sacculum suum aranearum plenum* ingenuè fateatur, Furiumque & Aurelium inter principes amicorum observaverit: quorum alteri *nec servus, nec arca, nec cimex erat*; alterum *esuritionum patrem* ipse festivè appellat. Cumque divitum Romanorum familia maxima esset, neminem habuit Catullus,

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Lucellum itaque unde unde corrasurus, Memmium prætorem in Bithyniam simul cum fratre secutus est, nullo tamen successu; idque prætoris ejusdem nimia cupiditate, atque oscitantia. Immò cum in provinciam Troadem venisset, fratrem suum, quem æquè ac se ipsum diligebat, immatura morte præreptum amisit. Hujus postea cineribus, ex Asia in Italiam revertens, mœstissimè parentavit; ejusque memoriam, ubicumque se obtulit occasio, mira pietate semper coluit. Navigatione absoluta, phasellum, quo mare transmiserat, Castori & Polluci, habitis eo tempore navium servatoribus, illustri carmine dedicavit. Postquam ex ephœbis excessit, in castris Amoris cœpit stipendia facere; inprimisque Clodiam præstanti mulierem forma, quam mutato nomine Lesbiam vocavit: Hypsithillam, & Juventium puerum deperiit. Ardores quoque suos mollissimis versibus complexus, eos scri-

scribendi genere non minorem assecutus est gloriam, quàm immortali veréque divino Æneidos poemate vates Mantuanus. Amici ejus plurimi enumerantur: Cornelius Nepos, cui libellum suum dono dedit; Verannius & Fabullus; Furius & Aurelius; Licinius Calvus Orator vehemens, & nobilis poeta, quem prisci scriptores ferè semper Catullo adjungunt; Alphenus Varus J. C. Cæcilius, qui de matre Deorum poema composuit; Manlius Torquatus, cujus nuptias elegantissima Ode celebravit, & ad quem est epistola illa, quam tanti Muretus fecit; Cinna Smirnæ auctor; Cornificius, fortasse ille, cujus esse ad Herennium Rhetoricorum libros quattuor eruditi homines voluere; Ortalus; Cato, non ille Uticensis, morum severitate insignis, at litterator quidam, cujus meminit Svetonius libro de illustribus Grammaticis c. XI. denique Cælius Veronensis. M. Tullium Ciceronem in causa forensi [quænam ea fuerit, ignoratur] videtur patronum adhibuisse, cui certè ob acceptum beneficium venusto Epigrammate gratias egit. Jambicis, & Hendecasyllabis versibus in pessimos quosque homines, nullo discrimine, grassatus est, nec ipsi Cæsari, quantumvis rerum potito, pepercit, quin calami aciem in *finistram* ejus *liberalitatem*, aliaque vitia distringeret. Mamurram, Gellium, Vatinium, quos impensè oderat, propriis nominibus indigitavit, & styli amaritudine traduxit. Lusit insuper in Volusium, ineptum [ut ipse quidem existimabat] Annalium scriptorem: in rivalem Egnatium: in Suffenum, quem cum Cæsiis, & Aquinis litterarum venenis uno & eodem jure censet: denium in Sextium oratorem, cujus frigidissima oratione molestam gravedinem se contraxisse jocosè scribit. Græcis litteris non vulgariter imbutum fuisse inde colligi potest, quòd suavissimam Oden poetriæ Sapphûs, & Callimachi Elegiam de coma


Be-

Beronices mundissimis versiculis Latinè reddiderit: ob id fortè à Tibullo, Ovidio, Martiali *doctus* appellatus. Et idcircò mirum videri debet, Julium Scaligerum eâ virum eruditione, quodque caput rei est, Veronensem, ideóque municipi suo saltem hoc nomine devinctum, hæc de Catullo posteris reliquisse: (*Poetices l.6. c.7.*) *Catullo docti nomen quare sit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi; nihil enim non vulgare est in ejus libris*. Quamquam veluti mutato consilio, qui mos est homini, Palinodiam canere postea cogatur, *Galliambicum* ejus *carmen divinum* autumans, & poema de nuptiis Pelei, ac Thetidos, *verum aditum, & gradum ad Æneidos divinitatem* esse pronuntians. Nonne probatius de *nugis* poetæ nostri Cornelius Nepos gravissimus vir judicium tulerat, cum eas *esse aliquid putabat*? Nonne benigniùs, & justiùs cum ipso egere Pompejus Saturninus, & Sentius Augurinus, quorum uterque, auctore Plinio in epistolis, Catulliani carminis imitationem gloriæ sibi fore augurabantur? Sed hæc aliàs: nunc id, quod cœpimus, agamus. Censet Angelus Politianus Miscellaneorum centuria 1. c.6. passerem, quem tantoperè Catullus commendat, allegoricè accipiendum, ut scilicet obscœnum aliquid sub se contineat, confirmatque Martialis versibus ex libro XI. Epig. VII.

Da mî basia, sed Catulliana.
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

at nullo prorsùs argumento id evincit, cum ea, quæ Catullus narrat de suo passere, ut rectè Critici monuerunt, nonnisi de avicula commodè intelligi possint. Satius igitur fuerit existimare, Martialem ipsum ad nequitiam torsisse, id quod sensu simplici Veronensis noster effuderat; quo pacto ex castissimis Virgilii versibus Auso-

sonius Fescenninum centonem consarcinavit. Quintilianus, & Diomedes inter poetas Jambicos Catullum reponunt: Hieronymus inter Lyricos: reliqui inter Epigrammatographos. Ego verò, si modò fas est meam sententiam aperire, inter Varios potiùs referrem, nam certè in ejus poematiis quædam excedunt Epigrammatis modum. Ambigitur jure à nonnullis, an hæc solùm paucula, quæ hodie exstant, ab illo scripta fuerint, an verò longè plura, quæ vetustas nobis inviderit. Ansam dubitandi præbet Plinius, qui de incantamentis opusculum à Catullo exaratum innuit, cujus ne vestigium quidem superest. Nisi Raphaeli Eglino Tigurino auscultare velimus, qui Ceirim * Virgilio abjudicans, Catullo attribuit propter styli similitudinem. Decessit annos aliquot natus supra quadraginta, ut adversùs Eusebii Chronicon ostendo ad ejus carm. 52. & 110.



CAPUT V.

De Vita, & Scriptis Albii Tibulli.

QUo cognomine Albius Tibullus insignitus fuerit, omnino incompertum est: sive id incuriâ librariorum evenerit, sive nullum habuerit; quod tamen à consuetudine Romanorum Equitum, inter quos poeta iste censetur, procul abesse videri potest. Patriam sortitus est Urbem terrarum dominam, ut perantiquæ membranæ fidem faciunt: illustri verò loco natus, &, quod Ovidius de se jactat,

* *In epist. ad Goldastum, præfixa selectis Catulli operibus.*

1 —— *usque à proavis vetus ordinis hæres,*
Non modò militiæ turbine factus eques.

Petrus Crinitus, & Lilius Gyraldus, qui ante duo ferè sæcula poetarum vitas persecuti sunt, constanter tradiderunt, annum Urbis conditæ DCCXI. Tibullo simul, & Ovidio natalem fuisse, C. Vibio Pansa, A. Hirtio COSS. qui prælio Mutinensi adversùs Antonium non absimili nece occubuere. Valido autem argumento ad id sibi, & aliis persuadendum compulsi fuerunt: si quidem apud utrumque poetam celeberrimus exstat pentameter, ubi de natalibus suis loquuntur, qui hanc opinionem confirmat:

2 *Cum cecidit fato Consul uterque pari.*

At Josepho Scaligero, sagacissimi viro ingenii, primùm suboluit, ex hujus versiculi bona fide magnam temporum perturbationem oriri. Calculum adjecit Janus Douza, qui Schediasmate succidaneo in Tibullum evidentissimè ostendit, de scrinio Sulmonensis equitis à quodam in re aliena nimis officioso Romani hujus supellectilem auctam. Primùm enim [ut summi Critici rationes compendio proferam] si Tibullo de se ipso narranti credendum est, quî potuit Messalam sequi ad expeditionem Aquitanicam, nec sequi tantùm, sed & æra mereri, & gnavi militis vicem agere quindecim annos natus, vel eo minus? tot enim ferè intercedunt ab Hirtii, & Pansæ consulatu ad Messalæ victoriam, anno V. C. DCCXXVI. relatam, veluti luce clariùs in vetustissimo lapide apparet. Deinde quomodò Ovidius, dum Elegiæ scriptores per seriem temporum enumerat 3, Gallo primum locum attribuens, Tibullum ante Propertium collocat, se verò post utrumque? Nisi quis ineptè cavilletur, Ovidium seriùs ad id carminis genus accessisse quàm Tibullum, quod ab ingeniosissimi poe-

1 *Amor l. 3. Eleg* 15. 2 *Tibul. Eleg.* 5. *l.* 3. *Ovid.* 4. *Trist. Eleg.* 10
3 *Trist.* 4. *Eleg.* 10.

poetæ facundia, cujus nascentis in ore apes Heliconiæ insederunt, & qui versus ex tempore uberrimi torrentis ritu passim fundebat, immane quantùm discrepat. Huc attinet Ode * illa Horatii, quæ ad Albium inscribitur, in qua Venusinus poeta sui exemplo proposito Tibullum ob Glyceræ perfidiam *Elegos miserabiles* canentem, & sibi *juniorem* præferri *dolentem* à mœstitia revocat, & solatur. Quæ Ode si, ut ordo carminum requirit, scripta fuit ante illam 2 de Augusti adversùs Antonium, & Cleopatram victoria, quam in annum V. C. DCCXXIII. incidisse liquet, inveniemus, juxta receptam opinionem, Tibullum annorum vix duodecim Elegiacum poetam, Glyceres amatorem, & quod monstra omnia excedit, veluti grandævum ab amica foras exclusum. Omnibus igitur fucum fecit Ovidianus ille versiculus, *Tibullo* [ut ait præcitatus Douza] à mala manu assutus. His magni viri solidissimis rationibus liceat leviculam quamdam addere de nostro penu, ne scilicet ad has epulas, quod ajunt, asymboli veniamus. Vix est, ut credere valeam, Ovidium Tibulli memoriæ studiosissimum, cum animadvertisset se cum illo natalem diem habere communem, quâ erat præcipue diligentiâ in rebus vel minimis, tantum eventum silentio prætermissurum fuisse. Verisimilius itaque fuerit, Horatio Tibullum æqualem facere, id suadente ipsius Flacci testimonio, qui primo Epistolarum 3 libro *candidum judicem suorum sermonum* eum appellare non dedignatur. Emunctæ verò naris hominem, jam octo lustra prætergressum, qualis Horatius erat, scripta sua elucubratissima adolescenti viginti duobus annis juniori castiganda committere meritò puduisset. Quibus jactis fundamentis alius error convellitur, qui jam invaluit,

††† 2 Ti-

* 33. *L.* 1. 2 37. *l.* 1. 3 *Epist.* 4.

Tibullum scilicet in ipso ætatis flore vitâ defunctum esse, idque propter Domitii Marsi Epitaphium, quo juvenem ad Elysios illum migrasse testatur. Hæc porrò auctoritas nihil obstat: scimus enim 1 ex instituto Servii Tullii eos, qui XLVI. ætatis annum non excessissent, juniores appellatos: qui verò excessissent, seniores. Quapropter Sallustius 2 C. Cæsarem triginta sex annos natum, cum summi Pontificatus apicem peteret, *adolescentulum* vocare non dubitavit. Itaque cum ex eodem Epitaphio constet, paulò post Virgilii mortem Tibullum summum diem obiisse, Virgiliumque denatum C. Sentio, Q. Lucretio COSS. Anno V. C. DCCXXXV. Donatus referat, necessariò sequitur, si Tibullum, ut ratio postulat, Horatio supparem facimus [cujus natales contigerunt A. V. C. DCLXXXIX. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato COSS.] eum ultra quadraginta annos vitam produxisse. At de istis fortasse plus nimio: ad reliqua pergamus.

Patrimonium, quod peramplum habuerat, repentè accisum deflevit: sive illud luxuriâ suâ ipse prodegerit, sive militum Cæsarianorum excursionibus, quibus tum omnia vastabantur, pessumdatum fuerit. Hoc secundum magis placet; cujus rei, præter cætera, id quoque argumentum affertur, Cæsarem Octavianum tanti nominis principem, & de litteratorum laboribus optimè meritum, ad quem laudibus exornandum reliqui poetæ certatim accurrebant, ab unico Tibullo, velut indignum, prorsus omissum atque oblivioni traditum: ob odium, credo, Equitis nostri, direptarumque facultatum mœrorem. Non ideò tamen ad summam inopiam redactus est; sed illi benigno semper copia cornu abundè suppeditavit

1 *Agell. l.* 10. *c.* 28. 2 *Bell. Catil.*

vit unde 1 *famem despicere* posset. Ruri certè vitam agere decrevit, ubi remotus à strepitu rerum urbanarum 2 *salubres inter silvas reptaret, curaretque* per otium *quidquid sapiente bonoque* maximè *dignum foret*. Messalæ Corvini triumpho Aquitanico notissimi cliens, & comes perpetuus fuit, quem cum in Macedoniam proficiscentem itinere maritimo secutus esset, apud Phæacas Græciæ populos gravi morbo correptus decubuit. Cum esset in amores paulò proclivior, quibus etiam colendis propter oris elegantiam factus videbatur, in primis Deliam puellam, vero nomine Plautiam, uti Apulejus testis est, mirè dilexit. Deinceps Nemesin, & Neæram, puerumque Marathum. Sulpitiam quoque, ac Cerinthum, amatorum par sibi jucundissimum carminibus celebravit. Miror autem cur ab Ovidio duæ tantùm ejus amicæ nominentur, Delia, & Nemesis, quarum alteram lecto morientis adstitisse, *manuque* illius *deficiente* pressam testetur. Fortasse [nihil enim commodius in mentem venit] sub Lygdami, & Neæræ nomine cuipiam amicorum gratificatus est, non suis, at alienis amoribus inserviens. Parùm libenter se militasse ipse non semel significat, nam & Pacis cultorem se profitetur, diramque sitim humani sanguinis variis in locis abominatur. Inter familiares Macrum, & Horatium poetas habuit: etiam T. Valgii heroico versu excellentis honorificam facit mentionem. Ejus autem immaturus obitus Nasonis illustri Epicedio defletus est, qui matrem & sororem suprema illi pietatis officia persolvisse scribit. Quanti autem Tibulli Elegiæ sint æstimandæ, vel ex uno Fabio colligere licet, qui cum *tersum*, & *elegantem* judicet, simul ei principatum in hoc genere

1 *Eleg.* 1. *l.* 1. 2 *Horat. Epist.* 4. *l.* 1.

carminis facilè tribuit. Horatius Cassio Parmensi præponit; Ovidius *cultum* appellat, ejusque carmina numquam intermoritura vaticinatur. Equidem Tibullo suaviorem poetam, planiorem, aut magis aptum ad motus animi pingendos non invenio. Sunt, quibus Panegyris ad Messalam minùs arrideat, nec injuria; voluit enim in illo poematio egredi gyrum ingenii sui, adeóque nil mirum si ei non successerit.



CAPUT VI.

De Vita, & Scriptis Sexti Aurelii Propertii.

SExtum Aurelium Propertium in Umbria natum certò scimus, id enim ipse pluribus in locis Elegiarum suarum testatus est. De oppido autem, ubi natus fuerit, magna inter Criticos controversia insurgit, cum Josephus Scaliger Ameriam ejus patriam esse contendat, Caspar Scioppius, * & reliqui ferè omnes Mevaniam. Opinionum dissimilitudo ex varietate lectionum originem ducit: nam ita Scaliger legit Hexastichon Elegiæ 1. l.4. quo Genethliacus poetam alloquitur:

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Quà nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æstivis intepet Umber aquis,
Scandentisque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

aliud verò disthichon superiùs positum sic: Scán-

* *In Paradoxis.*

Scandentes si quis cernat de collibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.

Ait igitur primò, Mevaniam eo loco haud esse accipiendam pro ipso oppido, sed pro longa lataque planitie, quae Ameriae fines attingat; ideóque Propertium rectè dici posse Mevanatem, minùs rectè Mevaniensem. Deinde à Propertio patriam suam *in collibus* aedificatam indicari, & propterea situm Ameriae optimè convenire, Mevaniae autem in campo jacentis non item. Tertiò periphrasin lacus Umbri nihil aliud, quàm Vadimonem innuere existimat: Vadimonem verò Ameriae proximum stagnare, Plinii Caecilii testimonio confirmat. Postremò, vocem *axis* nonnumquam *regionis tractum*, vel *collem editum* significare, Juvenalis, Papinii, & Silii auctoritate conatur ostendere. Excusat insuper, quae hominis benignitas est, Umbrum poetam, quòd abstinuerit à propriis nominibus Ameriae ac Vadimonis; id enim factum putat repugnantia syllabarum, cum & *Ameria* quatuor brevibus constet, & *Vadimon* creticum pedem constituat; quas propterea voces in Hexametrum versum admittere religio sit.

Sed audiamus & Scioppium pro contraria sententia disferentem. Illud ante omnia testatur Scioppius, in antiquissimis exemplaribus legi *sacer imber*, non *lacus Umber*, eumque fuisse fontem aquae calidae, muro lapideo inclusum, cujus hodierna die etiamnum aliqua rudera supersint: thermasque illas ab indigenis paulùm detorto vocabulo *Imbersato* appellari. Deinde contendit in altero Disticho legendum esse *de vallibus*, non *de collibus*, fidem vulgatarum omnium editionum secutus: ita ut Mevaniae arces dicantur in altum exsurgere de planitie. Post haec Scaligerum haud leviter in Geographia peccantem castigat: etenim ex Cluverio demonstrat, nequa-

quam à Mevanienſi planitie Ameriam contingi, cum inter utrumque oppidum altiſſimæ rupes poſitæ ſint: nec fieri ullo modo poſſe, ut Clitumni fons, quem Scaliger cum Etruſco Vadimone confundit, ex Amerinis mœnibus deſpectetur, ſi quidem viginti millibus paſsuum ab Ameria diſtet. Negat porrò, à Juvenale, Papinio, & Silio Italico vocem *axis* ea ſignificatione accipi, qua cenſet Scaliger; immò verò longè diſſimili. Etiané inveniri arbitror neminem, modò Latinæ linguæ rudimenta calleat, cui Juvenalis verſus è Satyra 4. quem arbitratu ſuo Scaliger explicabat:

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes

non videatur intelligendus de curribus Aricina via prætereuntibus, ut pars pro toto, more poetis familiari, uſurpata ſit. Quod etiam ex iis, quæ ſtatim ſequuntur, adſtrui poteſt:

Blandaque devexæ jactaret baſia rhedæ.

At quamquam (pergit Scioppius) liqueret, poetas illos vocis hujus propriam ſignificationem corrupiſse, nihil tamen Propertio ætatis aureæ ſcriptori cum deterioris ætatis auctoribus. Penitus autem explodit Scaligeri ſententiam, cum ait ſe veteres codices inſpexiſſe, qui omnes vocem *axis* non agnoſcant, ſed potiùs *arcis*, aut *altus*. Lætiſſimo interim cachinno ridet diſcrimen inter Mevanates & Mevanienſes, quod curioſè nimis in medium attulit doctiſſimus ille vir. Hæc à ſummis Philologis de Propertii patria diſputata ſunt: liberum cuique judicium eſto, uter propiùs ad veritatem acceſſerit: Me Scioppii argumenta magis movent, in ejuſque ſententiam lubens eo. Miſſa faciam Gyraldi, & aliorum ſomnia, qui cum perperàm *Aſſis* legiſsent, Aſſiſium Propertii patriam fuiſse temerè divinabant.

De anno natalium ejus Chronologi ne verbum quidem

dem; facilis tamen conjectura est fuisse DCXCVI. ab V.C. L. Pisone, A. Gabinio COSS. Id colligimus ex ipsius auctoris testimonio, qui Eleg. 1. l. 4. paulò ante laudatâ, ita infortunia sua memorantem Genethliacum inducit:

Ossaque legisti non illâ aetate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

Fatetur se, cum adhuc puer esset, orbatum patre, exutumque paternis opibus tristissimo illo tempore, quo post Philippense bellum prædia Itala veteranis militibus dimensa & distributa sunt. Auream deinde bullam, quæ pueros ingenuos à servis & libertinis distinguebat, Diis penatibus suspensam consecrasse scribit, virilemque togam sumpsisse. Quæ quidem vestis mutatio fieri solebat anno XVII. ætatis, vel etiam XV. Sed primum potiùs de Propertio credendum ea ratio suadet, quòd statim à prætexta deposita ad Musarum otia se contulit, relicto fori tumultu, & causidicorum clamoribus contemptis; ideóque grandiusculum fuisse oportet, qui ad fingendos Elegos ingenium & calamum admoveret. Procul enim aberant veteres illi omnium elegantiarum promicondi ab ea barbarorum hominum hæresi, quæ nunc passim viget, ut puerilium annorum oblectamentum poetica studia putarent. Constat autem divisionem agrorum, quæ jussu Augusti facta est, in urbis conditæ annum DCCXIII. incidisse, à quo si anni septemdecim retro numerentur, inveniemus Propertium COSS.

quos diximus, in lucem editum. Hæc ferè Janus Douza Schediasmate succidaneo ad Tibullum.

Poetæ hujus nostri pater videtur fuisse Sextus ille Propertius, cujus nomen delatum, cum P. Clodius Tribunus plebis Rempublicam seditionibus misceret, civiumque locupletium bonis inhiaret, queritur Cicero oratione pro domo sua. Ignobilis verò fuit, & nullis majorum imaginibus clarus, licet nonnulli dissentiant: præstat enim ipsum audire, quem ita de se scribere non puduit: 1

Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi.

& alio loco: 2

Tu mea compones, & dices: Ossa, Properti,
Hæc tua sunt; eheu tu mihi certus eras.
Certus eras eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.

Paulò post à patris interitu matrem quoque, apud quam educatus fuerat, amisit, sic enim ad Cynthiam: 3

Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis,
(Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis)

Ope ingenii Mœcenatis amicitiam consecutus est, cujus hortis in 4 Esquilina regione positis proximè habitavit. Mirum autem cur nec Horatium Propertius, nec Propertium Horatius ullo in loco poematum suorum mutuo benevolentiæ pignore nominaverit, cum tamen in eodem contubernio vixerint, & eidem patrono cari fuerint. Sed enim quotidie verissimum agnoscimus illud Hesiodi:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, ϗ τέκτονι τέκτων:
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, ϗ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Et

1 Eleg. ult. l. 2. 2 Eleg. 17. l. 2. 3 Eleg. 13. l. 2. 4 Eleg. 21. l. 3.

Et figulus figulo succenset, & fabro faber:
Et mendicus mendico invidet, & cantori cantor.

Et sanè garrulus ille, quem sibi viâ Sacrâ deambulanti venisse obviam, & lateri molestè adhæsisse scribit Horatius Sat.9. l.1. Propertius noster fuisse videtur: quod, non infirmis rationibus ducti, conjicere possumus. Hominem sanè scribendis carminibus aptum hæc ipsius verba demonstrant:

Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies, nam quis me scribere plures,
Aut citiùs potuit versus? ———

amatorculum verò, & deliciarum studiosum, ea quæ sequuntur:

quis membra movere
Molliùs? ———

Atqui Propertius Eleg.3. l. 2. hoc de se fassus est:

Nequidquam perfusa meis unguenta capillis,
Ibat & expenso planta morata gradu.

ut scilicet Cynthiæ suæ placeret, cujus* *pedes molliter ire solebant*. Adde, quòd fama istius loquaculi Romam implèverat, & propterea Horatius ait:

——— notus mihi nomine tantùm.

Superbia Propertii, qua se *Romanum Callimachum* appellavit (ut alia plurima hujus generis missa faciam) in illis apparet:

Noris nos, inquit; docti sumus ———

& mox, cum de Mœcenate quæsivisset, cujus amicitiam affectabat, hæc subdit:

——— haberes
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni

Sum-

* *Eleg.9.l 2.v.ultim.*

Sumnosses omnes ———————

Interrogatus verò à Flacco:

——— *Est tibi mater,*

Cognati, queis te salvo est opus?

ita respondet:

haud mihi quisquam;

Omnes composui ———————

Quæ omnia poetæ nostri moribus & infortuniis, de quibus superiùs locuti sumus, mirè conveniunt. Nondum à me impetrare potui, ut hanc suspicionem ponerem; de cujus tamen audacia & novitate judicent doctiores.

Cornelio Gallo viro patritio, atque illustri poetæ, nec non Tullo Consularis familiæ, qui plures in Urbe forisque magistratus gessit, gratissimus fuit. Ovidium, Ponticum, Bassum æquales suos familiariter dilexit, quorum judicia, si quid populo recitaturus erat, * experiri consueverat. Hostiam puellam, quam dissimulato nomine Cynthiam dicere maluit, ut ex Apulejo novimus, immodicè amavit. Hanc omnibus naturæ artisque dotibus ornatam describit, à Musarum sacris præcipuè non abhorrentem. Qui verò Propertium una Cynthia contentum tradidere, non videntur legisse 1 Elegiam illam, qua se multis amoribus obnoxium, & cujuslibet formæ feminarum sectatorem maximum absque rubore fatetur. Quam postea imitatus est Ovidius 2, ut & alia innumera hujus poetæ. Octaviano Cæsari sæpe blanditus est, immemor, puto, injuriarum, quas ab ejus militibus acceperat, magnique principis gratiam obsequio carminis aucupatus. Callimachum & Philetam è Græcis, Tibullum & Virgilium è Romanis ad imitandum sibi proposuit: quod ne quis fortè à me temere affir-

* *Ovid. Trist 4. Eleg. 10.* 1 *Eleg. 16. l. 2.* 2 *Amor. 2. Eleg. 4.*

affirmari existimet, consulat observationes nostras ad Eleg. 9. & 14. l. 3. Cæterùm gloriam Elegiæ ex Græcorum fontibus primùm deductæ sibi falsò tribuit, cum ante illum Catullus id magno successu tentaverit. Helladem certè omnem populatus, transmarino sale scripta sua condivit, veterum fabularum, uti apparet, studiosissimus. Credibile est, Ovidium ad Heroidum epistolas conscribendas Propertii lectione excitatum, præivit enim poeta Umber elegantissimâ illâ Arethusæ ad Lycotam: nec audiendus Nicolaus Heinsius, qui contrariam omnino sententiam tuetur. Licet autem ingenii sui vires consultò extenuet, magno tamen spiritu, & Heroicis aptissimo præditus fuit: cujus rei fidem faciunt ea, quæ in quarto libro de antiquitatibus urbis Romæ, ac identidem de Augusti victoriis magnifico verborum apparatu, & numeris Elegíam excedentibus, eruditè cecinit. Nonnulli, auctore Quintiliano, Propertium Tibullo præposuere; Passienus quoque Paulus gentilis ejus carmine scribendo ab ipsius vestigiis ne latum quidem unguem recessit. Iratus amoribus suis, quòd non ex sententia cessissent, Athenas petere decrevit: an verò profectus fuerit, incertum est. Fortasse ultimam senectutem exegit in studiis illis, quibus se operam daturum ætate ingravescente * significaverat. Etenim Douzæ existimanti juvenem decessisse, quòd se amicæ à genuum vinore semper commendaverit, assentiri non possum: quasi verò necesse fuerit eumdem illi scribendi ac vivendi terminum esse.

CA-

* Eleg. 5. l. 3.

CAPUT VII.

De Metris Catullianis.

VErsuum genera, quibus in Epigrammatibus, cæterisque poematiis Catullus utitur, numero quatuordecim invenio. Primum locum obtinet Phalæcius Hendecasyllabus, qui constat è Spondæo, Dactylo, & tribus Trochæis, hoc pacto:

Cui do — no lepi - υυ dum no - υ uum li - υ bellum - υ

In prima tamen sede admisit quandoque Trochæum, & Jambum loco Spondæi, ut in sequentibus:

Ari - υ da modò - υυ pumi - υ ce expo - υ litum - υ

Meas υ - esse ali - υυ quid pu - υ tare - υ nugas - υ

Versus autem ille initio carminis 40.

Quænam te mala mens miselle Ravide

est Hypermeter, sive unâ syllabâ redundans; Hunc autem eâ ratione metiemur, ut postrema syllaba per Sinalœphen elidatur à prima subsequentis, quæ incipit à vocali:

Quænam — te mala - υυ mens mi - υ selle - Ravi - υ
de Agit υ -

Hoc primo genere versus utitur Catullus tricies novies, videlicet carmine 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 21. 23. 24. 26. 27. 28. 32. 33. 35. 36. 38. 40. 41. 42. 43. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 53. 54. 56. 57. 58.

Sequitur secundo loco Jambicus Trimeter, seu Senarius Acatalectus, qui constat sex pedibus, qui omnes possunt esse Jambi, ut:

Ait υ - suis υ - se na υ - vium υ - celer υ - rimus υ -

nonnumquam verò in locis disparibus, puta in primo, tertio, quinto admittuntur compares pedes, veluti Spondæus,

dæus, non autem Choræus; quandoque etiam imparisyllabi, veluti Anapæstus ∪∪- Dactylus, Tribrachys ∪∪∪. At in locis paribus præter Jambum, & ejus loco Tribrachyn, vix extra Comœdiam cæteri pedes recipiuntur. Exempla misti Jambici:

Sella in -- curu ∪ - li Stru -- ma No ∪ - nius ∪ - sedet ∪ -
Per Con -- sula ∪ - tum pe -- ierat ∪ - Vati ∪ - nius ∪ -

Hoc genere Catullus utitur quater, nimirùm carmine:

4 *Phasellus ille, quem videtis, hospites.*
20 *Ego hæc, ego arte fabricata rusticâ.*
29 *Quis hoc potest videre, quis potest pati?*
52 *Quid est, Catulle, quòd moraris emori?*

Succedit superioribus Choliambicus, sive Scazon, in omnibus præcedenti conveniens, si duos ultimos pedes excipias; etenim ordine inverso quintus pes semper est Jambus, ultimus semper Spondæus, ut:

Fulse -- re quon ∪ - dam can -- didi ∪ - tibi ∪ - soles --

Hoc genere Catullus utitur septies:

Carm. 8. *Miser Catulle desinas ineptire.*
22. *Suffenus iste, Varre, quem probè nosti.*
31. *Peninsularum Sirmio, insularumque.*
37. *Salax taberna, vosque contubernales.*
39. *Egnatius, quòd candidos habet dentes.*
44. *O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs.*
59. *Bononiensis Rufa Rufulum fallat?*

Quarti generis est Sapphicus Hendecasyllabus, qui constat Trochæo, Spondæo, Dactylo, & duobus Trochæis, ut:

Sive in - ∪ extre -- mos pene - ∪∪ trarit - ∪ Indos - ∪

licet interdum poeta noster secundâ sede Trochæum posuerit, veluti:

Seu Sa - ∪ cas sa - ∪ gittife - ∪∪ rosque - ∪ Parthos - ∪
Pauca - ∪ nunci - ∪ ate me - ∪∪ æ pu - ∪ elle - ∪
Oti - ∪ um Ca - ∪ tulle ti - ∪∪ bi mo - lestum est - ∪

illi

illi autem versus redundant semipede, qui absorbetur à vocali subsequentis:

Nullum amans verè, sed identidem omnium.

Qui illius culpâ cecidit, velut prati.

In eo non servatur Sinalœphe, sed hiatus relinquitur quarto loco:

Galli - v cum Rhe — num horribi - vv lesque - v ulti - v

Hoc genere versus utitur Catullus bis, nimirùm in duabus Odis, quarum utraque est Dicolos Tetrastrophos, constant enim duplici genere versuum, Sapphico, & Adonio, singulæque earum strophæ quaternis versibus concluduntur:

Carm. 11. *Furi, & Aureli comites Catulli.*

51. *Ille mî par esse Deo videtur.*

Quinti generis est Adonius, qui constat Dactylo, & Spondæo, ut:

Ilia - vv rumpens —

Utitur eo Catullus bis, ut superiùs diximus.

Sexti generis est Trochaicus Stesichorius, qui constat sex pedibus: Choræo, vel Spondæo, Dactylo, Cretico - v - iterum Choræo, iterum Dactylo, postremùm Choræo, ut:

O Co - v lonia - vv quæ cupis - v - ponte - v ludere - vv longo - v

Nam te — præcipu - vv è in suis - v - urbi - v bus colit - vv ora - v

Utitur eo Catullus ter, nimirùm

Carm. 17. *O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo.*

18. *Hunc lucum tibi dedico consecroque, Triape.*

19. *Hunc ego juvenes locum, villulamque palustrem.*

Septimi generis est Jambicus Tetrameter Catalectus, qui constat septem pedibus, & cæsurâ in fine, in quo servantur eadem, de quibus diximus, cum de Jambico Trimetro ageremus. Exemplum sit:

Remit v - te pal v - lium v - mihi v - meum v - quod in v - volas v - ti -

Uti-

Utitur eo Catullus semel

Carm. 25. *Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo.*

Octavi generis est Choriambicus, qui constat quinque pedibus, nimirùm Spondæo, tribus Choriambis, & Pyrrichio, ut:

Ventos — irrita fer – vv – re & nebulas – vv – aerias – vv – finis vv

Utitur eo Catullus semel

Carm. 30. *Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus.*

Noni generis est Pseudo-Phalœcius, qui constat duobus Spondæis, ac tribus Choræis, ut:

Semel — las om — nes a – v mice – v prendi – v
Quas vul — tu vi — di ta – v men se – v reno – v

quandoque Spondæo, & quatuor Choræis, veluti:

Te in cir — co te in – v omni – v bus la – v bellis – v

Utitur eo Catullus semel, quamvis intermisceat Hendecasyllabos,

Carm. 55. *Oramus, si fortè non molestum est.*

Decimi generis est Glyconius, qui ferè constat Spondæo, & duobus Dactylis, ut:

Jam ser — vire Tha – vv lassio – vv

At Veronensis poeta primo loco frequentissimè Trochæum usurpat, veluti apparet in his:

Cinge – v tempora – vv floribus – vv
Suave o – v lentis a – vv maraci – vv
Flamme – v um cape – vv lætus huc – vv
Huc ve – v ni nive – vv o gerens – vv

quandoque Jambum, ut in hoc:

Puel v – læ & pue – vv ri integri – vv

Utitur eo Catullus bis

Carm. 34. *Dianæ sumus in fide.*
60. *Collis ô Heliconii.*

Undecimi generis est Pherecratius, qui ferè constat Spondæo, Dactylo, atque iterum Spondæo, ut:

Exer — cete ju – vv ventam —

Ca-

Catullus tamen in prima ſede frequentiùs Trochæum collocat, veluti:

Lute - v um pede - vv ſoccum —
Frige - v rans Aga - vv nippe —
Semper - v ingene - vv rari —
Soſpi - v tes ope - vv gentem —

quandoque etiam Jambum, ut:

Puel v - leque ca - vv namus —
Hymen v - o Hyme - vv næe —

ſemel ſecundo loco Spondæum poſuit:

Nutri - v unt hu — more —

Hoc genere verſus bis utitur, nempe in duabus Odis, de quibus paulò ante, quarum prima eſt Dicolos Tetraſtrophos, altera Dicolos Pentaſtrophos.

Duodecimi generis eſt Hexameter, cujus notiſſima ſtructura. Catullus non raró adhibet Spondæum pro Dactylo in quinta ſede, veluti:

Tempe — quæ ſil — væ cin — gunt ſuper - vv impen — dentes —
Non priùs - vv ex il — lo fla — grantia - vv decli — navit —
Eruit - vv illa pro - vv cul ra — dicibus - vv extur — bata —

Hoc genere verſus utitur Catullus bis perpetuâ ſerie, Carm. 61. *Veſper adeſt, juvenes conſurgite, Veſper Olympo.*
63. *Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.*
alternatim verò cum Pentametro, à carmine 64. uſque ad finem libri.

Decimi tertii generis eſt Pentameter Elegiacus æquè notus. Eſt autem Catullus in hoc genere duriuſculus; qualia enim ſunt illa!

Troja virûm, & virtutum omnium acerba cinis.
Divûm ad fallendos numine abuſum homines.
Verè, quantùm à me Lesbia amata mea es.
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

Et ſi qua ſunt alia.

Decimi quarti generis eſt Galliambicus, ita dictus, quòd caneretur à Gallis ſacerdotibus Magnæ Matris. Conſtat

ſex

ſex pedibus, quorum primus frequentiùs eſt Anapæſtus vv- aliquandò tamen Spondæus, Tribrachys vvv, vel Proceleuſmaticus vvvv; ſecundus ferè Jambus, rariùs Anapæſtus, Tribrachys, vel Dactylus; tertius ſemper Jambus; quartus Dactylus, vel Spondæus; quintus ſæpe Dactylus, quandoque Creticus -v-, ultimus Anapæſtus, & interdum Jambus Cretico præcedente. Exempla rem ſatis obſcuram dilucidabunt:

Pepulit vv- que no v-cti sum v- bras uege-vv tis ſoni-vv pedibus vv-
Tibi — cen ubi vv-canit v-Phryx cur — uo graue -vv calamo vv-
Ibi mari vvvv a uas v-ta ui v-ſens lacry - vv manibus -vv oculis vv-
Patria vvv o mea-vv crea v-trix patri-vv x o mea-vv genetrix vv-
Ibi jam vv-Eta juga vvv reſol v-uens Cybe-vv le leo-v-nibus v-
Alie vv- na quæ v-peten v-tes uelut-vv exules-v-loca v-
Itaque ut vv-domum v-Cybel v-les teti-vv gere las-v-ſulæ v-

Catullus hoc genere verſus utitur ſemel

Carm. 62. *Super alta vectus Atys celeri rate maria.*



TY-

Typographica σφάλματα graviora, quæ nobis abſentibus in hoc Opuſculum irrepſere, ita corriges, amice Lector.

Pag. 4. columna 1. Obſerv. lin. 28. *pro* hi verſiculi ſunt	*lege* hic verſiculus eſt.
7. col. 2. l. 1. *ſempter*	*ſemper*
26. col. 1. l. 15. *varicus*, & *varibus* in aliquibus tantùm Exempl.	*varius*
33. col. 2. l. 14. l. 2.	l. 3.
57. col. 2. l. 1. κκκόδαιμον.	κκκοδαίμων.
76. col. 2. l. 26. ſcrupos	ſcrupos
82. poſt CARMEN LX. omiſſus eſt titulus:	*IN NUPTIAS JULIÆ ET MANLII.*
120. col. 2. l. 2. ἀλορῶπ	ἀπορῶπ
122. in contextu l. 15. Jacchus	Iacchus
182. col. 2. l. 1. *TELA ſtant*	*ſtant TELA*
l. 9. *TELUque* in aliquibus tantùm Exempl.	*TELUMque*
190. col. 1. l. 9. ἀλοκαλεῖς	ἀποκαλεῖς
236. in contextu l. 11. duti	du i
248. col. 2. l 7. μέγ ἀφαίνετο	μέγα φαίνετο
293. col. 2 l. 18. λοποθεῶσιν	λοπ θίωσιν
433. in contextu l. 3. Non tm nocturnâ in aliquibus tantùm Exempl.	Non tam nocturnâ
476. v. 1. Eleg. XXIII. amori.	amori?

Pag. 54. colum. 1. Obſerv. locus ille, quem ex Julio Obſequente produxi, eſt Corradi Lycoſthenis, qui Obſequentem interpolavit. Et hoc volebas neſcius ne eſſes. Vale.

C. VALERII CATULLI
VERONENSIS
LIBER.



C. VALERII CATULLI VERONENSIS LIBER.

CARMEN I.

Dedicat libellum suum Cornelio Nepoti Chronicorum Scriptori.

CUi dono lepidum novum libellum,
Aridâ modò pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis,
Doc-

OBSERVATIONES.

V. 6. TRibus chartis] Omninò dimoveri non possum, quin eorum Interpretum sententiæ accedam, quibus *tres chartæ*, sunt exiguæ molis libellus. Eò me vel invitum impellit tum consuetudo bonorum scriptorum, qui non absimiliter locuti videntur, tum etiam locus Propertii, cui, alioquin subobscuro, explicatio ista non exiguam lucem afferet. Catullus igitur c. 78. quod observatum ab Achille Statio, opinionem nostram astruit, cum ita in Gellium:

Doctis, Jupiter! & laboriosis!
Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est;

OBSERVATIONES.

Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si TRIA notorum suaviis repperit.

En vides *tria* usurpari pro paucis Plautus Mil. Gl. A. 4. sc. 2.

MI. *cedo te mihi solus solum.*
PA. *Brevin'an longinquo sermone?*
MI. *TRIBUS verbis.*

Terentius Phorm. Act. 4. sc. 3.

Ut est ille bonus vir, TRIA non commutabitis
Verba hodie inter vos.

& apertè Ovidius Eleg. 3. l. 4. de Ponto:

Si mihi robur opum nullum, facilisque ferebas:
Venisset verbis charta notata TRIBUS!

nisi dicamus, Ovidium ab amico instabili hoc saltem optare, ut epistolam sibi mittat nihil præterea continentem: QUID AGIT NASO? eodem pacto, quo Cicero epist. 19. l. 9. *Ego autem tribus primis verbis: QUID NOSTER POETUS?* Sed venio ad Propertium, cujus ex Elegia 10. l. 2. hi versiculi sunt, dubii sanè intellectus:

Sat sit magna, mei si TRES sint pompa libelli.

Loquitur de funere, quod sibi post obitum parari velit: cumque ipse fumosis majorum imaginibus careat, quas ante lectulum defuncti longa serie præferri mos erat, ait tibi satis futuros paucos libellos, puta Callimachi, Philetæ, vel aliorum poëtarum, quibus legendis, ac terendis assiduè tempus insumpserat. Quod ne suspicatus quidem Scaliger, anxiè quærebat, quid sibi vellent libelli tres, nondum absoluto secundo: non etenim necesse est explicare de illis, quos Propertius ipse edidisset. Nec te moveatur, mi lector, *vò mei*; nam ut ait Martialis quodam Epig. *Quod emis, possis dicere jure tuum.* Et profectò auctores illos, quos sibi quisque imitandos proposuisset, inter majores numerari solitos ostendimus ad Eleg. 1. l. 4. ejusdem poëtæ, v. 79. Huc facit animosum Senecæ dictum Epist. 44. ad Lucilium de generis obscuritate dolentem: *Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi majores tui sunt, si te illis generis dignum.* L. verò Apulejus Apolog. ita disertè scribit: *Legas veterum Philosophorum monumenta: tandem ut intelligas, non me primum hæc requisisse; sed jam pridem majores meos: Aristotelem dico, & Theophrastum, & Eudemum, & Lyconem, cæterosque Platonis minores.*

Qualecumque: quod, ô Patrima Virgo,
Plus uno maneat perenne sæclo.

CARMEN II.

Passerem Lesbiæ suæ delicias poëticè alloquitur.

PAsser deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in sinu tenere;
Cui primum digitum dare adpetenti,
Et acres solet incitare morsus:
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari,
Ut solatiolum sui doloris,
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor:
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi levare curas!

Tam

OBSERVATIONES.

Nulla verò imago dignior effingi potest ad nominis memoriam producendam, quàm opus litterarium: in eo enim apparet vis ingenii, cui satis exprimendæ clarissimorum artificum instrumenta neutiquam apta censentur. Idcirco verissimè Ovidius citatus l. 1. Tristium, El. 6.

Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Cara relegati, quà potes, ora vides.
Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere forsan:
Quàm procul à nobis Naso sodalis abest!
Grata tua est pietas: sed carmina major imago
Sunt mea; quæ mando qualiacumque legas.

Hæc pluribus prosecutus sum, quia necessaria duxi ad Propertium rectè intelligendum.

CARM. II. v. 7. *Ut solatiolum*] Josepho Scaligero Criticorum sui temporis facile principi hæc videntur corruptissima, si quæ alia in

Ca-

Tam gratum mihi, quàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam solüit diu ligatam.

CARMEN III.

Passeris obitum lamentatur.

LUgete, ô Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum;
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat;
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quàm puella matrem:
Nec se se à gremio illius movebat,

Sedi

OBSERVATIONES.

Catullo: & propterea ita corrigit, partim ex membranis, partim ex ingenio:

Et solatiolum sui doloris
Credunt, cum gravis acquiescit ardor.

Credunt sine recto casu, quemadmodum apud Propertium El. 5. l. 2.

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes.

At mihi (pace dicam tantæ umbræ) vulgata lectio magis arridet, eamque intellectu faciliorem dijudico; non sum enim ex illorum numero, qui nodum in scirpo quærunt.

CARM. III. v. 6) *suamque norat*] Ordo Syntaxeos paulò turbatior; sic autem concinnabis: *& norat ipsam tam bene, quàm puella matrem suam.* Inversionem hujusmodi observo apud Horatium Ode 23. l. 1.

Tandem desine matrem Tempestiva sequi viro. ubi τὸ *sequi* quàm male collocatum sit, nemo non videt. Ovid. etiam idem peccavit (si modò peccatum est) Amorum l. 1 Eleg. 6.

Quam, face, sustineo, tecta superba petam.

i. e. *face, quam sustineo.* Lucanus quoque lib. 1. v. 84.

Hem,

Sed circumsiliens modò huc, modò illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat:
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis malè sit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum malè! ô miselle passer,
Tuâ nunc operâ meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

CAR-

OBSERVATIONES.

Heu, quantum terræ potuit, pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!

i.e. *hoc sanguine, quem hauserunt dextræ civiles.*

V. 11. *Qui nunc it per iter*] Poëtarum vanitas eò usque devenit, ut vel avicularum umbras ad Elysios migrare docerent. Ovidius Amorum l. 2. Eleg. 6. de morte Psittaci:

Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet;
Udaque perpetuo gramine terra viret.
Si qua fides dubiis, volucrum locus ille piarum
Dicitur, obscœnæ quo prohibentur aves.
Illic innocui latè pascuntur olores;
Et vivax phœnix, unica semper avis.
Spectat & ipsa suas ales Junonia pennas:
Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter nemorali sede receptus
Convertit volucres in sua verba pias.

Quam opinionem leviter attingit suavissimus Tibullus Eleg. 3. l. 1. sedes hasce fortunatorum describens:

Hic choreæ, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.

V. 16. *O factum malè!*] Cicero ad Atticum l. 15. Epist. 1. *O FACTUM MALE de Alexione!*

CARMEN IV.

Phasellum quemdam emeritum ab origine, celeritate, itineribus laudat, Diisque servatoribus consecrat.

PHasellus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire: sive palmulis
Opus foret volare; sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum;
Ubi iste, post phasellus, antea fuit
Comata silva; nam Cythorio in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit comâ.
Amastri Pontica, & Cythore buxifer,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phasellus: ultimâ ex origine

OBSERVATIONES.

CARM. IV. v. 1. *Quem videtis*] δεικτικῶς, ut infra c. 20.

Agellulum hunc, sinistra tute
QUEM VIDES.

& Plautus in prologo Captiv.

Hi, QUOS VIDETIS stare hic captivos duos.

v. 10. *Iste, post phasellus*] Ita locuti contubernales poetæ. Tibullus Eleg. 4. l. 1.

Vidi jam juvenem, premeret cum serior ætas.

hoc est, qui nuper in ætatis flore cōstitutus fuerat. Propert. Eleg. 19. l. 2.

Redde etiam excubias Divæ nunc, ante juvencæ.

id est Isidi, quæ olim vaccæ figuram prætulit.

Tuo ſtetiſse dicit in cacumine:
Tuo imbuiſse palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
Herum tuliſse: læva, ſive dextera
Vocaret aura, ſive utrumque Jupiter
Simul ſecundus incidiſset in pedem;
Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi eſse facta, cum veniret à mare
Noviſſimo hunc ad uſque limpidum lacum.
Sed hæc priùs fuere: nunc reconditâ
Senet quiete, ſeque dedicat tibi
Gemelle Caſtor, & gemelle Caſtoris.

CARMEN V.

Admonitu mortis puellam ad fruendas ſecum voluptates cohortatur.

VIvamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoreſque ſenum ſeveriorum
Omnes unius æſtimemus aſſis.

SOLES

OBSERVATIONES.

V. 24. *Noviſſimo*] Cur Pontus Euxinus dicatur mare noviſſimum, nemo ſatis dilucidè explicavit. Sed ratio eſt in promptu: eſt enim receſſus ultimus Mediterranei maris, ſi unam tantummodò excipias Mæotidem, quæ paludis nomine venit. Incipit verò Mediterraneum a freto Gaditano, & ad Tanaim uſque protenditur.

V. 25. *Sed hæc priùs fuere*] Tibullus Eleg. 5. l. 2. *Hæc fuerunt olim.*

CARM. V. v. 1. *atque amemus*] Abſolutè poſuit *amemus*. ita & Salluſt. de bello Jugurth. in orat. Marii ad Quirites; *Quin ergo, quod juvat,* *quod*

SOLES occidere, & redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mî basia mille, deinde centum;
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum.
Dein, cum millia multa fecerîmus,
Conturbabimus illa; ne sciamus:
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

CARMEN VI.

Colligit amorem Flavii turpem esse, quem ille amico detegere nollet.

FLavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verùm nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.

Nam,

OBSERVATIONES.

quod carum æstumant, id semper faciant: AMENT; *potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri, & turpissimæ parti corporis.*

CARM. VI. v. 4. *febriculosi scorti*] Quale nobis graphicè describit auctor obscœni carminis;

Uvis aridior puella passis,
Buxo pallidior, novaque cera:
Collatas sibi quæ, suisque membris,
Formicas facit altiles videri:
Cujus viscera non aperta Thuscus
Per pellem poterit videre aruspex &c.

V. 12. *nil*

Nam te non viduas jacere noctes
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertis, ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peræquè, & hìc, & illìc
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio, inambulatioque.
Nam nil prævalet ista, nil, tacere;
Cur nunc tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quidquid habes boni, malique,
Dic nobis; volo te, ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare versu.

CARMEN VII.

Innumeram osculorum segetem à Lesbia petit.

QUæris, quot mihi basiationes
Tuæ, Lesbia, sint satis, superque?
Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis,

Ora-

OBSERVATIONES.

v. 12. *nil prævalet ista, nil, tacere.*] Sequor lectionem, quam excudi curavit magni nominis Criticus Joannes Georgius Grævius: minimum enim recedit à vestigiis priscæ scripturæ, & simul continet optimam sententiam. Catulli mens est; Nihil agis, ô Flavi, amores tuos me celando, nihil porrò agis: Repetitio ista τῦ *nil* efficacem habet significationem, ut *non non* apud Propertium. Additur autem verbo *valet* particula *præ*, quia comparatur silentium Flavii cum apertis libidinis indiciis, adversùs quæ ridiculum est omnino tacere.

CARM.

Oraclum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum:
Aut quàm sidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores:
Tam te basia multa basiare
Vesano satis, & super Catullo est,
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

CARMEN VIII.

Cum animadverteret se ab amicâ contemni, & ipse parem illi gratiam referre statuit.

MIser Catulle desinas ineptire,
Et quod vides periisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas, quò puella ducebat
Amata nobis, quantùm amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.

Ful-

OBSERVATIONES.

CARM.VII.v.7. *Aut quàm sidera*] Hoc poëtis noræ melioris non infrequens. Papinius Statius I. Achilleidos (si bene memini) ubi Achilles stuprum infert Deidamiæ:

—— risit chorus omnis ab alto
Astrorum, & teneræ rubuerunt cornua Lunæ.

& Franciscus Petrarca omnino ad gustum Catulli (p. 1. canz. 3.)

Con lei foss'io da che si parte il sole,
E non ci vedess'altri, che le stelle,
Sol una notte, e mai non fosse l'alba!

CARM.VIII.v.7. *nec nolebat*] Parissime Petronius in re prorsus detestabili; *At ille non indelectatus nequitia*

Fulsere verè candidi tibi soles. (sis,
Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens ne
Nec, quæ fugit, sectare, nec miser vive:
Sed obstinatâ mente perfer, obdura.
Vale puella, jam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.
Scelesta rere, quæ tibi manet vita:
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cujus esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

CARMEN IX.

Lætatur, Verannium salvum ex Hispania rediisse.

VERanni, omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis:
Venistine domum ad tuos penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti. ô mihi nuntii beati!

Visam

OBSERVATIONES.

quitia mea; ubi velim advertas novæ dictionis licentiam, quæ à pædagogulis, credo, tuta non erit. Hoc, ajunt, Cicero nunquam dixit, & idcirco transverso calamo delendum. Id genus hominum apud similis farinæ plebeculam plurimi fit: solidæ autem eruditionis viris lusui, & contemptui est.

CARM. IX. v. 1. *Veranni*] Confer hanc lepidissimam Veronensis nostri gratulationem, cum Horatianâ, super amici Plotii Numidæ reditu ex Hispaniâ, Ode 36. l. 1.

CARM.

Visam te incolumem, audiamque Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus: applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est, beatiusve?

CARMEN X.

Narrat, quâ ratione scortilli Varriani cupiditatem eluserit.

Varrus me meus ad suos amores
Visum duxerat è foro otiosum:
Scortillum, ut mihi tum repentè visum est,
Non sanè illepidum, nec invenustum.
Huc ut venimus, incidère nobis
Sermones varii: in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodò se haberet,
Et quantùm mihi profuisset ære.
Respondi, id quod erat: mihi neque ipsi,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret:
Præsertim, quibus esset irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certè tamen, inquiit, quod illic
Natum dicitur, ære comparasti
Ad lecticam homines. ego, ut puellæ
Unum

Unum me facerem beatiorem;
Non, inquam, mihi tam fuit malignè,
Ut, provincia quòd mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mî nullus erat nec hìc, neque illìc,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hìc illa, ut decuit cinædiorem:
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulùm
Istos; commodò nam volo ad Serapin
Deferri. mane, inquio puellæ:
Istud, quod modò dixeram me habere,
Fugit me ratio: meus sodalis
Cinna est Caïus: is sibi paravit.
Verùm utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quàm mihi pararim;
Sed tu insulsa malè, & molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. X. v. 23. *In collo sibi collocare*] Non est hic dicendi modus Catullo singularis, prior enim Plautus Epidico Act. 3. sc. 2. *Ipse in meo COLLO tuus pater crurinam COLLOCAVIT.*

CARM.

CARMEN XI.

Furio, & Aurelio mandat, ut suo ipsius nomine puellæ infideli valedicant.

FUri, & Aureli, comites Catulli:
Sive in extremos penetrarit Indos,
Litus ut longè resonante Eoâ
Tunditur undâ:
Sive in Hircanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive, quà septemgeminus colorat
Æquora Nilus:
Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monumenta magni
Gallicum Rhenum, horribilesque, ultimosque Britannos:
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cælitum, tentare simul parati;
Pauca nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta:
Cum suis vivat, valeatque mœchis,

Quos

OBSERVATIONES.

CARM. XI. v. 16. *non bona dicta*] Turnus apud Virgilium l. 12. Æneid. v. 75.
Nuncius hæc Idmon Phrygio mea DICTA Tyranno
Haud placitura refer ——
quæ unicè Catulli mentem aperiunt: & si dixerim ab ipso mutuata, non valdè fallar; Fuit enim Maro nobilium poëtarum qui ante se decesserant, perpetuus æmulator.

v. 17. *vivat, valeatque*] Idem Virgilius in Pharmaceutriâ, ex persona

Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans verè, sed identidem omnium
Ilia rumpens:
Nec meum respectet, ut ante, amorem;
Qui illius culpâ cecidit, velut prati
Ultimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

CARMEN XII.

Asinium furem ad rapta sudaria sibi remittenda minanter hortatur.

MArrucine Asini, manu sinistrâ
Non bellè uteris in joco, atque vino:
Tollis

OBSERVATIONES.

sonâ pastoris jam jam morituri: *VIVITE silvæ*. Nos Itali sic efferremus vulgari sermone: *Addio, restatevi in pace*.

V. 19. *identidem omnium Ilia rumpens*] Penè risum mihi movit Achillis interpretatio, qui ait *rumpere ilia* esse *agere aliquem rabie ac furore*, citatque perperam illud Maronis: *rumpantur ut ilia Codro*; quod quàm sit dissimile, nemo non videt. Hic autem *rumpere ilia* obscœnum est, salvâque verecundiâ explicari non potest. vide Carmen 79. infra. Sententia est: Nullum sincero amore prosecuta, ut solent meretrices; cum singulis tamen subinde stupri consuetudinem habens.

V. 23. *prætereunte postquam &c.*] Muretus malè: *Ultimos prati flores vocamus, qui sunt proximè viam: ii autem ferè aut viatorum pedibus, aut curruum prætereuntium rotis obteri solent*. Ut concedam sic esse, Catullum id significare abnuo: hic enim audimus aratri mentionem fieri, & ideo necesse est pratum arvo proximum, non viæ publicæ intelligere.

CARM. XII. v. 1. *manu sinistra*] Lævam furto infamem ex pluribus auctorum locis cognoscimus. Inde Aiax Ovidianus 13. Metamor-

Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res, & invenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit; est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet æstimatione,
Verùm est mnemosynon mei sodalis;

Nam

OBSERVATIONES.

ph. cæteris convitiis, quæ in Ulyssem ingerit, hoc addit:

Nec clypeus vasti cælatus imagine mundi
Conveniet timidæ, nataque ad furta SINISTRÆ.

Ex quo moro lucem capit Plautus in Epidico Act. 1. sc. 1. ubi duo conservi scurriles jocos inter se miscent:

EP. *Corpulentior videre, atque habitior.* TH. *huic gratia.*
EP. *Quam quidem te jamdiu deperdidisse oportuit.*

Huic gratia pronunciandum est δεικτικῶς, & ostendenda sinistra manus, cui scilicet furcifer ille bonam corporis habitudinē debebat.

v. 8. *leporum disertus*] Sermo insolens videtur Passeratio; at ego puto dictum, quemadmodum illud Horatii: *cum famulis operum solutis.*

v. 12. *Quod me non movet æstimatione*] Non eò mendicitatis perveni, ut sudarii jacturam magnoperè doleam. Propertius l. 2. Eleg. 16.

Ah peream, si me ista MOVENT dispendia: verùm
Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.

& in carmine libero:

Nec MOVET amissi tam me jactura, pudorque,
Quàm præbent justos altera tela metus.

Denique Arbiter in Satyr. *Non tam jactura me MOVET, quàm negligentia nequissimi servi.*

v. 13. *mnemosynon mei sodalis*] Munus, quod amici memoriam refricare valeat. Virgilius 5. Æneidos

Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. hoc amem necesse est,
Et Veranniolum meum, & Fabullum.

CARMEN XIII.

Ad cœnam jocosâ lege Fabullum invitat.

CÆnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cænam, non sine candidâ puellâ,
Et vino, & sale, & omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster.
Cænabis bene, nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius, elegantiusve est.
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinesque:
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

CAR-

OBSERVATIONES.

dos *monumentum* vocat:
Cratera impressum signis: quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum & pignus amoris.

CARM. XIII. v. 2. *Paucis diebus*] Idest, paucos post dies. Propertius Eleg. 14. l. 2.
Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum PAUCIS me tibi luciferis.

CARM.

CARMEN XIV.

Calvo Licinio, quòd sibi malorum poëtarum carmina dono misisset, facetè irascitur.

NI te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam, quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot malè perderes poëtis?
Isti Dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.

Quid

OBSERVATIONES.

CARM. XIV. v. 3. *Odissem odio*] Sapit quiddam peregrinum locutio ista, qualis illa in Evangelio Lucæ c. 22. *Desiderio desideravi hanc cœnam manducare vobiscũ.* & sexcenta hujusmodi in scripturis, ἐμφατικῶς. Sed & Cicero Philippicâ 14. *ejusque copias*, inquit, *occidione occiderit.*

v. 4. *Nam, quid feci ego*] Causas infortunii, quod sibi accidisset, investigat etiam Tibullus Eleg. 5. l. 1. juxta collocationem Scaligeri:

Num Veneris magnæ violavi numina verbo,
Et mea nunc pœnas impia lingua luit? &c.

v. 7. *impiorum*] Bene monuerunt Critici *pium*, & *impium* poëtam Catullo *doctum*, & *indoctum* esse: rationem verò nullam afferunt; ii saltem, quos vidi. Observandum est, poëtica studia *sacra* passim vocari, poetas verò *sacerdotes.* Virgilius 2. Georgicon:

Me verò primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant ———

Propertius Eleg. 1. l. 3.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

Quos igitur nascentes Musæ placido lumine non vidissent, nec sacer ille spiritus afflaret, sine quo nihil cedro dignum paginis committi potest, tamen invito Apolline carmen tentantes, *impios* meritò appellat Catullus. Hinc Horatio novam facem accendo, qui Ode 17. l. 1. sic exsultabundus:

Dii

Quòd si, ut suspicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator:
Non est mî malè, sed bene, ac beatè,
Quòd non dispereunt tui labores.
Dii magni horribilem, & sacrum libellum!
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.
Non non hoc tibi, salse, sic abibit:
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poëtæ.

CAR.

OBSERVATIONES.

Dii me tuentur: Diis PIETAS mea
Et Musa cordi est ———
vides conjungi Musæ pietatem. Et Maroni, qui 6. Æneid. vers. 662. unicè firmat explicationem nostram. Audi: *Quique PII vates, & Phœbo digna locuti*. Sed heu, quantum impiorum etiam nostra sæcula tulerunt! Nominibus parco, tantùm hoc ajo:
Scribimus indocti, doctique poemata passim.

CARMEN XV.

Petit ab Aurelio, ut manus seorsum habeat à puero suo: si secus fecerit, mulctam indicit.

Commendo tibi me, ac meos amores,
Aureli: veniam peto pudentem,
Ut, si quidquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, & integellum,
Conserves puerum mihi pudicè:
Non dico à populo; nihil veremur
Istos, qui in plateâ modò huc, modò illuc
In re prætereunt suâ occupati;
Verum à te metuo, tuoque pene,
Infesto pueris bonis, malisque;
Quem tu, quà lubet, ut lubet, moveto
Quantum vis, ubi erit foris, paratum;
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter:
Quòd si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, scelefte, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas,
Ah tum te miserum, malique fati!
Quem attractis pedibus, patente portâ,
Percurrent raphanique, mugilesque.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. XV. v. 3. *si quidquam animo tuo cupisti*] Optima sanè ratio aliquid impetrandi, cum eum, à quo expetimus, carissimorum pignorum admonemus. Virg. XII. Æneid. ex ore Turni letum à se deprecãtis:

—— fuis & tibi talis
Anchises genitor ——

v. 19. *Percurrent*] Obscœnissimum est. Epigramma in Chloën Mar-

CARMEN XVI.

Furio, & Aurelio quiddam turpe comminatur, quòd è mollibus versiculis se minùs pudicum existimassent.

PÆdicabò ego vos, & irrumabo,
Aureli pathice, & cinæde Furi:
Qui me ex versiculis meis putastis,
Quòd sint molliculi, parùm pudicum.
Nam *CASTUM esse decet pium poëtam*
Ipsum, versiculos nihil necesse est;
Qui tum denique habent salem, ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parùm pudici,
Et quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed iis pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quòd millia multa basiorum

Le-

OBSERVATIONES.

Martiali falsò adscriptum:

Lascivo ganymede cales: te quilibet intrat.

quod verbum paris nequitiæ.

CARM. XVI. v. 1. *Pædicabo ego vos*] Ut scilicet re ipsâ experiri possitis me marem esse, qualem antea non putabaris. Ita carminis obscœni auctor:

Hic me femines esse non spadonem.

v. 4. *parùm pudicum*] Impudicus apud priscos habebatur, non scortator, aut mœchus, sed tantummodò, qui alienam libidinem excipiebat. Citatus auctor in Priapum:

Si fur veneris, impudicus ibis.

Indè impudicitia magis propria feminarum.

v. 9. *quod pruriat, incitare*] Acriter Persius in poëtas corruptores 1. *Sat.*

——— *cum carmina lumbum*
Intrant, & tenero scalpuntur ubi intima versu.

v. 12. *millia multa basiorum*] Meum carmen ad Lesbiam 5. & 7.

Legiſtis, malè me marem putaſtis,
Si qui fortè mearum ineptiarum
Lectores eritis, manuſque veſtras
Non horrebitis admovere nobis:
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

CARMEN XVII.

Coloniam rogat, ut de ſuo ipſa ponte ſtolidiſſimum quemdam hominem Veronenſem in paludem mitti patiatur.

O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
Et ſalire paratum habes, ſed vereris inepta
Crura ponticuli adſulitantis, irredivivus
Ne

OBSERVATIONES.

V. 13. *malè marem*] Cinædum veſtri ſimilem. Ovidius in Artibus:

Et ſi quis MALE vir quæris habere virum.

V. 14. *Si qui fortè*] Expungunt nonnulli tres iſtos verſiculos ab albo hujus Epigrammatis, veluti minùs ad rem, quâ de agitur, pertinentes: verùm injuriâ; pergit enim Catullus alloqui Aurelium, & Furium. Sententia eſt: vos, improbi exoleti, conjecturam facitis ex laſciviâ verſuum meorum, me quoque eſſe perditæ nequitiæ: ſed nihilominùs mea ſcripta prurientes legitis; aut igitur manus ab iis removete, aut, ſi volvere non deſinitis, porrò ſupplicium expectate. Particula *ſi* ſuperabundat, ut ſæpiuſcule apud Propertium:

Nec SI qua Arabio lucet bombyce puella.

Nec SI qua illuſtres fœmina jactat avos.

SI qua venis ſerò, magna ruina venit.

Pedo Albinovanus Elegiâ de morte Mæcenatis:

Vivaceſque magis cervos decet eſſe paventes,
SI quorum in torva cornua fronte rigent.

CARM. XVII. v. 3. *irredivivus*] Non inſtauratitius. Hujuſmodi
epi-

Ne supinus eat, cavâque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedesq;
Verum totius ut lacus, putidæque paludis
Lividissima, maximèque est profunda vorago:
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Cui cum sit viridissimo nupta flore puella,

Et

OBSERVATIONES.

epitheta rebus inanimis attribui consuetum est, præsertim à poëtis. Juvenalis 6. Sat.

Ac velut exhausta REDIVIVUS pullulet arca
Nummus ———

v.7. *Munus*] Acutè simul, & verè notavit Statius, intelligendum hoc cum respectu ad munera publicæ lætitiæ, quæ à prætoribus, vel illustribus viris, exhiberi populo solebant. Lege Svetonium in Cæsaribus, nec non Spartianum, Lampridium, Capitolinum, & socios, apud quos passim de talibus habetur sermo.

v.9. *præcipitem per caputque, pedesque*] Attingit vocis ethymologiam: *præceps* enim dicitur, quasi *præmisso capite*, ut *biceps*, monstrum duobus capitibus insigne &c.

v. 14. *viridissimo flore*] Viripotens, ut loquuntur J.C. annisque ad pariendum gestientibus. *FLOS* pro ætatis vigore frequenter usurpatur. Ovidius 7. Metamor. v. 215.

Nunc opus est succis, per quos renovata senectus
In FLOREM redeat ———

& 2 de Arte v. 665. loquens de puellâ senescente:

Præcipuè si FLORE caret, meliusque peractum
Tempus; & albentes jam legit illa comas.

Cui concinit lepidissimus Arbiter in Satyr. *Matrona inter primas honesta, Philumene nomine, quæ multas sæpe hæreditates officio ætatis extorserat, tum anus, & FLORIS extincti.* Plinius quoque Epist. 21. l. 4. *Ita mihi luctuosum videtur, quod puellas honestissimas in FLORE primo fecunditas abstulit.*

v. 16.

Et puella tenellulo delicatior hædo,
Asservanda nigerrimis diligentiùs uvis:
Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se sublevat ex sua parte: sed velut alnus
In fossâ Liguri jacet suppernata securi,
Tātundē omnia sentiens, quā si nulla sit usquā:
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Hunc ego volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repentè excitare veternum,
Et supinum animū in gravi derelinquere cœno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

CAR-

OBSERVATIONES.

v. 16. *nigerrimis diligentiùs uvis*] Sedeamus ad calculos, & videamus numquid altioris intellectus insit sub hac similitudine, quam cæteri intactam relinquunt. Horatius Ode 5. l. 2. comparat puellam jugo nuptiali nondum idoneam uvæ acerbæ, monetque amicum, vel se ipsum (nam id satis exploratum non est) ad ejus desiderium ponendum. Flacci verba sunt:

—— tolle cupidinem
Immitis UVÆ: jam tibi lividos
Distinguet Autumnus racemos,
Purpureo varius colore.

Ut autem vites æstivo tempore, cum fructus ineptos gustui sustinent, minori diligentiâ custodiuntur, quàm Autumno, cum uvæ dulcedo viatores ad furandum allicit: ita puellæ rudes amorum, ob ætatis teneritudinem, non ita servantur, ut illæ grandiores, quarum *in cor Veneris dulcedinis gutta stillavit*. Etenim auctore Aristotele l. 7. de historia animalium c. 1. virgunculis ingens adhibenda custodia est, cum ubera primùm turgescere incipiunt, & menstruæ purgationes effluere, & vox in asperiorem sonum mutari. *Nigerrimæ*, igitur *uvæ* sunt ad plenam maturitatem Solis calore perductæ: primùm enim virent, deinde livescunt, ultimò nigrescunt.

v. 18 *Nec se sublevat*] Quid sit hoc, lector ipse per se suspicari potest.

CARM.

CARMEN XVIII.

Priapo silvam dedicat.

HUnc lucum tibi dedico, consecroque, Priape,
Quà domus tua Lampsaci est, quàque silva, Priape,
Nam te præcipuè in suis urbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. XVIII. v. 3. *ora Hellespontia*] Videndus Natalis Comes lib. 5. Mythologiæ c. 15. ubi Priapi fabulam, sive historiam persequitur. Nam, ut veram historiam potiùs rear, impellor auctoritate Prudentii, Christianorum poëtarum elegantissimi, cujus carmina huc pertinentia ex lib. 1. contra Symmachum non gravabor adscribere:

Ecce deum in numero formatus, & aneus adstat
Grajus homo, augustaque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
Hortorumque opibus memorabilis: hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticolas vexare lupas, interque salicta,
Et densas sæpes, obscœna cubilia inire:
Indomitum intendens animum, semperque paratum
Adfacinus, numquam calidis dabat otia venis.
Hic deus è patrio prænobilis HELLESPONTO
Venit ad usque Italos sacris cum turpibus hortos:
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, & ruris servat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.

Plures etiam Priapos memorat auctor liberi carminis illo versiculo:

Najadas antiqui, Dryadasque habuere Priapi.

Quòd fortasse homines mutonis magnitudine, vel ardore libidinis, præcellentes, non alio nomine appellari solerent. Notum est illud Sidonii Apollinaris carm. 9. de Petronio:

Et te Massiliensium per hortos
Sacri stipitis, Arbiter, colonum,
HELLESPONTIACO parem Priapo.

CARM.

CARMEN XIX.

Inducitur Priapus Hortorum Deus fures admonens, ut ab hortulo sibi commisso manus abstineant.

HUnc ego, juvenes, locũ, villulamque palustrẽ,
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rusticâ conformata securi
Nutrivi: magis, & magis ut beata quotannis;
Hujus nam domini colunt me, Deumq; salutant,
Pauperis tugurii pater, filiusque coloni:
Alter assiduâ colens diligentiâ, ut herba
Dumosa, asperaque à meo sit remota sacello:
Alter parva ferens manu semper munera largâ.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenerâ virens spica mollis aristâ:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, & suaveolentia mala,
Uva pampineâ rubens educata sub umbrâ.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram

Bar-

OBSERVATIONES.

CARM. XIX. v. 15. *sed tacebitis*] Cur Priapus vetet, ne hujusmodi sacrificia, & hircorum jugulationes in vulgus proferantur, non adeo compertum est. Eorum sententiam cadere necesse est, qui cum Livinejo existimarunt, majoribus tantùm Diis hostias mactare licitum fuisse; non item his pusillis, & ruricolis; quis enim ignorat, Priapum apud veteres asini sanguine publice placari solitum? Immo Poliænus Petronianus hircum, & porcellum lactentem Priapo vovet, ut sibi nervos restituat. En tibi versus:

Non sine honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
Sancte, tuas hircus: pecoris pater

Barbatus linit hirculus, cornipesve capella;
Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc, ô pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, neglegensque Priapus. 26
Inde sumite; semita hæc deinde vos feret ipsa.

CARMEN XX.

Idem rapaci viatori pœnam condicit.

EGo hæc, ego arte fabricata rusticâ,
Ego arida, ô viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistrâ tute quem vides,
Heri-

OBSERVATIONES.

ter ibit ad aras
Corniger, & querula fetus suis, hostia lactens.

Igitur, si verum invenire volumus, aliò confugere oportet. Nocturno plurimum tempore sacris Priapi operabatur antiquitas: eóque meretriculæ profligati pudoris, & fœminis viri molliores confluebant, ubi nullus flagitiis modus, & obscœnissima pervigilia. Audi carmen liberum:

Cum sacrum fieret Deo salaci,
Conducta est pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura &c.

Quapropter consciis tam turpium sacrorum nihil magis commendabatur, quàm silentium. Quartilla meretrix apud Petronium cit. *Major in præcordiis dolor sævit, qui me usque ad necessitatem mortis deducit, ne scilicet juvenili impulsi licentia, quod in sacello Priapi vidistis, vulgetis, Deorumque consilia proferatis in populum. Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque, & oro, ne nocturnas religiones jocum risumque faciatis: neve traducere velitis tot annorum secreta, quæ mystæ vix omnes noverunt.* Hinc facile colligere potes, mi lector, Priapum taceri velle polluta hæc sacrificia, quæ severos homines ad iracundiam & vindictam provocassent. His porrò similia sunt, quæ narrat Livius de Bacchanalib. l. 39.

CARM.

Herisque villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur:
Mihi rubens arista sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram,
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem.
Prom', viator, hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis: hoc tibi expedit;
Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis; ac pol ecce, villicus
Venit, valente cui revulsa brachio
Fit ista mentula, apta clava dexteræ.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. XX. v. 13. *Gravem ære dexteram*] Virgilius Eclogâ 1.

Non unquam GRAVIS ÆRE domum mihi DEXTRA redibat.

v. 18. *Crux*] Non ineptè jocosum illud supplicium *crucem* vocat; & quidem acutam fuisse convenit, de quâ Seneca in Consolat. ad Martiam: *Video istic CRUCES, nec unius generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite converso in terram suspendere, alii per obscœna stipitem egerunt.* Et Mœcenas apud eundem Senecâ citatus Epist. 101.

Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam CRUCE, sustine.

Qui mos occidendi noxios apud inhumanissimum Turcarum populum etiamnunc viget.

v. 19. *Velim pol, inquis*] Indicat hominem impudicum. Sic auctor di-

CARMEN XXI.

In Aurelium pauperem, puero suo insidias instruentem.

AUreli, pater esuritionum,
Non harum modò, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis:
Pædicare cupis meos amores,
Nec clam: nam simul exjocaris unà,
Hærens ad latus omnia experibis.
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te priùs irrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem:
Nunc ipsum id doleo, quòd esurire
Ne meus puer, & sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico:
Ne finem facias, sed irrumatus.

CAR-

OBSERVATIONES.

liberi carminis:

Quidam mollior anseris medulla
Furatum venit huc, amore pœnæ.

& alibi:

Nimirū apertā convolatis ad panā,
Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

CAR XXI. v. 8 *Tangam*] TANGERE in re libidinis usitatissimum est scriptoribus priscis. Ovidius 3. Metamorph. de Narcisso:

Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ.
Sed (fuit in tenera tam dura superbia forma)
Nulli illum juvenes, nullæ TETIGERE puellæ.

Hinc intactus pro pudico. Propertius l. 2. Eleg. ult.

Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.

Magnam segetem exemplorum coacervare possem, sed consultò prætermitto, ne lectorem altiùs properantem detineam.

v. 13. *Ne finem facias*] subaudi *tandem.*

CARM.

CARMEN XXII.

Ad Varrum.

Mali poëtæ Suffeni, mirè sibiipsi placentis, ridiculam φιλαυτίαν describit.

SUffenus iste, Varre, quem probè nosti,
Homo est venustus, & dicax, & urbanus,

Idem-

OBSERVATIONES.

CARM. XXII. v. 1. *Suffenus*] Placet referre verba Fulvii Ursini lib. de Familiis Romanorum, in gente Nonia: *Reperitur*, inquit, *in antiquis denariis SEXT. NONIUS SUFFENAS, qui prætor ludos votivos fecerit. Ac fortasse is est, cujus meminit Catullus ille versu ad Varrum:*

Suffenas iste, Varre, quem probè nosti.

Ita enim legendum est; non, ut in vulgatis libris, SUFFENUS. Quem jure merito reprehendit Scaliger his verbis, licet dissimulato nomine: *SUFFENAS, ait quidã hic legendũ, sed delirat; quomodò enim constaret versus?* Addo ego, Ursini lectionem omnino labefactari Catulli versu, qui sequitur infra:

Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis ——

At, si primo versu poëta scripsisset *Suffenas*, ut somniabat Ursinus, quarto casu non *Suffenum*, at *Suffenatem* posuisset, ut inflexionis ratio clarè postulat.

v. 2. *dicax*] Qui salsa in quemlibet dicteria jactat. Porrò adjectiva nomina, quæ desinunt in *ax* vim significant ejus rei, in qua unusquisque maximè præstat: veluti *fallax, mendax, procax, pertinax*, & centena id genus. Ovidius de Arte l. 1. versu 423.

Institor ad dominam veniet discinctus emacem,

id est ad puellam multivolam, quæ integra patrimonia corpore circumferre non dubitat: quæ, ut amatoris loculos emungat, novam quotidie causam emendi secum ipsa meditatur. Sed illustrior locus est ejusdem poëtæ l. 2. Fastorum, ubi sacra Charistia describit:

Innocui veniant: procul hinc, procul, impius esto
Frater, & in partus mater acerba suos:

Cui

Idemque longè plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc cum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantùm abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modò scurra,
(Aut, si quid hac re tritius) videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poëmata attigit: neque idem unquam
Æquè

OBSERVATIONES.

Cui pater est vivax, qui matris digerit annos.

Longè absit, inquit, cui senecta patris molesta est: qui cum ultra debitum tempus vitam obstinatè trahere conqueritur. Horatius pariter Sat. 1. l. 2.

—— Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem, nil faciet sceleris pia dextera. mirum.
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

V. 6. *chartæ regiæ*] Puto de illis poëtam intelligere, quæ *majores* appellantur in lemmate apposito Disticho Martialis 8. in Apophoretis.

V. 10. *fossor*] Opponitur *urbano*: rustici enim homines animo supino, & simpliciori solent esse. Appositè Persius 1. Sat.

—— nec, cum sis cætera FOSSOR,
Tres tantùm ad numeros Satyri movenre Bathylli.

V. 13. *Si quid hac re tritius*] Hìc aqua hæret interpretibus: ego brevitate, qua soleo, nodum extricare contendam. *Tero* verbum ad extremam nequitiam non rarò accōmodatur, ut patet ex Propertii versiculo, l. 2. Eleg. 9.

Et famulos inter femina TRITA suos.

& passim ex Martiali. Pueri autem meritorii, quos lautorum quisque (honos sit auribus)

tur-

Æquè est beatus, ac poëma cum scribit.
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
NIMIRUM idem omnes fallimur, neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

CARMEN XXIII.

Ut mendicum Furium irrideat, commoda paupertatis ironicè recenset.

FUri, cui neque servus est, neque arca,
Nec cimex; nec araneus, nec ignis:
Verùm est & pater, & noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,

Et

OBSERVATIONES.

turpiter terebat, salibus, & scommatibus in conviviis gratiam domini sibi conciliabant. Hi verò ex Ægypto plurimùm accersebantur. Testis Quintilianus l. 1. Institut. c. 3. ubi pessimam liberorum educationem sugillat: *Si quid licentius*, inquit, *dixerint, verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu, & osculo excipimus*: Vides hìc ex Alexandria Ægypti Romam advectos servos dicaculos, & impudentes; Quod confirmat cit. Martialis Epig. 42. l. 4.

Si quis fortè mihi posset præstare roganti:
Audi quem puerum, Flacce, rogare velim.
Niliacis primùm puer hic nascatur in oris;
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Idem alibi vocat *buccam cinædi locutacem*. Tacitè igitur Catullus notat Suffenum impudicitiæ, cum eum scurræ nomine appellat: deinde subdit: *si quid hac re tritius*, cinædi enim tritissimi.

CARM.

Et cum conjuge ligneâ parentis,
Nec mirum; bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis;
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora ficciora cornu,
(Aut, si quid magis aridum est) habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.
Quare non tibi sit bene, ac beatè?
A te sudor abest, abest saliva,
Muccusque, & mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est,
Nec toto decies cacas in anno;
Atque id durius est fabâ, & lupinis:
Quod

OBSERVATIONES.

CARM. XXIII. v. 8. *Pulchre concoquitis*] Sane cruditate laborare nequeunt, quibus vix est, quo rabidam orexin pellant.

v. 9. *Non incendia*] Quæ tamen Romæ frequentissima, ut refert Juvenalis 3. Sat.

v. 11. *casus alios periculorum*] Ita Propertius Eleg. 19. l. 3.

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

v. 14. *Sole, & frigore*] Papinius Statius l. 2. Achilleidos:

——— *durataque multo*
Sole, geluque cutis ———

v. 16. *A te sudor abest*] Cicero 5. Tuscul. modici victus utilitates enumerans, eadem ferè ait, quæ Catullus: *Adde SICCITATEM, quæ consequitur hanc continentiam in victu: adde integritatem VALETUDINIS. Confer SUDANTES, ructantes, refertos epulis, tanquam opimos boves: tum intelliges, qui voluptatem maximè sequantur, eos minime consequi, jucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate.*

v. 21. *lupinis*] Ita legit Hottoma-

Quod tu si manibus teras, fricesque,
Non unquam digitum inquinare possis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi.
Et sestertia, quæ soles precari,
Centum, desine; nam sat es beatus.

CARMEN XXIV.

Expostulat cum Juventio puero, quòd, se posthabito, pauperi cuipiam florem ætatis fruendum præbuisset.

O Qui flosculus es Juventiorum,
Non horum modò, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis:
Mallem delicias mihi dedisses,
Quàm isti, cui neque servus est, nec arca:
Quàm sic te sineres ab illo amari.
Qui? non est homo bellus, inquies? est:
Sed bello huic neque servus est, neque arca.

Hæc

OBSERVATIONES.

manus, quem sequor. Vulgati libri habent *lapillis*.

CARM. XXIV. v. 6. *te sineres amari*] Ovidius Epist. Sapphûs: *Non, ut ames, oro, verùm ut AMARE SINAS*.

v. 8. *bello huic neque servus est, neque arca*] Non habet, quo pretium Veneris persolvat. Pueri autem pathici mercedulam officii ab amatoribus exigebant. Cicero 2. in Antonium acerbissime: *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. primò vulgare scortum: certa flagitii merces, nec ea parva: sed citò Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit &c.* Idipsum attigit Aristophanes in Pluto Act. 1. sc. 2. postquam locutus fuisset de mulier-

cula-

Hæc tu quàm lubet, abjice, elevaque:
Nec servum tamen ille habet, neque arcam.

C A R M E N XXV.

Thallo furunculo flagella minatur, ni surreptum pallium, & quædam alia sibi remittat.

CInæde Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullulâ, vel imulâ oricillâ,
Vel pene languido senis, situque araneoso:
Idemque Thalle, turbidâ rapacior procellâ,

Cum

O B S E R V A T I O N E S.

culatum cupiditate:

Καὶ τούς γε παῖδάς φασι ταὐτὸ τοῦτο δρᾷν.
Οὐ τῶν ἐραστῶν, ἀλλὰ τ' ἀργυρίου χάριν.
Hoc ipsum ajunt facere pueros tenellulos,
Non propter amatores, sed quæstus gratia.

Fortasse non aliâ ratione explicandum est illud Pauli Apostoli ad Romanos c. I. v. 27. quod ita vertit vulgatus interpres: *Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis ad invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Alii aliter interpretantur.

v. 9. *Hæc tu, quàm lubet, abjice*] Licet divitias contemnas, & simul monita mea, turpe tamen est te ingenuum adolescentulum pauperrimi hominis contubernio obsolescere, cum ab honestioribus gratiam inire possis.

CARM. XXV. v. I. *cuniculi capillo*] Sic auctor obscœni carminis alicubi lanuginem inguinum CAPILLOS vocat.

v. 4. *Idemque Thalle*] Subdolè Ovidius hinc videtur derivasse, quæ Polyphemus in Galateam convitia ingerit, & quidem post varias laudes: licet suo more θέμα latissimè prosequatur. Formula certè Catulliana est:

Candidior nivei folio, Galatea, ligustri,
Floridior pratis, longâ procerior alno,

 Splen-

Cum de viâ mulier alites ostendit oscitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque Setabum, catagraphosque Thynos,
Inepte, quæ palam soles habere, tanquam avita:

Quæ

OBSERVATIONES.

Splendidior vitro, tenero lascivior
hædo &c.

& paulò post:

Sævior indomitis, EADEM Galatea, juvencis,
Durior annosa quercu, fallacior undis &c.

v. 5. *de via mulier*] Emendatio Scaligeri; legunt alii *Diva Mater*, & interpretantur de Thetyde maris dominâ, cujus est imminentes tempestates præmonstrare. Tu, lector, selige quod mavis.

v. 6. *pallium, quod involasti*] Quatuor fuisse palliorum genera scriptores veteres evolventi compertum est. Primum, idque celebratissimum, quo Græci supra tunicam utebantur, quemadmodum Romani togâ. Legendus Tertullianus opere singulari, quod inscripsit *de pallio*. Alterum inter vestes matronales, à palla non diversum, teste Nonio Marcello. Ovidius ad puellam cursum equorum spectantem, Amorum l. 3. Eleg. 2.

Sed nimiùm demissa jacent tibi
PALLIA terræ.
Collige: vel digitis en ego tollo meis,

Tertium stragula vestis, sive ad lectum operiendum. Propertius:

Tum queror in toto non sidere PALLIA lecto.
Fecerunt tepidas PALLIA nostra vias.

Ultimum sudarioli genus, quo ægri, vel feminæ, virique molliores caput obnubebant adversùs aëris injurias. De hoc explicandus Martialis l. 9 Epig. 33:

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

& Ovid. citatus Artis Amatoriæ lib. 1.

Ægrum te facito simules, nec turpe putaris.
PALLIOLUM nitidis imposuisse comis.

Nunc inquiramus, quale fuerit pallium, quod sibi Catullus ait à Thallo surreptum. Non profectò primi generis, nec enim Græcus poëta noster: non secundi, aut tertii, quoniam voluminis majoris ea erant, quàm ut pueri *vola* conderentur; si quidem à *vola* dictum *involare* juxta Grammaticos veteres. Superest igitur, ut dicamus fuisse velum capitis, quod pugillo nullo negotio contineretur.

v. 7. *catagraphosque Thynos*] Thynia Bithyniæ contermina regio:

cata-

Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latusculum, natesque mollicellas,
Illusa turpiter tibi flagella conscribillent.
Et insolenter æstues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

CARMEN XXVI.

Furio sciscitanti, cui vento villa sua obnoxia esset, per dilogiam facetè respondet.

FUri, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favonî,
Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ:
Verùm ad millia quindecim, & ducentos.
O ventum horribilem, atque pestilentem!

OBSERVATIONES.

catagraphi autem Thyni, sunt homines ejus regionis, vestibus, seu peripetasmatis intexti. Virgilius 3. Georg.

Purpurea intexti tollunt aulæa Britanni.

quod jam alii monuerunt, sed *thynnos* perperam legentes.

v. 9. *reglutina*] Furum enim picatæ manus.

v. 11. *conscribillent*] Lacerent, veluti cera graphio scinditur. Vide Prudentium in supplicio Cassiani Martyris Hymn. 9. περὶ στεφάνων Huc pertinet, quòd à γράφω *scribo* videtur deductum Italum verbum *graffiare*, ob ἀναλογίαν.

v. 13. *Deprensa navis in mari*] Horatius Ode 16. l. 2.

*Otium Divos rogat in patenti
PRENSUS Ægæo* ——

CARM. XXVI. v. 4. *Verùm ad millia*] Jocus ex inexpectato. Interrogaverat Furius Catullum, cui vento ejus villa opposita esset, sive in quam cæli regionem spectaret: poëta, ut erat festivo ingenio, & ad jocandum parato, respondet pignori oppositam esse, ob certam pecuniæ summam, de quâ dividiæ

CARMEN XXVII.

Cyathos meri vividioris à ministro poscit.

Minister vetuli puer Falerni,
Inger mî calices amariores,
Ut lex Posthumiæ jubet magistræ,
Ebriosâ acinâ ebriosioris.
At vos, quò lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, & ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

CAR-

OBSERVATIONES.

magnæ inter Criticos. Legunt nonnulli *quindecim, & ducenta*. Nos lectionem Scaligeri sequimur, veterum Codd. auctoritate subnixam. Consulendus Gronovii liber de pecunia veteri. Cæterùm *opponere pignori* dixit etiam Terentius Phormione Act. 4. sc. 3. *Ager OPPOSITUS est pignori ob decem minas*.

CARM. XXVII. v. 2. *calices amariores*] Saporis austerioris, qualem vina contrahunt è vetustate. v. Starii notas, qui affert Plinii testimonia.

v. 4. *Ebriosa acina ebriosioris*] Indicat feminam convivio præfectam adeò temulentam fuisse, ut ne ipsis quidem acinis in uvæ succo immersis madore cederet. Hic autem *acina* est secundi generis, ut innuit Gellius Noct. Att. c. l. 7. c. 20.

v. 5. *lymphæ vini pernicies*] Contra Propertius. 2. Eleg. 22.

Ah pereat quicunque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.

CARM.

CARMEN XXVIII.

Amicorum, & suam ipsius, in sequendis pretoribus fortunam sinistram indignatur.

PIsonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappâ, frigoraque, & famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus

Præ-

OBSERVATIONES.

CARM.XXVIII. v.2. *Aptis sarcinulis*] *Aptus est is, qui convenienter alicui junctus est*, auctore Festo. Irridet igitur Catullus sodales suos, qui ea in Italiam retulerant, unde nihil impedimenti eorum itineri obveniret. Eadem ferè sententiâ Juven. Sat. 6.

Collige SARCINULAS, dicet libertus, & exi.

Loquitur de libello repudii, quem uxoribus mariti mittere soliti erãt, si quando illos conjugii pœnituisset. Indicat autem mulierem fuisse dote tenuiori. Sed magis apparet *apti* significatio ex voce *habilis*, quæ non diversæ significationis est. Virgilius 1. Æneidos:

——habilemque humeris suspenderat arcum.

Italicè diceres: *fatto à suo dosso*. Et Ovidius de quadam pusillæ staturæ Amor 2 Eleg. 4.

Hæc habilis brevitate sua est ——

verte: *maneggevole*. Quam versionem confirmo ex Virgilio cit. 2. Georgicon versu 248.

Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud unquam MANIBUS JACTATA fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit HABENDO.

vides *habere* & *manibus jactare* nihil prorsus differre in hac sententia. *Habilis* autem ab *habeo*, ut vel pueris notum.

v.7. *expensum*]. Subaudi *vobis à pretore*.

v.8. *da-*

Prætorem, refero datum lucello:
O Memmi, bene me, ac diu supinum
Totâ istâ trabe lentius irrumasti;
Sed, quantùm video, pari fuistis
Casu; nam nihilo minore verpâ
Farti estis. pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dii, Deæque
Dent, opprobria Romuli, Remique.

CAR-

OBSERVATIONES.

v.8. *datum lucello*] Subaudi *mihi à pretore meo.*

v.9 *O Memmi*] Hæc sunt verba, quæ Catullus in syngraphâ scripsit: nihil enim aliud potuit referre acceptum stolidissimo Memmio. Josephus Scaliger, quâ erat judicii dexteritate, ista pulcherrimè concinnavit, cum essent antea pessimè divulsa. Miror autem viros, alioqui doctos, repertos, quibus hujusmodi emendationes improbarentur, cum, ausim dicere, si Catullus ab inferis resurgeret, optimè secum actum non invitus fateretur.

Ibid. *supinum*] Quæ sequuntur μεταφορικῶς accipienda, ut egregiè advertit laudatus vir. *Supinus* hic est *incogitans, se ludificari patiens.*

v.11. *Sed, quantum video*] Convertit sermonem ad amicos.

v.13. *pete nobiles amicos*] Indignabundè hoc pronunciandum, q.d. I nunc, sequere prætores. Propertius ita se ipsum increpat Eleg. 20. l.2.

I nunc, & noctes disce manere domi.

v.14. *vobis*] Piso, & Memmi, spurcissima capita. O lepidum profectò Catullum! accedant modò qui Martialem præ illo amplectuntur.



CARM.

CARMEN XXIX.

Mamurram præfectum fabrorum Cæsaris, (ut è Cornelio Nepote Plinius refert l. *36.* c. *6.*) *ad immensas opes evectum, moxque ipsum Cæsarem probris omnibus proscindit.*

QUis hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi impudicus, & vorax, & helluo?
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat unctum, & ultima Britannia?
Cinæde Romule hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & helluo.
Et ille nunc ſuperbus, & ſuperfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?

Ci-

OBSERVATIONES.

CARM. XXIX. v. 5. *Cinæde Romule*] Juli Cæſar, qui clavum Reipublicæ moderaris. *Romuli* vocabantur κατ' ἐξοχὴν, qui aliquam egregiam operam patriæ navaſſent. Salluſtius Criſpus 1. Hiſtoriarum in oratione Lepidi contra Sullam: *Quæ cuncta ſævus iſte* ROMULUS, *quaſi ab externis rapta, tenet*. Idem adversùs Ciceronem (ſi tamen Salluſtii eſt ea declamatio) *ORO te*, ROMULE *Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Fabios, Scipiones ſuperaſti*. Hæc tamen ſtomachabundè, & ironicè jacta ſunt in æmulos. Addo Florum cap. ultimo l. 4. qui de Octaviano Cæſare ita: *Tractatum etiam in Senatu, an, quia condidiſſet Imperium, ROMULUS vocaretur*. Svetonius in ejus vita c. 7. *Quibuſdam cenſentibus ROMULUM appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem urbis*.

Ibid. *hæc videbis, & feres?*] Similis indignatio Juvenalis 13. Sat.

——— *audis*
Jupiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel ahenens?

v. 11. *Et*

Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & helluo.
Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultimâ occidentis insulâ:
Ut ista vestra diffututa mentula
Ducenties comisset, aut trecenties?
Quid est alid? sinistra liberalitas
Parùm expatravit? ân parùm helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia

Ibe-

OBSERVATIONES.

v. 11. *Es impudicus*] Conclusio syllogismi, dixerat enim supra:

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi impudicus & vorax, & helluo?

Argumentatio hujusmodi est:

PROPOS. *Nemo, præter hominem omni vitiorum genere inquinatissimum, facile pati potest Mamurram ad tantas opes malis artibus emersisse.*

ASSUMP. *Tu Cæsar facile pateris, nam, cum posses prohibere, potentiæ tuæ pepercisti.*

CONCL. *Igitur fateri necesse est nullum esse vitium, cujus tu sordibus fædatus non sis.*

v. 16. *sinistra liberalitas*] Quid hoc rei sit, explicat M. Tullius l. 1. Officiorum: *Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini: quare L. Sullæ, C. CÆSARIS pecuniarum translatio à justis dominis ad alienos non debet LIBERALIS videri: nihil enim LIBERALE, quod non idem sit justum.* Longè diversam elargiendi rationem sequebatur Trajanus optimus Princeps, si Plinio Consuli auscultare velimus. *Nihil magis*, ait Orator elegantissimus, *in tua tota liberalitate laudaverim, quàm quòd congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine, & cædibus nutriuntur: quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum; locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum principem tantùm.* Hæc autem conferre licet cum iis, quæ superiùs dixerat: *Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat &c.*

v. 20. quam

Ibera, quam ſcit amnis aurifer Tagus.
[Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ?]
Quid hunc, malum, fovetis? aut quid hic poteſt,
Niſi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, imperator unice,
Socer, generque perdidiſtis omnia?

CARMEN XXX.

Alphenum perfidiæ crimine incuſat.

ALphene immemor, atque unanimis falſe ſodalibus,
Jam te nil miſeret, dure, tui dulcis amiculi:
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
NEC facta impia fallacum hominum cælicolis placent;

Quæ

OBSERVATIONES.

v. 20. *quam ſcit amnis aurifer Tagus*] Male aliqui legunt, *quam auxit;* nam & carm. 4. utitur teſtimoni rerum inanimarum:

Amaſtri Pontica, & Cythore buxifer,
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait phaſellus ——

v. 21. *Hunc Galliæ timent*] Non immeritò dubitat Scaliger de hujus verſiculi fide, nimis enim ſententiam interrumpit.

v. 23. *Niſi uncta devorare patrim.*] Horatius Epiſt. 2. l. 1. ad Lollium:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

v. 24. *Eone nomine*] Tantæ igitur molis erat Mamurram locupletari, ut ideo Cæſar, & Pompei, Rempublicam ex imo fundo miſcere deberetis? O turpiſſimum exitum veſtri certaminis! Ejuſdem generis ſunt illa Juvenalis in Annibalem Sat. 10.

—— *i demens, & ſævas curre per Alpes,*
Ut pueris placeas, & declamatio fias.

CARM. XXX. v. 4 *Quæ tu negligis*] Quibus concoquendis ferreum ſtomachum habes: quæ jam pro luſibus æſtimas. Salomon Proverb. c. 18. v. 3. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

v. 8.

Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Heu heu, quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidem?
Certè tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mî forent.
Idem nũc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre, & nebulas aërias finis.
Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides,
Quæ te ut pœniteat postmodò facti faciet tui.

CARMEN XXXI.

E Bithynia hilariter domum suam se recipiens, Sirmionem lacus Benaci peninsulam amœnissimam salutat.

PEninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:

Quàm

OBSERVATIONES.

v.8. *Inducens in amorem*] Tibullus Eleg.7. l. 1.

Semper, ut INDUCAR, blandos offers mihi vultus,
Post tamen es misero tristis & asper, Amor.

Ibid. *tuta omnia*] Vide interpretes ad illud Maronis 4. Æn. v.298.

Omnia tuta timens ——

v. 11. *Si tu oblitus es, at Dii meminerunt*] Par est omnino locus Virgilii 1. Æneid.

SI genus humanum, & mortalia temnitis arma.
AT sperate Deos MEMORES fandi atque nefandi.

Ibid. *meminit Fides*] Fidem apud Romanos divinis honoribus cultam cum aliunde cognoscere licet, tum ex Juvenali apertum fit, qui Sat. 1.

—— *nullas nummorum ereximus aras,*
Ut colitur Pax, atque FIDES ——

CARM.

Quàm te libenter, quàmque lætus inviso,
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis,
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto?
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve ô venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vosque Ludiæ lacus undæ:
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Carmen XXXII.

Hypsithillam rogat, ut sibi post prandium concubitus copiam faciat.

AMabò, mea dulcis Hypsithilla,
Meæ deliciæ, mei lepôres,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod si jusseris, illud adjuvato,

Ne

OBSERVATIONES.

CARM. XXXI. v. 7. *O quid solutis*] Non video cur tantoperè à viris eruditis rejicienda fuerit nota interrogationis, quæ hunc versiculum proximè subsequebatur: cum præferrim ita explicari possit: *O quid felicius est illis, qui soluti sunt curis?* Piget me, tædetque, Douzampatrem, è sanctiore litteratorum familia, nodum in scirpo quæsivisse.

v. 13. *Ludiæ lacus undæ*] Emendavit Scaliger, cum antea legeretur *Lydiæ*. *Ludiæ* igitur erunt *saltatrices*, vel à motu piscium, vel à vento suaviter crispante.

CARM.

Ne quis liminis obſeret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, pareſque nobis
Septem continuas fututiones.
Verùm, ſi quid ages, ſtatim jubeto:
Nam pranſus jaceo, & ſatur ſupinus
Pertundo tunicamque, palliumque.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. XXXII. v. 8. *Septem continuas*] Lumborum valentium fuiſſe oportet poëtam Veronenſem, qui uno ſpiritu ſtadium laborioſiſſimum toties decurrere ſibi poſtulet: ſed exiſtimo poëticè dictum, quomodò ab Ovidio Amor. 3. El. 7.

At nuper bis flava Chie, ter candida Pitho,
Ter Libas officio CONTINUATA meo.
Exigere à nobis anguſta nocte Corinnam,
Me memini numeros ſuſtinuiſſe novem.

v. 9. *ſi quid ages, ſtatim jubeto*] Huc pertinet Diſtichon Auſonii de tarda gratia:

Si bene quid facias, facias citò. nam citò factum
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

v. 10. *pranſus jaceo*] Ciborum abundantia Venerem dormientem excitare ſolet. Perſius in calce primæ Satyræ luxurioſos quoſdam perſtringens:

His mane edictum, poſt PRANDIA Callirhoën do.

famoſam ſcilicet meretricem. Nec tantùm abſoluto convivio, ſed inter menſam ipſam, & calices, adhibita ſcorta. Lampridius in Heliogabalo: *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, ſed per ſingula lavarent, & mulieribus uterentur & ipſe, & amici, cum jurejurando, quòd efficerent voluptatem.* Quò pertinet illud Plauti Mil. Act. 3. ſc. 1. *Neque ego unquam alienum ſcortum ſubigito in convivio.*

v. 11. *palliumque*] Intellige ſtragula lecti diſcubitorii, aut ſynthesin, quam induebant convivæ.

CAR.

Carmen XXXIII.

In Vibennios patrem, & filium: alterum furem, alterum cinædum.

O Furum optime balneariorum
Vibenni pater, & cinæde fili:
Nam dextrâ pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore:
Cur non exilium, malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo: & nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

Carmen XXXIV.

Dianæ laudes, à choro puerorum & virginum canendæ.

DIanæ sumus in fide
Puellæ, & pueri integri:
[Dianam pueri integri,]
Puellæque canamus.

O La-

Observationes.

CARM. XXXIII. v. 3. *dextra inquinatiore*] Glutinosâ, & merâ pice illitâ. supra carm. 25.

Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte.

CARM. XXXIV. v. 1. *Dianæ sumus in fide*] Idest, Diana tuetur nos, vigilat nostræ incolumitati. Hinc *recipere in* FIDEM apud Ciceronem 1. de Officiis, idest in tutelam: *Et cum iis*, inquit, *quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui, armis positis, ad Imperatorum FIDEM confugient, quamvis murum aries percusse-*

O Latonia, maximi
  Magna progenies Jovis,
  Quam mater prope Deliam
  Deposivit olivam;
Montium domina ut fores,
  Silvarumque virentium,
  Saltuumque reconditorum,
  Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
  Juno dicta puerperis:
  Tu potens Trivia, & notho es
  Dicta lumine Luna.
Tu cursu, Dea, menstruo
  Metiens iter annuum,
  Rustica agricolæ bonis
  Tecta frugibus exples.
Sis quocumque tibi placet

San-

OBSERVATIONES.

cusserit, recipiendi sunt. Propertius l. 4. Eleg. 6.

Vincit Roma FIDE Phœbi.

v. 3. *Dianam pueri integri*] Hic versus in MSS. desideratur, eumque primus impressit A'dus Manutius: verisimile tamen est ita Catullum scripsisse, ob simplicitatem locutionis.

v. 8. *Deposivit*] Sicuti puerperarum erat *deponere*, ita obstetricum *tollere*, vel *suscipere*. Exempla in auctoribus obvia.

v. 15. *& notho es d. l. L.*] Luna ipsa apud Lucianum in Icaromenippo, de Philosophis conquerens: ἐπὶ τελευταῖς δὲ, καὶ τὸ ΦΩΣ αὐτὸ, κλοπιμαῖόν τε καὶ ΝΟ'ΘΟΝ εἶναι φασί μοι, ἄνωθεν ἧκον, παρὰ τοῦ ἡλίου. *Postremò ipsū quoque LUMEN ajunt mihi & furtivum esse, & NOTHUM: quodque supernè à Sole proficiscatur.*

v. 20. *Tecta frugibus exples*] Plinius l. 18. c. 30. *Crescente enim Luna frumenta grandescunt.*

v. 21. *quocumque tibi placet*] Horatius

Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut solita es, bonâ
Sospites ope gentem.

CARMEN XXXV.

Cæcilium poëtam Novocomo, ubi puellæ cujusdam amoribus vacabat, Veronam accersit.

POëtæ tenero meo sodali
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus;
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas injiciens, roget morari:
Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam, quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo misellæ

Ignes

OBSERVATIONES.

ratius pariter carmine seculari:
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

CARM. XXXV. v. 14. ex eo] Virgilius 2. Æneidos:
Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Omnia ——
& Propertius Eleg. 20. l. 2.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi Sapphicâ puella
Musâ doctior, est enim venustè
Magna Cæcilio inchoata mater.

CARMEN XXXVI.

Voverat puella, si mitem Catullum habuisset, mali poëtæ scripta igni se daturam: nunc itaque Catullus reconciliatus, ut eam voti religione solvat, Annales Volusii cremandos ait.

ANnales Volusî, cacata charta,
Votum solvite pro meâ puellâ;
Nam sanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemque truces vibrare jambos,
Electissima pessimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam.
Infelicibus ustulanda lignis.
Et hæc pessima se puella vidit

Ip-

OBSERVATIONES.

CARM. XXXVI. v. 9. *pessima puella*] Vox blanditiarum τὸ *pessima.* sic infra carm. 55.

Camerium mihi, pessimæ puellæ.

Jocis liberioribus amici uti consueverunt inter se, qui, si ex inimici ore prodirent, contumeliosi haberentur. Optimè igitur, & moratè Terentius, apud quem Eunucho Act. 3. sc. 4. Antipho adolescens Chæream sodalem suum facetè illudit:

Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.

Ibid.

Jocosè, & lepidè vovere Divis.
Nunc, ô cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Uriosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Durrachium Adriæ tabernam:
Acceptum face, redditumque votum,
Si non illepidum, neque invenustum est.
At vos interea venite in ignem
Pleni ruris, & inficetiarum
Annales Volusî, cacata charta.

Carmen XXXVII.

Contubernalibus quibusdam, qui puellam ab ipso transfugam detinebant, ultionem minatur.

SAlax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, & putare cæteros hircos?

An,

OBSERVATIONES.

Ibid. *vidit*] Arbitror dictum pro *curavit*, quemadmodùm Cicero Academic. Quæst. ed. 1. l. 2. n. 6. *Nec quidquam aliud VIDENDUM est nobis, quos populus Romanus hoc in gradu collocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahemus.* Vel sic: vidit callida puella Volusii annales esse poëmatum omnium ineptissimum, ideoque non alia carmina, sed tantùm illos Vulcano vovit.

CARM. XXXVII. v. 2. *pileatis fratribus*] Pausanias in rebus Mes-

An, continenter quòd sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me unà ducentos irrumare sessores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
Amata tantùm, quantùm amabitur nulla,
Pro quâ mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni, beatique
Omnes amatis: & quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, & semitarii mœchi.
Tu præter omnes une de capillatis

Cu-

OBSERVATIONES.

scenicis describit nobis Gotippum & Panormum, Dioscuros se esse simulantes, gestantesque idcircò ἐπὶ τῆς κεφαλαῖς πίλους. *pileos in capitibus.*

v. 6. *continenter*] Deinceps, perpetuâ serie. Ut autem Catullus de loco, ita Cæsar l. 1. Belli Gallici de tempore idem adverbium usurpavit: *Proximi sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum CONTINENTER bellum gerunt.* & Julius Obsequens de prodigiis c. 36. *In Albano monte biduum CONTINENTER lapidibus pluit.*

v. 8. *irrumare*] Pro nihilo habere; hic enim obscœnum verbum contemptum significat, accipiturque translatè, ut rectè admonuit Scaliger.

v. 11. *quæ meo sinu fugit*] Hinc arbitror jocum quæsitum à Cicerone Act. 3. in Verrem n. 18. *Calumniatores*, inquit, *EX SINU SUO appositis, qui illam hæreditatem Veneri Erycinæ commissam esse dicerent.* Explicant interpretes *de suis familiaribus*, ego tamen censeo intelligendos exoletos, inter quos Verres ille spurcissimè volutabatur. Sciunt omnes Tullium hujusmodi salibus non pepercisse, cum illud monstrum hominis incesseret. Vide Ciacconium de triclinio, ubi explicat, quid sit IN SINU recùbere.

v. 16. *semitarii mœchi*] Qui meretrices consectamini, obolo in angiportis prostantes. Semita est deflexus à via, ut licet ex Plauto cognoscere, qui Casinâ: *De via in semitam*

Cuniculosæ Celtiberiæ fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens Iberâ defricatus urinâ.

CARMEN XXXVIII.

Conqueritur de Cornificio, quòd se mœrore confectum nullo sermone solatus esset.

MAlè est, Cornifici, tuo Catullo:
Malè est mehercule, & laboriosè:
Magisque, & magis in dies, & horas.
Irascor tibi. Sic meos amores?
Quem tu, quod minimum, facillimumque est,
Qua solatus es adlocutione?
Paulùm quid lubet adlocutionis,
Mœstius lacrymis Simonideis.

CAR-

OBSERVATIONES.

mitam regredere. Phædrus prologo l. 3. loquens de Æsopo fabulatore:

Ego illius porro semita feci viam,
Et cogitavi plura, quàm reliquerat.

CARM. XXXVIII. v. 4. *sic meos amores?*] Ellipsis ad vim doloris ostendendam; sic autem supplenda sententia: Itane, ô Cornifici, veteris necessitudinis, quæ mecum tibi intercedit, sanctissimum vinculum despicatui habes, ut mihi in tantis miseriis posito brevem aliquam allocutionem negare veritus non sis?

v. 5. *quod minimum, facillimumque*] Verba etenim minime sumptuosa.

v. 6. *allocutione*] *Alloqui* nonnunquam sumitur pro *solari*. Ovidius Tristium l. 1. Eleg. 3.

ALLOQUOR extremùm MOESTOS abiturus amicos

v. 7. *Paulùm quidlibet*] Subaudi *satis fuerat*. Dum hæc lego, videor mihi audire singultientem hominem, cujus oratio frequenti gemitu passim interrumpatur.

CARMEN XXXIX.

Egnatium temerè ubique ridentem, quòd dentium candorem urinæ haustu quæsitum ostenderet, naso suspendit.

EGnatius, quòd candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum filî
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si Urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,

Aut.

OBSERVATIONES.

CARM. XXXIX. v. 5. *Lugetur*] ἀπροσώπως, ut apud Terentium in Andria Act. 1. sc. 1.
——— *ad sepulcrum venimus:*
In ignem posita est: FLETUR ——
ubi Donatus: *Hic bene impersonaliter, fletur ab omnibus; extrema enim quæque mortuorum omnes commovent ad lacrymas.*

v. 10. *Urbanus*] Romanus; Roma enim dicta URBS κατ᾽ ἐξοχήν.

v. 11. *porcus Umber*] Pingui omaso distentus. Horatius Epist. 4. l. 1.
Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises,
Si ridere voles Epicuri de grege PORCUM.
legitur & *parcus*.

v. 14.

Aut quilibet, qui puriter lavit dentes:
Tamen renidere usquequaque te nollem.
NAM risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber in Celtiberiâ terrâ
Quod quisque minxit, hoc solet sibi manè
Dentem, atque russam defricare gingivam;
Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hòc te ampliùs bibisse prædicet loti.

CARMEN XL.

Ravido, si pergat ulteriùs rivalem agere, jamborum suorum virulentiam minatur.

QUænam te mala mens, miselle Ravide,
Agit præcipitem in meos jambos?
Quis Deus tibi non benè advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi?

Quid

OBSERVATIONES.

v. 14. *puriter*] Absque lotio: puta candidico illo *pulvisculo*, de cujus usu Apuleji nomen delatum.

v. 16. *risu inepto*] Quamobrem pueri, & mulierculæ, quibus minùs inest consilii, facillimè in risum dissolvuntur. E contrario Xenocrates notæ severioris Philosophus, caperatâ fronte semper fuit, ut vulgò appellaretur ἀγέλαστος.

CARM. XL. v. 1. *mala mens*] κακοδαίμων. Mirum, quod narrat Florus l. 4. Hist. c. 7. *Ipsique Bruto per noctem, cum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit, &, quæ esset, interrogata; TUUS, inquit, MALUS GENIUS.*

v. 3. *non bene advocatus*] Non ritè. Simile Italorum adagium: *Non ti segnasti bene questa mattina.*

v. 4. *vecordem rixam*] Imparem, in

Quid vis? quàlubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longâ voluisti amare pœnâ.

CARMEN XLI.

Puellam turpiculam, quæ ab ipso immanem summam pro nocte poposcerat, delirare ait.

AH me, an illa puella defututa
Tota, millia me decem poposcit?
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani?
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos, medicosque convocate:

Non.

OBSERVATIONES.

in quâ tibi jugulum præbere necesse fuerit: vel qualis fuit Glauci & Diomedis apud Homer. 6. Iliados, de quâ Horat. Sat. 7. l. 1.

Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultrò
Muneribus missis ———

Lepidè Juvenalis 3. Sat.

Si RIXA est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.

v. 6. *qualubet esse notus optas*] Quacumque ratione. Dummodo famam assequaris, bonane an pessima ea futura sit, minimè solicitus vivis. Infra Epig. 75.

Difficile est longum subitò deponere amorem:
Difficile est; verùm hoc QUALUBET efficias.

CARM. XLI. v. 1. *defututa tota*] *Omnibus mœchis larga* ut ait Martialis, vel cui ne quidem *spiritus purus est*, ut Pet[illegible] Minus placent quæ [illegible] ad *millia*, nam [illegible] Catulli magis [illegible] dolet.

v. 3. *turpiculo naso*] Sima fortasse, quæ [illegible] Hoc vitium in puellis ad venustatem [illegible] insani amatores. Luc[illegible] l. 4.

Simula, σιλλὴ, ac satyra est ——

ut &.

Non est sana puella, nec rogare
Qualis sit, solet hæc imaginosum.

CARMEN XLII.

Hendecasyllabos convocat, ut ad repetenda pugillaria è manu cujusdam impudicæ sibi opem ferant.

ADeste hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Jocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, & reflagitemus.

Quæ

OBSERVATIONES.

v. 8. *Imaginosum*] Post Scaligeri, Mercurialis, aliorumque doctorum virorum super hoc loco diligentissimas animadversiones, merum delirium sit, & porrò non dissimile isti, de quo loquitur Catullus, ulterius garrire. Tamen observo pro coronide, mentionem hujus morbi etiam ab Horatio fieri Epist. 2. l. 2.

—— fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro.

& paulo post

Hic ubi cognatorum opibus, curisque refectus
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

CARM. XLII. v. 1. *Adeste hendecasyllabi*] Ita Martialis Epig. 97. l. 1. alloquitur Scazontem:

Si non molestum est, teque non piget, Scazon,
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.

v. 3. *Jocum me putat esse*] Pupam ceream, de quâ sibi ludos faciat. Horat. Sat. 5. l. 2.

—— hæc mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu SIS JOCUS.

v. 8.

Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimicè, ac molestè,
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, & reflagitate:
Mœcha putida redde codicillos.
Redde putida mœcha codicillos,
Non assis facis? ô lutum, lupanar,
Aut, si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum:
Quòd, si non aliud potest, ruborem

Fer-

OBSERVATIONES.

v.8. *mimicè, ac molestè*] Histrionicè, adeò ut spectantibus nauseam creet. Quid sit hoc, videor eruere ex Svetonio Tiber. c.68. *Incedebat*, inquit, *cervice rigida & obstipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo, aut rarissimo, etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogantiæ plena, & animadvertit Augustus in eo, & excusare tentavit sæpe apud Senatum & populum, professus: Naturæ vitia esse, non animi*. In his Tranquilli verbis *mollis digitorum gesticulatio* totam mimorum rationem designat, nobisque Imperatorem χειρονόμον ob oculos ponit. Cum autem ait *omnia ista* fuisse *ingrata, atque arrogantiæ plena*, unice explicavit τὸ *molestè* Catullianum.

v.9. *Ridentem catuli ore Gallicani*] Canes Gallicos patulo rictu fuisse convenit, idque ad feras mordicùs tenendas. Ovidius 1. Metamorph. v.533.

Ut CANIS in vacuo leporem cum GALLICUS arvo
Vidit; & hic prædam pedibus petit, ille salutem;
Alter inhæsuro similis, jam jamque tenere
Sperat, & extento stringit vestigia rostro &c.

Idem verò l.3. de Arte, ubi varia puellarum vitia enumerat, sic ait:

Est, quæ perverso distorqueat ora cachinno:
Cum risu læta est altera, flere putes.

v.16. *si non aliud potest*] Subaudi *exprimi*.

CARM.

Ferreo canis exprimamus ore,
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos:
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis.
Pudica, & proba redde codicillos.

CARMEN XLIII.

Deformis puellæ, quam audierat cum Lesbia comparari, vitia sigillatim carpit.

SAlve nec nimio puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sanè nimis elegante linguâ,

De-

OBSERVATIONES.

CARM. XLIII. v. 3. *nec ore sicco*] Patum emunctæ naris; vel immundis labiis amatores conspuens. Nisi malis explicare de cerussâ, atque id genus venenis, quæ guttatim è facie defluerent. Elegantissimè Petronius in Satyr. *Perfluebant per frontem sudantis acaciæ rivi, & inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare.* Cui concinit Juvenal. Sat. 6.

hinc miseri viscantur labra mariti.

v. 4. *Nec sanè nimis elegante lingua*] Quod etiam formosis fraudi est. Ovidius citat. 3. de Arte:

Et nocuit formæ BARBARA LINGUA bonæ.

Propertius contra Cynthiam suam audat à sermonis elegantiâ:

Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.

CARM.

Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens, & infacetum!

CARMEN XLIV.

Ad fundum suum, in quo gravedinem, è frigidissimâ Sextii oratione contractam, optimâ victus ratione depulerat.

O Funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.)
Sed seu Sabine, sive veriùs Tiburs,
Fui libenter in tuâ suburbanâ
Villâ, malamque pectore exspui tussim:
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, cænas.
Nam Sextianus dum volo esse conviva

Ora-

OBSERVATIONES.

CARM. XLIV. v. 2. *quibus non est c. C. l.*] Fortasse, quòd Tiburtina prædia fertiliora, & amœniora essent, nihil enim certi affirmare possumus.

v. 10. *conviva*]. Lautiores, qui oratoris vel poetæ nomen affectabant, scripta sua recitaturi amicis, eos ad cænam invitabant, tali officio judicii favorem operi captantes; Quod valde improbat Persius 1. Sat.

—— *calidum scis ponere sumen,*
Scis comitem horridulum trita donare:

Orationem in Attium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me procuravi ocimoque, & urticâ.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quòd non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sextî recepso: quin gravedinem, & tussim
Non mî, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

CAR-

OBSERVATIONES.

mare lacerna,
Es verum, inquis, amo: verum
mihi dicite de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris ——

v. 11. *petitorem*] Magistratum ambientem. Horatius Ode 1. l. 3:
—— *hic generosior*
Descendat in campum PETITOR
in comitia videlicet.

v. 12. *Plenam veneni*] Ineptissimam, & cicutâ frigidiorem. Eo pacto supra carm. 14.
—— *Cæsios, Aquinos,*
Suffenum, omnia colligam VENENA.

v. 15. *procuravi*] Expiavi, veluti fulgure ictum.

v. 17. *quòd non es ulta*] Tussim, & gravedinem alloquitur, aut, si mavis, villam suburbanam.

v. 20. *Non mi, sed ipsi Sextio*] Jocus ex inexpectato. Cæterùm simile prorsus huic Catulliano Epigramma est illud in obscœnis lusibus, ubi malus infecunda colonum suum affatur, quod propter elegantiam totum exscribere non pigebit:

Quid frustra quereris, colone, mecum,
Quòd quondam bene fructuosa malus,
Autumnis sterilis duobus adstem?
Non me prægravat, ut putas, senectus:
Nec sum grandine verberata dura:
Nec gemmas modò germine exeuntes
Seri frigoris ustulavit aura:
Nec venti, pluviæque, siccitasve,
Quod de se quererer, malum dederunt:
Non sturnus mihi, graculusve raptor,
Aut cornix anus, aut aquosus anser,
Aut corvus nocuit siticulosus:
Sed quòd carmina pessimi poetæ
Ramis sustineo laboriosis.

CARM.

CARMEN XLV.

Acmes, & Septimii mutuas blanditias, & felicissimos amores describit.

ACmen Septimius suos amores
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perditè amo, atque amare porrò
Omnes sum assiduè paratus annos,
Quantùm qui pote plurimùm perire:
Solus in Libyâ, Indiâve tostâ,
Cæsio veniam obvius leoni.

Hoc

OBSERVATIONES.

CARM.XLV. v. 6. *Solus in Libya*] Sociorum ope destitutus, in Africæ litoribus desertis.

v. 7. *Cæsio veniam obvius leoni*] Glauci ferarum oculi terribiles occurrentibus solent esse. Pindarus Ode 6. Olymp. στροφ. γ.

— δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν
δαιμόνων βουλαῖσιν ἐ-
θρέψαντο δράκοντες.

Duo verò CÆSII ipsum,
Deorum consiliis, enutriverunt
Dracones.

Huc facit, quod scribit Plinius l. 8. c. 16. *omnem LEONIS vim in oculis constare*, ideoque tenui velamine supra caput injecto, ejus furorem continuò languescere. Cur autem Septimius è tot tantisque periculis, quæ vitæ mortalium insidiantur, Leonis potissimùm meminit? Dicam, lector. consuetudo fuit primùm apud exteros reges, deinde apud Romanos, noxios leonibus devorandos objicere. Inde legimus Lysimachum ob venenum Callistheni datum, jussu Alexandri ferocissimo leoni objectum: quem tamen ille mirâ fortitudine, *arrepta lingua exanimavit*, ut loquitur Justinus l. 15. c. 3. Licet Q. Curtius fabulam hanc esse dicat cap. 1. l. 8. suo more Alexandri crudelitatem celare cupiens. E Latinis verò scriptoribus Lampridius in Commodo inter alias Senatus acclamationes, post obitum illius teterrimi monstri, hancquoque recenset: *Delatores ad LEONEM.* Item Tertullianus libro de spectaculis: *Et qui insigniori cuique homicidæ LEONEM poscit, item gladiatori atroci petat.*

Hæc

Hoc ut dixit, Amor sinistra * ut ante
Dextram sternuit adprobationem.
At Acme, leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata,
Sic, inquit, mea vita Septimille,
Huic uno domino usque serviamus:
Ut multò mihi major, acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante,
Dextram sternuit adprobationem.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Unam Septimius misellus Acmen
Mavult, quàm Syrias, Britanniasque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

CAR-

OBSERVATIONES.

Hæc pluribus exsequi operæ pretium ratus sum, ne quis fortè nimis inconsiderato judicio notam frigiditatis Catullo inureret.

V. 8. *sinistra, ut ante*] Corrupta profectò ista, & legendum *inante*, quo pacto Propertius l. 2. Eleg. 2.

Hic dominam exemplo ponat IN ANTE meam.

V. 11. *ebrios ocellos*] Molliter nutantes. Horatius alio Epitheto idem expressit Ode 36. l. 1.

Omnes in Damalin putres
Deponent oculos ——

Ovidius l. 2. Artis Amatoriæ:

Aspicies oculos tremulo fulgore micantes,
Ut Sol a liquida sæpe refulget aqua.

Persius de quodam tenerrimo recitatore Sat. 1.

 —— li-

CARMEN XLVI.

Vere ineunte Troadem relinquere statuit, & in Bithyniam regredi. Joseph. Scalig.

JAm ver egelidos refert tepores,
Jam cæli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris:
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus urbes.
Jam mens prætrepidans avet vagari:
Jam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longè quos simul à domo profectos,
Diversos variæ viæ reportant.

CAR-

OBSERVATIONES.

—— *liquido cum plasmate guttur*
Mobile colluerit, patranti fractus
ocello.

Quid sit hoc loco τὸ *patranti*, nemo paulò eruditior ignorat.

CARM. XLVI. v. 1. *æquinoctialis*] Video Muretum, & Statium, hoc adjunctum Zephyro tribuere; per me quidem licet, sed ego libentiùs cælo tribuo; sub æquinoctium enim vernum venti vehementiùs flant. Adde quòd oratio concinnior fit.

V. 7. *prætrepidans*] Festinans. Ita Horatius Ode 4. l. 2.

Cujus octavum TREPIDAVIT ætas
claudere lustrum.

Persius cit. *Sat.* 2. *levari PRÆTREPIDUM cor.* id est, mirum in modum gestiens, & lætabundum.

CARM.

CARMEN XLVII.

Indignatur Porcium, & Socrationem nequam homines Verannio, & Fabullo amicis suis à quodam divite præferri.

Porci, & Socration, duæ sinistræ
Pisonis, scabies, famesque Memmi:
Vos Veranniolo meo, & Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumptuosè
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triviis vocationes?

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. XLVII. v. 1. *duæ sinistræ Pisonis*] *Quorum opera furari & compilare solitus Piso*, inquit Passeratius. Optimè. Ita Verrem Siciliæ prætorem, *pluribus canibus, quam Syllam succinctum* vocat Cicero Act. in eum 3. per quos videlicet sociorum facultates deprædaretur.

v. 2. *scabies, famesque*] Intelligo eos fuisse Memmio *A voluptatibus*, qualis erat Neroni C. Petronius, teste Cornelio Tacito Annalium 16. *Scabiem* pro libidine usurpat Martialis l. 11 Epig. 8.

Penelopæ licet esse tibi sub principe Nerva,
Sed prohibet SCABIES, ingeniumque vetus.

Non abs re igitur fuerit hoc nomine appellari nequissimos homines, qui cessantem præteritis pruritum exquisitis urticis, & stimulis excitarent. Famem quoque novis ciborum condimentis instaurari solitam, scimus ex Juvenali Sat. 4. ubi de Montano Senatorum pinguissimo: ——— *noverat ille*

Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque FAMEM, cum pulmo Falerno
Arderet ———

At Heliogabalus *amabat sibi pretia rerum earum majora dici, quæ mensæ parabantur, orexin convivio hanc esse asserens*. verba sunt Lampridii.

v. 7. *Quærunt in triviis*] Domi-

CARMEN XLVIII.

Blanditur Juventio puero.

MEllitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta;
Nec umquam saturum inde cor futurum est,
Non si densior aridis aristis,
Sit nostræ seges osculationis.

CARMEN XLIX.

M. Tullio Ciceroni gratias agit.

DIsertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli;
Quotque post aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poëta:

Tan-

OBSERVATIONES.

cænium scilicet *cane pejus & angue* vitantes.

CARM. XLVIII. v. 4. *Nec umquam saturum*] Isaacus Vossius hunc versiculum ita legit è priscis codd.

Nec umquā inde cro satur futurus. *hiante*, inquit, *syllaba*, *ut solet Catullus*. An bene, judicandum relinquo doctioribus. Cæterùm huc spectant illa venustissima de osculis, quæ habentur in fragmentis Petronianis:

Hic nullus labor est, ruborque nullus:
Hoc juvit, juvat, & diu juvabit:
Hoc non deficit, incipitque semper.

CARM. XLIX. v. 1. *Disertissime R. n.*] Quapropter Cornelius Severus poëta magni spiritus, apud Senecam patrem Suasor. 7 canit mortuo Cicerone obmutuisse Romanam.

Tantò pessimus omnium poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

CARMEN L.

Ad Calvum Licinium: se ita familiaritatem ejus, & convictum deperire, ut ægrè divelli possit.

HEsternò, Licini, die otiosi
Multùm lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse delicatos.
Scribens versiculos uterque nostrûm
Ludebat numero modò hoc, modò illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepòre
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos;
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens vidére lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.

OBSERVATIONES.

nam eloquentiam. Audi versus:

Abstulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ.

Tu lege reliqua, si vacat; pretium enim operæ feceris.

CARM. L. v. 2. *in meis tabellis*] Scribebant veteres in ceratis tabulis, ut lippis ac tonsoribus notum.

v. 3. *Ut*] Pro *ubi*, sic sup. carm. 11.

Litus UT longè resonante Eoa
Tunditur unda.

v. 5. *numero modò hoc*] Vario carminis genere jocabamur ex tempore. Non placet Ursinus, qui in Appendice ad Ciacconium de triclinio, talorum jactum intelligit.

At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poëma feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis: precesque nostras
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat à te.
Est vehemens Dea; lædere hanc caveto.

CARMEN LI.

Supra humanam sortem felices judicat, quibus aspectu Lesbiæ frui contingat: mox, quasi resipiens, otium damnat.

ILle mî par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mî
* *

Lin-

OBSERVATIONES.

V. 18. *Nunc audax cave sis*] Noli superbire, conscius leporis & virtutum tuarum. Solent enim plerumque homines, cum laudantur, cristas tollere. Vide Propertii Eleg. 22. l. 5.

CARM. LI. 8. Hanc lacunam ingeniosè Parthenius expleverat addito versiculo *Quod loquar amens.* At in bonis auctoribus aliquid simile præstare flagitium potiùs est, quàm beneficium: si quidem vetusta

Lingua sed torpet: tenues sub artus
Flamma dimanat: sonitu suopte
Tintinant aures: geminâ teguntur
Lumina nocte.

* *

Videtur deesse integra strophe.

* *

Otium, Catulle, tibi molestum est,
Otio exsultas, nimiùmque gestis:
Otium & reges priùs, & beatas
Perdidit urbes.

CAR-

OBSERVATIONES.

vusta simulacra mutila magis placent, quàm diversi operis additione perfecta. Sed nec unum dumtaxat versum deesse apparet: cum enim Catullus oden poëtriæ Sapphûs Latino carmine vertendam sibi proposuisset, ad finem usque pergere debuit; sunt enim illa, quæ desiderantur, ejusdem ferè argumenti:

Καδ δ' ἴδρως ψυχρὸς χέεται τρόμος δὲ
Πᾶσαν αἱρεῖ χλωροτέρη δὲ ποίας
Ἐμμί. τεθνᾶναι δ' ὀλίγω δέουσα,
Φαίνομαι ἄπνους.

Sic autem interpretatur Henricus Stephanus:

Manat & sudor gelidus, tremorque
Occupat totam: velut herba, pallent
Ora: spirandi neque compos Orco
Proxima creder.

Omnino videndus in hunc locum Isaacus Vossius.

v. 17. *Otium, Catulle*] Increpat se ipsum, quasi veterno amoris excusso. Eodem pacto Virgilius Ecl. 2.

Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?

Theophrastus apud Stobæum serm. 62. interrogatus quid esset Amor, sapientissimè respondit, πάθος ψυχῆς σχολαζούσης. *affectus animæ otiosæ*. Et Franciscus Petrarca delicium Musarum & nostrum ita (nel Trionfo d'Amore c. 1.)

Ei nacque d'OZIO, e di lascivia umana,
Nudrito di pensier dolci, e soavi,
Fatto Signor, e Dio da gente vana.

CARMEN LII.

Indignatur Strumam, & Vatinium nequam homines magistratum consecutos.

QUid est, Catulle, quid moraris emori?
Sellâ in curuli Struma Nonius sedet:
Per Consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

CARMEN LIII.

De quodam, cui mirum videbatur Calvum pusillum homuncionem eloquentiâ præcellere.

RIsi nescio quem modò in coronâ,
Qui, cum mirificè Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,

Ad-

OBSERVATIONES.

CARM. LII. v. 1. *quid moraris emori?*] Ovidius Epist. Deianiræ: *Impia QUID dubitas Deianira MORI?*

v. 2. *Sella in curuli*] Prætor puta, vel Ædilis: non certè Consul.

v. 3. *Vatinius*] Hinc luce meridianâ clarius apparet, Catullum vitam produxisse ultra ætatis annum trigesimum, quo illum denatum Eusebius in Chronico perperam tradit.. nisi fortè numeri corrupti sunt. Etenim P. Vatinius P. filius Consulatum gessit cum Q. Fusio Caleno Q. F. C. N. Anno ab U. C. D CC VII. ut rerum Romanarum scriptores, & antiqua marmora testantur. Quapropter, si annus Catulli natalis incidit in annum U. C. D C LXVII. ut est apud eumdem Eusebium, Consule Vatinio poeta noster octo lustra jam impleverat. Sed vide Carmen 110. ibique observationes meas.

CARM.

Admirans ait hæc, manuſque tollens:
Dii magni, ſalicippium diſertum!

CARMEN LIV.

In Cæſarem, & exoletos ejus.

OThonis caput oppidò puſillum,
Subtile, & leve peditum Libonis,
Vet-

OBSERVATIONES.

CARM. LIII. v. 5. *ſalicippium diſertum!*] Riſum tenere non potuit Catulius ob novitatem vocabuli ab admirante compoſiti: *ſalicippium* enim Latinis auribus ignotum erat. At profectò magis rideret, ſi monſtra lectionum audiret, quæ in hunc locum viri eruditi otiosè nimis commenti ſunt. Horum alii *Calabotium*, alii *Salapusium*, alii denique *Salapittium* ſibi finxerunt, cum tamen vera lectio ſe obtrudat vel invitis. Vide Senecam Rhetorem controverſ. 19. ex quo nodi ſolutio petenda eſt.

CARM. LIV. v. 1. *Othonis caput*] Venimus ad Ænigma totius operis Catulliani multorum ſententiâ obſcuriſſimum, quod Muretus, & eum ſecutus Voſſius, velut inextricabile depoſuere, illud Hippocratis præcinentes: *deſperatis medicinam haud eſſe adhibendam*. Scaliger contra, & Statius, nullum non lapidem movent, ut paucis immutatis, plura explicent. quid verò maximis conatibus ambo proficiant, non eſt modeſtiæ noſtræ judicare. Ego (ſi modò fas eſt in eamdem arenam deſcendere, ubi litterarum principes non omnino feliciter rem geſſiſſe videntur) ſolo interpunctionis vitio hos verſus hactenus non intellectos exiſtimo, at, ſi rectè diſtinguas, tam claros eſſe, *quàm Solis radii olim, cum ſudum eſt, ſolent*. Invehitur ſuo more Catullus in Cæſarem pathicis pueris gaudentem, & quidem ſine delectu, *bonis* videlicet *maliſque infeſtum*: quem propterea *ruſticum* vocat. Non enim audiendus Achilles, qui putat *Ruſticum* eſſe nomen proprium. Fufficium deinde ſocium flagitii perſtringit. Eſt autem ſententia hujuſmodi: O Cæſar omnis urbanitatis expers, & pulchritudinis inepte judex, optarem tibi, & Fuffcio ſeni temulento, ſi non omnia, at ſaltem hæc in cinædis veſtris diſplicere, nempe O. honis puſillum caput: Libonis crepitum

Vettî, rustice, semilauta crura:
Si non omnia, displicere vellem
Tibi, & Fuffecio seni recocto.
Irascère iterum meis Jambis
Immerentibus, unice Imperator.

CAR-

OBSERVATIONES.

rum obscœnum, quo laborat, sed imminutè tentat, ut nares tantummodò teter odor contingat: Vettii denique crura sordidiuscula, & malè lota. At perge morbosos istos amplecti, expectaque interim jamborum meorum virulentum acumen, cui solitus es irasci, verùm injuria; non enim æquum est Satyrarum scriptoribus silentium imponere, at potiùs Imperatorem unicum, animum suum à vitiis emendare. En tibi, ó lector, liquida, & plana omnia. Illud jam superest; ut scriptorum testimonio singula confirmem.

Ibid. *caput oppidò pusillum*] Idest valde, ἀρχαϊκῶς. Fortasse huc trahendum illud Horatii Ode 33. l. 1.

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor. ——

Insignis enim est ille, qui aliquo signo inter cæteros dignoscitur, sive illud laudi, seu vitio detur. Hinc apud Ciceronem pro Quintio legimus *insignitè improbum*: pro Rabirio, *insignem hominem omnibus notis turpitudinis*. Et magis in rem præsentem apud Virg. Georg. 3. *maculis: vaccam insignem*. Adde quod subdit Horatius: *Cyrus in asperam declinat Pholoen*. vides hic Lycoridem minùs formosam esse, utpote quæ ultro Cyrum depereat, & à Cyro negligatur: quod utrumque à formosis alienum. *Tenuis* igitur *frons*, quæ respondet *capiti pusillo*, minùs in pretio, imò dedecori est. Castigandus ideò Scaliger pater, iniquus in Horatium censor, qui Poëtices l. 6. c. 7. ita de hoc loco: *Numquam vel in viro, vel in femina laudarim tenuem frontem, neque ad decorem, neque ad venustatem*. Esto, ut ais, magne vir, sed amabò, unde certò scire potes ab Horatio laudatam? Fingamus tamen laudatam, adhuc poëta Venusinus excusari potest: *trahit enim sua quemque voluptas*, & non idem est oculorum judicium. Sane *frons minima* enumeratur à Petronio inter partes venustatis, ubi pulcherrimam feminam describit; & Martialis Epig. 42. l. 4. *frontem brevem* in puero desiderat. Amoris loligine sæpenumerò cæcutiunt homines, ut ea; quæ cæteris maximè indecora videntur, ipsi laudent, atque in deliciis habeant. Horat. cit. Sat. 3. l. 1.

Illuc

Illuc prævertamur: amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant; veluti Balbinum polypus Agnæ.

& quæ sequuntur ulterius elegantissima. Par omnino ratio de *capite Othonis pusillo*, quod Catullum offendebat, Julium verò Cæsarem mirè delectabat. Audi M. Tullium l. 1. de nat. Deorum n. 55. *Deinde nobis*, inquit, *qui, concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia sæpe jucunda sunt. Nævus in articulo pueri delectat Alcæum. at est corporis macula nævus: illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus, hujus collegæ & familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium: in quem etiam illud est ejus,*

Constiteram exorientem Auroram fortè salutans,
Cum subitò à lævâ Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Huic pulchrior Deo? at erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert, si hoc ipsum salsum & venustum illi videbatur? Huc pertinent, quæ scribit Lucretius lib. 4. mundissimis versiculis:

— hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda verè.
Multimodis igitur pravas, turpesque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere.

A reliquis abstineo, sunt enim plurima. Videsis Ovidium l. 2. Amorum Eleg. 4. Catul. supra c. 43. infra c. 85. *Quintia formosa est multis &c.* P. opert. denique Eleg. 22. l. 3. Apud Plutarchum libello de Amore Nicomachus quidam ad eundem quemdam, qui sibi Zeuxidis Helenam non pulchram videri dixerat, ita locutus fertur: Λάβε τοὺς ἐμοὺς ὀφθαλμοὺς, ἐ θεὸς σοι φανεῖται. *Sume tibi meos oculos, & Dea tibi videbitur.*

v. 2. *subtile & leve peditum*] Opponitur crepitibus inverecundis, & resonantibus, quos liberos æquè, ac ructus, esse Stoici voluerunt. Cicero Ep. ft. 22. l. 9. ad Papirium Pætum: SUPPEDIT, *flagitium est. jam erit nudus in balneo, non reprehendes.* Horatius Sat. 8. l. 1. ex ore Priapi:

— displosa sonat quantum vesica, PEPEDI.

Sed hæc nimis olida, nec ampliùs miscenda. Si quis fortasse curiosior est, consulat Scaligeri notas.

v. 3. *Vetti*] Testatur Isaacus Vossius in antiquis exemplaribus scriptum extare *Etri*, aut *Veteri*, ex cujus corruptæ scripturæ ductibus ipse legendum conjicit *Vetti*, quem sanè, ut oris impuri, traducit poëta noster carm. 95. Vulgati libri habent *Heri*, quod non omnino malum. Dilectos enim pueros veteres illi scarabæi *dominos* vocabant. Martialis lib. 11 de quodam ficetum alienante:

Plu-

Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?

Ibid. *rustice*] Agrestes homines Gratiarum sunt expertes, nec ferè dignoscunt, quid distent æra lupinis. Supra carm. 22.

Idem infceto est infcetior RURE.

Contra Chærea Terentianus Eunuch. Act. 3. sc. 5. ita de se ad Antiphonem:

— quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem Antipho,
Cum ipsum me noris, quàm elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum —

Ubi Donatus: *Elegans spectator est, qui sit cunctantis, & fastidiosi judicii: cui non quid placet facile.* At rusticus, modò malam libidinem expleat, in quamlibet formam impetum facit.

Ibid. *semilauta crura*] Idest, malè lota; *Lautum* enim significat *lotum*, teste Nonio Marcello, apud quem exempla vide. Sordida igitur crura digna rustici amoribus, nam fossorum pedes luto ferè inquinati.

v. 4. *Si non omnia*] Concedit aliquà esse in Othone ac Libone haud omnino improbanda, sed quæ tanti non sint, ut propter ea reliqua tolerentur.

v. 5. *seni recocto*] Ebrietati dedito. Petronius in fragmentis:

Anus RECOCTA vino
Trementibus labellis.

Quod superiores explicationes nostras mirè astruit; ebriis enim solent videri pulchra, quæ reapse deformia sunt. Favet Ovidius Artis Amat. l. 3. v. 753.

Et si turpis eris, formosa videbere potis.

v. 6. *Irascere iterum*] Semel enim iratus fuisti ob versiculos de Mamurra. At Hendecasyllabum carmen, quo hæc scribimus, aptius est lusibus, quàm contumeliis. Ovidius pariter in Ibin:

Postmodò plura leges, & nomen habentia verum,
Et pede, quo debent acria bella geri.

Jambo scilicet. Hactenus per salebras & scrupos iter fecimus, nunc ad clariora & minùs impedita pergamus.



CARM.

CARMEN LV.

Ad Camerium.

Ait se illum quæritando defessum jam esse, rogatque ubi tandem locorum conveniri velit.

ORamus, si fortè non molestum est,
Demonstres ubi sint tuæ tabernæ.
Te campo quæsivimus minore,
Te in circo, te in omnibus labellis,
Te in templo superi Jovis sacrato,
In Magni simul ambulatione:
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas vultu vidi tamen sereno,

Has

OBSERVATIONES.

CARM. LV. v. 2. *Demonstres ubi sint tuæ tabernæ*] Præmiator nocturnus apud Juvenal. Sat. 3.

Ede UBI consistas; in qua te quæro proseucha?

v. 3. *campo minore*] Intellige Martium prope Tiberim, ubi juventus Romana variè se exercebat: hunc autem *campum* vocat *minorem* Catullus, propter campum comitiorum, in quo populus ferebat suffragia. Hic autem debuit meritò major appellari, in altero enim ludicra, in hoc seria gerebantur. Uterque tamen CAMPI nomine absolutè venit. De primo Propertius l. 2. Eleg. 13.

Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri,
Nec tetigit CAMPI, nec mea Musa juvat.

De secundo Cicero pro Milone: *Hunc diem igitur CAMPI speratum, atque exoptatum sibi proponens Milo.* idest diem comitiorum. & Horatius Ode 1. l. 3.

— hic generosior
Descendat in CAMPUM petitor.

Fuerunt & alii campi Romæ, sed minùs celebres; puta Esquilinus, ubi postea horti Mæcenatis, Aventinus, Agrippæ &c. de quibus vide P. Victorem in libello de regionibus Urbis Romæ, cæterosque antiqui-

Has vel te sic ipse flagitabam:
Camerium mihi, pessimæ puellæ.
Quædam, inquit, nudum sinum reducens,
En hic in roseis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos est;
Tanto te in fastu negas amice.
Dic nobis ubi sis futurus, ede hoc
Audacter: committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes.
VERbosâ gaudet Venus loquelâ.
Vel si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.

* *

Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,

Non

OBSERVATIONES.

quitatum Romanarum scriptores.

v. 4. *labellis*] Diminutivum à *labro* æneo, cujus usus in balneis. Cicero ad uxorem Epist. 20. l. 14.

LABRUM si in balneo nō est, fac ut sit.

v. 10. *Camerium mihi*] Subaudi *indicatote*.

v. 17. *lacteolæ puellæ*] Epigramma Ovidio adscriptum in codice Petri Scriverii:

LACTEOLASque animas lactens humor alit.

Polyphemus verò apud eumdem 13. Metamorph. comparat Galateæ teneritudinem caseolis è lacte recenti:

Mollior & cycni plumis, & LACTE coacto.

v. 19. *Fructus amoris*] Propertius l. 3. Eleg. 18.

Semper amet, FRUCTU semper AMORIS egens.

v. 23. *custos Cretum*] Vide Indicem nostrum suo loco.

v. 26.

Non Ladas ferego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveæ, citæque bigæ:
Adde huc plumipedes, volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quæritando.

CARMEN LVI.

Valerio Catoni Grammatico facetam de puero narrat historiam.

O Rem ridiculam, Cato, & jocosam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!
Ride, quidquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula, & nimis jocosa.
Deprendi modò pupulum puellæ

Tru-

OBSERVATIONES.

V.26. *Non Rhesi*] Subaudi *si me vexerint*. At existimo nonnulla deesse.

V.27. *Adde huc plumipedes*] Subaudi *equos*. Potest tamen vim substantivi obtinere; ut *sonipes*, *quadrupes*, *cornipes*, & id genus alia. Infra c. 62.

Depulisque noctis umbras vegetis sonipedibus.

V.29. *Junctos*] Currui scilicet. Inde Virgilius Eclogâ 3. ἀδύνατον explicare volens.

Atque idem JUNGAT Vulpes, & mulgeat hircos.

Sic etiam fieri nequit, ut venti jugo copulentur.

CARM. LVI. v. 5. *Deprendi*] Proprium sanè verbum *deprendere*, quod nobis Italis *cogliere sul fatto*. Juvenalis Sat. 6. de mulierum insigni impudentia:

— *nihil*

Trusantem. hunc ego, si placet Dionæ,
Protelo rigidâ meâ cecîdi.

CARMEN LVII.

In Cæsarem & Mamurram, flagitiosissimum amicorum par.

PUlchrè convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,
Urbana altera, & illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli utrique:

Uno

OBSERVATIONES.

— *nihil est audacius illis*
DEPRENSIS: iram atque animos à crimine sumunt,

v.7. *rigida mea*] Subaudi *ficula*.

Ibid. *cecidi*] Hinc *præcisus*, ille qui muliebria patitur. Auctor carminis in Priapum:

Hic inter frutices loco remoto
(Dicat forsitan hæc sibi ipse) nemo
PRÆCISUM sciet esse me. sed erras:
Magnis testibus ista res agetur.

Hoc autem erat supplicium adolescentulorum, qui nuptas mulieres, vel concubinas alterius affectabantur, ut notavit Muretus ex Apuleii Milesiis fabellis. Martialis quoque ait cinædum quemdam liberius mœchari solitum, quòd *natibus confideret*. At grandiores non à domino, sed à mancipiis id ferre cogebantur. Horatius Sat.2. l. 1. quæ tota de adulteriis:

Hunc perminxerunt calones.

CARM.LVII. v.5. *Impressæ resident, nec eluentur*] Notas vitiorum, quas quisque contraxisset, nullâ humanâ videlebiles ad inferos ferri, docuit Plato in Gorgiâ; cujus opinionem albis dentibus ridet Lucianus in Cataplo. Ambos videsis, nam mihi sufficit loca digito monstrasse, utpote longiuscula. Claudianus ex eadem sententiâ l. 2. in Rufinum:

Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant MACULÆ —

v.7.

Uno in lectulo eruditi ambo:
Non hic, quàm ille, magis vorax adulter:
Rivales socii puellularum.
Pulchrè convenit improbis cinædis.

CARMEN LVIII.

Ad Cælium de Lesbiâ quæstum meretricium faciente.

CÆli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quàm se, atque suos amavit omnes:
Nunc in quadriviis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

CAR-

OBSERVATIONES.

v.7. *lectulo*] Pes creticus pro dactylo, hiante syllabâ in fine.

Ibid. *eruditi*] Significat Mamurram & Cæsarem alternis vicibus mutuò simul consuevisse, quod penè incredibile videri possit de tanto Imperatore, nisi momentum adderet Svetonii gravis auctoritas, qui ejus famam Nicomedis contubernio læsam, & obscœnis militum jocis petitam apertè narrat. Idem refert scriptor citatus de C. Caligulâ in ejus vitâ c. 36. O portenta hominum in apice rerum locata! Quod autem ait Catullus *eruditi*, referendum est ad scientiam flagitiorum, quam uterque ad amussim callebat; Hinc Propertius novam nuptam appellat *rudem* Eleg. 3. l. 4.

Cum rudis urgenti brachia victa dedi.

Et Petronius Satyr. *Nec se rejiciebat à blanditiis DOCTISSIMUS puer.* Idest nequitiâ olim imbutus.

v. 8. *vorax*] Patrimonii dilapidator. supra carm. 29.

—uncta DEVORARE patrimonia.

CARM. LVIII. v. 5. *Remi nepotes*] Attingit illorum opinionem, qui urbem Romam non à Romulo, sed à Remo conditam fuisse tradiderunt. Propertius quoque l. 2. Eleg. 1. *Regnave prima* REMI. Consulendus Thomas Dempsterus Paralip. ad c. 1. l. 1. Rosini Antiq. Rom.

F CARM.

CARMEN LIX.

Indignatur Rufam quamdam, nuper mendicam, eò superbiæ devenisse, ut amantis Rufuli preces eluderet.

BOnonienſis Rufa Rufulum fallat?
Uxorne Menî? ſæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cænam,
Cum devolutum ex igne proſequens panem
Ab ſemiraſo tunderetur uſtore?
Num te leæna montibus Libyſſinis,
Aut ſcylla latrans infimâ inguinum parte,
Tam mente durâ procreavit, ac tetrâ,
Ut ſupplicis vocem in noviſſimo caſu
Contemptam haberes? ô nimis fero corde!

CARMEN LX.

Hoc nuptiali carmine, quod ſanè elegantiſſimum eſt, poëta noſter cum amico uxorem ducenti gratum facere ſtudet, tum ea, quæ ad veteres connubiorum ritus cognoſcendos maximè pertinent, miro quodam lepôre perſequitur.

COllis ô Heliconei
Cultor, Uraniæ genus,

Qui

OBSERVATIONES.

CARM. LIX. v. 1. *Rufulum fallat?*] Pronunciandum cum indignatione.

CARM. LX. v. 2. *Uraniæ genus*:] Seneca Medeâ Ch. 1. Bacchi titium facit:

Can-

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe:
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape. lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnulâ,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.
Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bonâ
Nubit alite virgo:

Flo-

OBSERVATIONES.

Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam jam tempus erat succendere pinum &c.

Claudianus Epith. Palladii & Celerinæ Catullum secutus videtur:

Mollibus exsurgit stratis, interque suorum
Agmen, & innumeros HYMENÆUM poscit Amores.
Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis ——

Quæ tamen duo loca ita componi poterunt, ut diçamus Uraniam è Bacchi semine Hymenæū peperisse.

v. 6. *floribus suaveolentis amaraci.*] Virgilius 1. Æneidos v. 697.

— ubi mollis AMARACUS illum
Floribus, & dulci adspirans complectitur umbra.

ubi τὸ *adspirans* accipiunt interpretes de suavi odore.

 v. 35.

Floridis velut enitens
Myrtus Aſia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt humore.
Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Theſpiæ
Rupis Aonios ſpecus,
Lympha quos ſuper irrigat
Frigerans Aganippe.
Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc, & huc
Arborem implicat errans.
Vos item ſimul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe:

Ut

OBSERVATIONES.

v. 35. *Arborem implicat errans*] Comparatio hæc poëtis familiariſſima eſt in re amoris honeſtè obnubendâ. Horatius Ode 36. l. 1.

— *nec Damalis novo*
Divelletur adultero,
Laſcivis ederis ambitioſior.

v. 36. *integræ virgines*] In ipſo ætatis flore conſtitutæ. vel eſt epithetum virginitatis proprium. Terentius Hecyrâ Act. 1. Sc. 2.

— *eam ludibrio haberi, Parmeno,*
Quin INTEGRAM itidem reddam, ut accepi ab ſuis,
Neque honeſtum mihi, neque utile ipſi VIRGINI eſt.

v. 52.

Ut lubentiùs, audiens
  Se citarier ad suum
  Munus, huc aditum ferat
  Dux bonæ Veneris, bonus
  Conjugator amoris.
Quis Deus magis ah magis
  Est petendus amantibus?
  Quem colent homines magis
  Cælitum? ô Hymenæe Hymen,
  Hymen ô Hymenæe.
Te suis tremulus parens
  Invocat: tibi virgines
  Zonulâ solüunt sinus:
  Te tumens cupidâ novus
  Captat aure maritus.

Tu

OBSERVATIONES.

v. 52. *Invocat*] Solent enim senio confecti patresfamiliâs ardentissimo desiderio teneri nuptias filiarum videndi, ne præmorientes, eas indefensas, ac sine præsidio relinquant. Inde Sulpitius ad Ciceronem Epist. 5. l. 4. ubi eum de Tulliolæ morte consolatur, sic ironicè: *Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate, ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos se tutò committere putares*. Quapropter videtur mihi Ovidius non satis ex decoro Peneum fluvium filiam Daphnen his verbis alloquentem introducere 1. Metamorph. *Generum mihi filia debes: debes mihi nata nepotes*; Si enim Deus Peneus, ut omnes fluvii, nonne ipse poterat filiam custodire, absque ope generi'que optatam virginitatem haud gravatè permittere? Si autem immortalis, cur tantoperè sollicitus erat de posteritate? quam ideò mortales desiderant, ne omnino sui memoria & imago deleatur.

v. 54. *tumens*] Benè repositum, cum antea legeretur *timens*. Simile illud Lucretii l. 4.

Irritata TUMENT loca semine, fitque voluntas
Ejicere id, quò se contendit dira libido.

 v. 59.

Tu fero juveni in manus
  Floridam ipse puellulam
  Matris è gremio suæ
  Dedis. ô Hymenæe Hymen,
  Hymen ô Hymenæe.
Nil potest sine te Venus,
  Fama quòd bona comprobet,
  Commodi capere: at potest,
  Te volente. quis huic Deo
  Comparararier ausit?
Nulla quit sine te domus
  Liberos dare, nec parens
  Stirpe jungier: at potest,
  Te volente. quis huic Deo
  Comparararier ausit?
Quæ tuis careat sacris,
  Non queat dare præsides
  Terra finibus: at queat,
  Te volente. quis huic Deo
  Comparararier ausit?

Clau-

OBSERVATIONES.

V. 59. *Matris è gremio suæ*] Virgines enim in custodiâ matrum, ut omnibus notum. Infra carm. 63. de Ariadna:

— *quam suaves exspirans castus odores*
Lectulus in molli complexu matris alebat.

V. 71. *Quæ tuis careat sacris*] Diù multùmque mecum ipse reputavi, quid sibi vellet Catullus hac strophe: non enim facilè invenias regionem, cujus populi nuptiarum sint expertes. At forte fortunâ in Plinium incidi, qui lib. 5. c. 17. nescio quos *Essenos* commemorat gen-

Claustra pandite januæ,
Virgo adest, viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas nova nupta.
Tardet ingenuus pudor,
Quæ tamen magis audiens,
Flet, quòd ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas nova nupta.

Fle-

OBSERVATIONES.

gentem miram, sine ulla femina, omni Venere abdicata, sine pecunia, sociam palmarum. In dies, inquit, ex æquo convenarum turba renascitur, largè frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Hæc, ut sint levia, tamen videntur explicare aliquo modo, cujusmodi terram Catullus indicare voluerit sacris Hymenæi carentem; non enim temerè auscultandum Scaligero, qui ait intelligendos peregrinos, & Romanæ civitatis privilegio non donatos, ad quos idcircò cura magistratuum pertinere non poterat. Nihil sanè ista ad Hymenæum, aut ad ritus Matrimoniorum: nam & apud peregrinos connubia celebrabantur, & Hymenæi religio Græcorum priùs fuit, quàm Romanorum. Igitur ubi nulla matrimonia, necesse est nullum esse regimen, cum Oeconomica potestas quædam umbra sit Politicæ potestatis: imò ipsa civitatis gubernatio inventa fuerit ad privatorum domus, & familias tuendas.

v.78. *comas*] Pedo Albinovanus Eleg. Consolat. ad Liviam Augustam elegantissimè:

Flamma diù cunctata caput contingere sanctum,
Erravit posito lenta sub usque toro.
Tandem ubi complexa est silvas, alimentaque sumpsit,
Æthera subjectis lambit, & Astra, COMIS.

v.79. *abit dies*] Dantes Etruscus poeta, ut illa tempora ferebant, non inelegans, hanc phrasim Catulli expressit (nel c. 2. dell'Inf.)

Lo giorno se n'andava.

Flere desine. non tibi
Aurunculeja periculum est,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos Hyacinthinus:
Sed moraris, abit dies,
Prodeas nova nupta.
Prodeas nova nupta sis:
(Jam videtur) ut audias
Nostra verba (viden'? faces
Aureas quatiunt comas.)
Prodeas nova nupta.
Non tuus levis in malâ
Deditus vir adulterâ,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:

Len-

OBSERVATIONES.

v.81. *pudor*] Nondum enim virginalem verecundiam deposuit. Tibullus Eleg. 4. l. 3.

Ut juveni primùm virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

v.97. (*Jam videtur*] μιμητικῶς ex ore vulgi optantis novam sponsam prodire, ut acutissimè Scaliger emendavit. Sic etiam illa (*viden'?* &c.

v.101. *in mala adultera*] Propertium hac particulâ eodem pacto usum observo, Eleg. 13. l. 1.

Perdimus IN quadam.

& l. 2. Eleg. 5.

IN qua populus lusit Ericthonius.

v. 111.

Lenta qui velut assitas
  Vitis implicat arbores,
  Implicabitur in tuum
  Complexum; sed abit dies,
  Prodeas nova nupta.
* * *
  * * *
  * * *
  O cubile, quot (ô nimis
  Candido pede lecti)
Quæ tuo veniunt hero,
  Quanta gaudia, quæ vagâ
  Nocte, quæ mediâ die
  Gaudeat. sed abit dies,
  Prodeas nova nupta.
Tollite, ô pueri, faces:
  Flammeum videor venire.
  Ite, concinite in modum:
  Io Hymen Hymenæe io
  Io Hymen Hymenæe.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 111. Hoc loco lacuna est in MSS. teste Scaligero, & primi tres versiculi desunt; itaque sententia fit obscurior.

v. 122. *Flammeum videor venire*] Catullus fortasse scripserat, *videor videre*: quo pacto & Prudentius poëta suo sæculo major, Hymno 2. περὶ στεφάνων de Divo Laurentio:

VIDEOR VIDERE illustribus
Gemmis coruscantem virum.

Quamquam & illud alterum retineri potest.

v. 126.

Nec diù taceat procax
Fescennina locutio,
Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine. satis diù
Lusisti nucibus. lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine, nuces da.
Sordebant tibi villicæ,
Concubine, hodie, atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser, ah miser
Concubine, nuces da.
Diceris malè te à tuis

Un-

OBSERVATIONES.

v. 126. *procax*] Seneca *dicacem* appellat Medeâ ch. 1.

Festa dicax fundat convitia FESCENNINUS.

v. 128. *nuces*] Inter alios ritus nuptiarum, mos erat apud veteres, nuces juglandes pueris exoletis dare, quas ante maritale cubiculum strepitu magno miscerent, ne gemitus puellæ virginitatem ponentis ad aures proximorum perveniret. Si quis alias causas hujus consuetudinis petit, consulat Ludovicum de la Cerda ad illud Virgilii Ecl. 8: *Sparge marite NUCES*. ubi plures reperiet. Non enim semel statuimus aliorum scrinia non compilare, nec repetitam cramben lectori apponere. Sunt enim hæc spicilegia, non messis; quæ jam præfecta est.

v. 136. *Sordebant tibi villicæ*]. Superbè fastidiebas rusticarum amores in sinu domini enutritus.

v. 137. *hodie, atque heri*]. Nuper admodum.

v. 141. *malè abstinere*] Virg. 1. Geor. *MALE temperat unda carinis*. v. 147.

Unguentate glabris marite
Abstinere, sed abstine.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Scimus hæc tibi, quæ licent
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent,
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges:
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quæ tibi sene serviet.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Usque

OBSERVATIONES.

v. 147. *marito ista non eadem licent*] Habes enim, unde voluptatem elicere possis, absque concubino. Adde, quòd mulieres nuptæ vehementer indignabantur, si maritum in pueri amoribus deprendissent; sibique injuriam fieri existimabant. Martialis ad uxorem l. 11.

Cur, quasi pellicibus, torqueris in-
epta ministris,
In quibus & brevis est, & fugi-
tiva Venus?

v. 151. *quæ tuus vir petet*] Præposteram scilicet Venerem, ne iterum ad exoletos confugiat; subdit enim Martialis:

Hi dant, quod non vis uxor dare —
v. 163

Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Aspice, imus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Illi,

OBSERVATIONES.

v. 163. *Omnia omnibus annuit*] Tremore cervicis videtur omnibus annuere. Lepidè Ovidius in Epist. Herûs ad Leandrum.

Jamne putas exiße domo mea gaudia, nutrix?
An vigilant omnes, & timet ille suos?
Jamne suas humeris illum deponere vestes;
Pallade jam pingui tingere membra putas?
ANNUIT illa ferè; non nostra quòd oscula curet,
Sed movet obrepens somnus ANILE caput.

Poëta ingeniosissimus, Catulli vestigiis insistens, traxit ad somnum, quod ille dixerat de communi senectutis morbo.

v. 168. *Rasilem forem*] Ligneam, quia ligna ferè rasilia. Sic autem dictum puto, quomodò sæpiùs à poëtis *virides herbæ*, *maria humida*, *cælum altum* & id genus alia dicuntur.

v. 171. *Aspice, imus ut accubans*] Vide notam ad versum 191. infra. Isaacus Vossius contendit legendum *unus*.

v. 173. *immineat tibi*] Ausonius Centone Nuptiali pari verbo usus:

Mon-

Illi, non minùs ac tibi,
  Pectore uritur intimo
  Flamma, sed penitè magis.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Mitte brachiolum teres,
  Prætextate, puellulæ,
  Jam cubile adeat viri.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Vos bonæ senibus viris
  Cognitæ breve feminæ,
  Collocate puellulam.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Jam licet venias, marite.

Uxor

OBSERVATIONES.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Eripit à femore, & trepidanti fervidus INSTAT.

v. 191. *Jam licet venias, marite*] Miror tot insigniter eruditis viris, qui hactenus hunc poëtam interpretati sunt, numquam suboluisse, strophen istam videri contrariam illi superiori: *Aspice, imus ut accubans &c.* Cum enim ibi sermo sit de marito cubante, jamque avidis ulnis puellam excipere optante: nunc veluti absens accitur, votisque omnium ad lectum genialem vocatur. Qui nodus, ut candidè verum fatear, malè me torsit. Tandem lux affulsit insperanti, dum enim attentè considero naturam, & vim τῦ *venias*, memini Properiani versiculi Eleg. 16. l. 2.

Aut si es dura, nega: sin es non dura, VENITO.

Non te latet, ò lector, *negare* proprium esse pudicarum mulierum, aut certè illarum, quæ amatorem excludunt; ut contra *dare, facere, venire* apta esse ad indicandas feminas

Uxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens :
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.
At, marite (ita me juvent
Cælites) nihilominus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit. sed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diù remoratus es.
Jam venis. bona te Venus
Juverit: quoniam palam
Quod cupis, capis, & bonum
Non abscondis amorem.
Ille pulveris ætheri,

Si-

OBSERVATIONES.

minas obsequentes, faciles, quarum limen semper patet. Exempla tibi suppeditabit noster Index. Catullus igitur dum ait *Jam licet venias marite*, invitat jacentem sponsum ad fructum Veneris colligendum, ad virile munus obeundum; sequitur enim: *Uxor in thalamo est tibi*; idest, tenes quod cupisti, exple desiderium tuum. Hinc lucem capiet alter locus ejusdem poëtæ supra carm. 8.

Cum VENTITABAS, quo puella ducebat.

ventitare, ac *ducere* hoc loco pertinent ad nequitiam extremam, ideóque non audiendus Douza Filius, qui legit *dicebat*. Ausonius in citato Cent. Nupt. explicat unicè:

Jamque ferè spatio extremo, fessique sub ipsam
Finem ADVENTABANT ——

Quæ omnia necesse habui attingere, ut Catullum expedirem.

v. 194. *parthenice*] παρθένιον Græci appellant.

v. 196. *At, marite*] Cum sponsam laudarit, ne id fecisse videatur ad mariti pulchritudinem elevandam, hanc suspicionem à se avertit.

v. 206. *pulveris atheri*] Cum hoc loco mira esset veterum librorum dis-

Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vestri numerare vult
Multa millia ludi.
Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date; non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus, volo, parvulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.

Sit

OBSERVATIONES.

discrepantia, censebat Scaliger legendum *enthei*, explicabatque de pulvere, quem fanatici Bellonæ sacerdotes dispergebant. At multis parasangis meliorem lectionem subministrat ingenium Theodori Marcilii Professoris regii, quam propterea excudendam curavimus, veluti genuinam & à manu Catulli. Pulvis ætherius vocantur corpuscula minuta per aërem irrequieto motu volitantia, quæ nonnunquam in cubiculo Solis radiis illustrato videre est. Adeundus Lucretius l. 4. Cæterùm eadem ratione ponitur *ætheri*, ultimâ per Crasin circumflexâ, quâ Horatius dixit Ode 2. l. 1.

Quem vocet Divum populus ruentis
Imperi rebus? &c.

& infra Ode 6. ejusdem libri:

Laudes egregii Cæsaris, & tuas,
Culpa detereri ingeni.

v. 214. *Nomen*] Familiam. Cicero pro Cn. Plancio: *Est tuum NOMEN utraque familia consulare. Non dubitas igitur, quin omnes, qui favent nobilitati, qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus, qui NOMINIBUS vestris ducuntur, te Ædilem fecerint?*

Ibid. *indidem*] Ex eadem stirpe, non ope adoptionis.

v. 233

Sit ſuo ſimilis patri
  Manlio, & facilè inſciis
  Noſcitetur ab omnibus,
  Et pudicitiam ſuæ
  Matris indicet ore.
Talis illius à bonâ
  Matre laus genus approbet,
  Qualis unica ab optimâ
  Matre Telemacho manet
  Fama Penelopeo.
Claudite oſtia virgines;
  Luſimus ſatis. at boni
  Conjuges bene vivite, &
  Munere aſſiduo valentem
  Exercete juventam.

CAR-

OBSERVATIONES.

v.235. *bene vivite*] Neſcio an apud Petronium in cænâ Trimalchionis ita ſit accipiẽdus verſiculus: *Ergo VIVAMUS, dum licet eſſe, BENE.*

Mihi quidem videtur ſententia concinnior, ſi hanc interpunctionem adhibeamus, quam tamen Erhardus, & Barthius immeritò accuſant.



CARM.

CARMEN LXI.

Carmen istud ejusdem ferè argumenti est cum superiore; In hoc autem illud singulare videri potest, quòd scilicet pueri, & innuptæ virgines alternis canentes inducantur. Cæterùm omnia mel merum, & verè Catulliana.

JUVENES.

Vesper adest, juvenes consurgite: Vesper Olympo
Expectata diù vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas;
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.

PUELLÆ.

Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra
Ni-

OBSERVATIONES.

CARM. LXI. v. 1. *juvenes consurgite*] Verba sunt choragi æquales invitantis ad canendum, non, ut existimat Muretus, ex persona ipsius poëtæ; Hoc enim poëma totum δραματικόν.

v. 6. *Cernitis, innuptæ, juvenes?*] Censebam olim (licet postea mutaverim opinionem) τὸ *juvenes* ad puellas referendum; neque enim audiebam illos, qui negant nomen hoc feminei generis usquam reperiri: in quibus est Schefferus ad Phædri versiculum fab. 2. l. 2.

Animosque ejusdem pulchra JUVENIS ceperat.

cum adverteтur manifesta Ovidii auctoritas, qui 1. de Arte ita scribit:

Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas:
Mater & Æneæ constat in urbe sui.
Seu caperis primis, & adhuc crescentibus annis,
Ante oculos veniet vera puella tuos.
Sive cupis JUVENEM, JUVENES tibi mille placebunt.

 Ap-

Nimirum Oceano se ostendit noctifer imbre.
Sic certè, viden' ut perniciter exsiluere?
Non temerè exsiluere. cavent quo jure parent se.
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.

JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata est.
Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirant.
Non frustra meditantur; habent memorabile quod sit.
Nos aliò mentes, aliò divisimus aures:
Jure igitur vincemur. *AMAT victoria curam.*
Quare nunc animos saltem committite vestros.
Dicere jam incipient, jam respondere decebit:
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.

PU-

OBSERVATIONES.

Apposui libenter quinque versus ad sententiæ integritatem, ne quis fortè cavillaretur Nasonem de pueris locutum. At, inquiet Grammaticus notæ severioris, hoc loco *juvenis* nomen est adjectivum, cui necessariò subaudiendum *puella*; numquam autem erit substantivum feminei generis, ut ab ipso adjectivum regatur: quemadmodùm dicimus in genere masculo, *juvenis comptus*, *formosus*, *robustus &c.* & idcircò Phædri versus ita est explicandus; *& ejusdem juvenis animos pulchra ceperas*, per Ellipsin; vel ita, *& ejusdem animos ceperat pulchra, & juvenis*, solent enim poetæ uti disjunctionibus. Hujusmodi nugis duplicem responsionem opponimus. negamus primùm quidquam esse subaudiendum in Ovidiano versiculo, nulla enim puella est anus, quapropter non est necesse intelligi *juvenem puellam*: deinde dicimus, Phædrum nitidissimum scriptorem substantivè accepisse τὸ *juvenis* pro puellâ, nec aliter explicari posse, nisi adhibitâ insigni violentiâ.

V. 9. *cavens quo jure parent se*] Repræsentavi Scaligeri lectionem, quæ habetur in textu: licet in notis fateatur sibi non suppetere coniecturam, quæ explcat animum suum.

PUELLÆ.

Hesperè, qui cælo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes captâ crudelius urbe?
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.

JUVENES.

Hespere, qui cælo lucet jucundior ignis?
Qui desponsa tuâ firmes connubia flammâ:
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere priùs, quàm se tuus extulit ardor?
Quid datur à Divis felici optatius horâ?
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.

PUELLÆ.

Hesperus è nobis, æquales, abstulit unam.

* * *

Nonnulla desiderantur.

* * *

JUVENES.

* * *

Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hes-

OBSERVATIONES.

um. Vulgati libri: *canent, quos vincere par est.*

32 Hic ingens lacuna, desunt enim versiculi septem, quorum primi sex ad puellas, ultimus ad juvenes pertinebat.

v.41. *mutato nomine*] Lucifer manè dicitur, qui serò Hesperus. Cice-

Hesperе, mutato comprendis nomine eosdem.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt, tacitâ quod mente requirunt?
Hymen ô Hymenææ, Hymen ades ô Hymenææ.

PUELLÆ.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, tum cara suis: sed
Cum castum amisit, polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen ô Hymenææ, Hymen ades ô Hymenææ.

JUVENES.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Numquã se extollit, numquã mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum.
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci;

At

OBSERVATIONES.

10 2. de Nat. Deorum: *Stella Veneris, quæ Φωσφόρος Græcè, Lucifer Latinè dicitur, cum antegreditur Solem: cum subsequitur autem, Hesperos.*

v. 51. *tum cara suis,*] Parem loquendi modũ exhibet Inscriptio vetus XCVI. apud Reinesium cl. 17.

POMPEIAE. C. F. RVFAE
MATRI. TIRONIS
PROBA. ET. SANCTA
CARA. SVIS. VIXIT.

v. 55. *in nudo arvo*] Ita Virg. Eclogâ 1. *silice in NUDA.*

v. 65.

At si fortè eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci:
Sic virgo dum intacta manet, tum inculta senescit:
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, & minùs est invisa parenti.
[Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe]
At tu ne pugna cum tali conjuge virgo;
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est; ex parte parentum est.
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe.

CAR-

OBSERVATIONES.

v. 65. *Hymen*] Achilles Statius admonuit hoc ἐπιφώνημα deesse in MSS. quod quidem censeo non requiri, cum sermo juvenum ad sponsam conversus ulteriùs procedat.



CARMEN LXII.

De Aty Galliambicum.

Argumentum ex Mureti Commentario.

Cum Atys in nemus Cybelæ sacrum venisset, magnâ comitum stipatus manu, furore correptus virilia sibi amputavit. Idem fecere cæteri quoque, qui cum eo venerant. Tum per aliquod tempus, ut mos sacrorum ferebat, tumultuati obdormierunt. Expergefactus Atys, cum ad se redisset, cepit lamentari conditionem suam, etiamque de repetendâ patriâ cogitabat: cum Cybele objecto leone eum ita perterruit, ut ab ultimo litore, quò jam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit: ubi omne reliquum vitæ spatium exegit.

SUper alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupidè pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca Deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devoluit illa acutâ sibi pondera silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro:
Et jam recente terræ sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve typanum,
Typanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia.
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis,
Canere hæc suis adorta est tremebūda comitibus:
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dyndimenæ dominæ vaga pecora,

Alie-

OBSERVATIONES.

CARM. LXII. v. 5. *Devoluit*] Aptissimo verbo usus est, si quidem testiculi veluti funiculis involuti; ut norunt Anatomes studiosi.

v. 15.

Aliena quæ petentes, velut exules, loca,
Sectam meam exsecutæ, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis, truculentaque pelagi:
Et corpus evirastis Veneris nimio odio.
Hilarate excitatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad
nemora Deæ.
Ubi cymbalùm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt ederigeræ,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa Divæ volitare vaga cohors:
Quò nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit nova mulier,
Thiasus repentè linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanũ remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede cho-
rus.

Fu-

OBSERVATIONES.

v. 15. *duce me, mihi comites*] Tibul. Eleg. 6. l. 5.

Neve neget quisquam ME DUCE se COMITEM.

v. 16. *truculentaque pelagi*] *Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto*, ut loquitur divinus Maro.

v. 18. *Hilarate excitatis*] Post Anapæstum hiatus relinquitur, & Sinalœphe negligitur, ut constet mensura versus.

v. 18. *excitatis erroribus*] Festivis, & properis discursibus.

v. 21. *reboant*] Convenienter admodùm, nam tympana è tauri tergo: *reboare* autem est vocem taurorum imitari.

v. 23. *vi jaciunt*] Hinc frequentativum *jactare*, quod nonnumquàm ad superbiam pertinet; superbi enim cervicem quassant.

Ho-

Furibunda simul anhelans, vaga vadit, animo egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere lassulæ,
Nimio è labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labante languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit æthera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus.
Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum recepit Dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabidâ sine rabie,
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit,
Liquidâque mente vidit sine queis, ubique foret,
Animo æstuante rursum reditum ad vada tetulit.

Ibi

OBSERVATIONES.

Horatius Sat. 5. l. 1. de Messio scurrâ cum Sarmento jurgante:

—— Ridemus. & ipse
Messius, accipio; CAPUT. & movet:
O tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris?

v. 36. *sine Cerere.*] Ovidius 10. Metamorph. vers. 74. de Orpheo:

Squallidus in ripa CERERIS SINE munere sedit.
Cura dolorque animi, lacrymæque alimenta fuere.

v. 41. *vegetis sonipedibus*] Virgilius interpres esto Æneid. 12.

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies; cum primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.

Potuit elegantiùs?

v. 65.

Ibi maria vaſta viſens lacrymantibus oculis,
Patriam adlocuta voce eſt ita mœſta miſeriter:
Patria ô mea creatrix, patria ô mea genetrix,
Ego quam miſer relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli ſolent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud (miſer) ferarum gelida ſtabula forem,
Et ut omnia earum adirem furibunda latibula:
Ubi nam, aut quibus locis te poſitâ, patria, rear?
Cupit ipſa pupula ad te ſibi dirigere aciem,
Rabie ferâ carens dum breve tempus animus eſt.
Egone à meâ remota hæc ferar in nemora domo?
Patriâ, bonis amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæſtrâ, ſtadio, & gymnaſiis?
Miſer ah miſer querendum eſt etiam, atque etiam anime.
Quod enim genus figuræ eſt, ego non quod habuerim?
Ego puber, ego adoleſcens, ego ephœbus, ego puer,
Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi

OBSERVATIONES.

v.65. *limina tepida*] Frequentiâ eorum, qui meam domum ventitabant. Huc pertinet illud Ciceronis ad Atticum Epiſt. 1. l. 1. *Cum Romæ à judiciis forum refrixerit.* Quod imitatus videtur Prudentius, veterum elegantiarum ſtudioſiſſimus, Hymno 2. περὶ στεφάνων v. 498.

Refrixit ex illo die
Cultus Deorum turpium:
Plebs in ſacellis rarior:
Chriſti ad tribunal curritur.

v. 66.

Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi Sole cubiculum.
Egone Deûm ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colâ?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus:
Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.
Roseis ut huic labellis palans sonitus abît,
Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus,
Geminas eorum ad aures nova nuntiat ferens,
Lævumque pecoris hostẽ stimulans, ita loquitur:
Agedũ, inquit age ferox, i, face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea liber ah nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cæde terga caudâ: tua verbera patere:
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent:
Rutilam ferox torosâ cervice quate jubam.

Ait.

OBSERVATIONES.

v.66. *Mihi floridis corollis*] *Laudi enim ducebatur in Græcia adolescentibus plurimos habere amatores*, ut ait Corn. Nepos in Præfatione.

v.69. *vir sterilis*] Spado, Eunuchus, cui matrimonium interceptum.

v.72. *silvicultrix*] Ita Phædrus fab.4. l.2. vocat *suem nemoricultricem*.

v.74. *labellis palans sonitus abit*] Valerius Æditnus diverso longè sensu eamdem phrasim adhibuit in venustissimo quodam Epigrãmate:

Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quæram, verba:
LABRIS ABEUNT.

v.83. *torosa cervice*] Virgilius à Catullo, ut puto, XII. Æneid.

Saucius ille gravi venantum vulnere pectus.

Tum

Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu;
Ferus ipse se se adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi:
Facit impetum. ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.
Dea, magna Dea, Cybelle, Didymi Dea domina,
Procul à meâ tuus sit furor omnis, hera, domo,
Alios age incitatos, alios age rabidos.

CARMEN LXIII.

De Nuptiis Pelei, & Thetidos.

Enarraturus poeta Pelei, ac Thetidos nuptias, orditur à tempore, quo illas contigisse litteris traditum est, cum videlicet Argonautæ duce Jasone ad vellus aureum repetendum Colchos profecti sunt: idque homines oscitantes in errorem induxit, ut perperam hoc opus inscriberent Argonautica. *Deinde historiam Ariadnæ à Theseo relictæ, quam in pulvinari Thetidos acu pictam fuisse fingit, more Lyricorum latissimè persequitur. Tandem ad propositum regressus, Parcarum vaticinium exponit de Achille nascituro.*

PEliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Pha-

OBSERVATIONES.

Tum demum movet arma LEO:
gaudetque comantes – –
Excutiens CERVICE TOROS —

CARM. LXIII. v. 1. *prognatæ*] Genitæ in cacumine Pelii Thessaliæ montis. Horatius non abit, qui Ode

Phasidos ad fluctus, & fines Æetæos:
Cum lecti juvenes Argivæ robora pubis
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa citâ decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tor-

OBSERVATIONES.

Ode 14. l. 1. ita de navi:

Quamvis Pontica pinus
Silvæ filia nobilis
Jactes & genus, & nomen inutile.

v. 2. *nasse*] Supra c. 4. ubi phasellum laudat:

Neque ullius NATANTIS impetum trabis
Nequisse præterire --

Propertius tamen videtur tribuere natationem illis dumtaxat navibus, quæ scopulis occurrentibus colliduntur; Ita enim Eleg. 17. l. 2.

An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum sæpe in portu fracta carina NATET?

Cui adstipulatur Ovidius Epist. Herûs:

Quod cupis, hoc nautæ metuunt, Leandre, NATARE;
Exitus hic fractis puppibus esse solet.

v. 3. *Phasidos ad fluctus*] Novè dictum de fluvio, quod maris proprium est.

v. 9. *currum*] Eidem metaphoræ insistens Ovidius Eleg. 3. l. 1. Tristium, navis gubernatorem aurigam appellavit:

Sic, non quò voluit, sed quò rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dedisse rati.

Imò venti, quorum ope navigia feruntur, quandoque à poëtis equi vocantur. Valerius Flaccus 1. Argonautic.

— funduut se carcere læti
Thraces equi, Zephyrusque, & nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus —

v. 11. *rudem cursu p. imbuit A.*] Idem Valerius eodem libro, de Triptolemo loquens:

—— ignavas Cereris qui vomere terras

IM-

Tortaque remigio spumis incanuit unda,
Emersere feri candenti è gurgite vultus
Æquoreæ monstrum Nereides admirantes;
Illâque, atque aliâ viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenùs exstantes è gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tū Thetis humanos non despexit Hymenæós,
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes salvete, Deûm genus; ô bona mater:
Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo,
Teque adeò eximiè tædis felicibus aucte,
Thessaliæ columen Peleu, cui Jupiter ipse,
Ipse suos Divûm genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Thetys concessit ducere neptem,
Oceanusque mari totum qui amplectitur orbē?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia: oppletur lætanti regia cœtu.

Dona

OBSERVATIONES.

IMBUIT, & flava quercum damnavit arista.

v. 23. *ô bona mater*] Rectè Muretus hoc ait intelligendum de Argo navi, ex quâ, velut ex utero, tot clarissima capita prodierunt. Ita Virgilius Durateum equum describens Æneid. 2.

scandit fatalis machina muros
Feta armis ——

v. 32. *conventu tota frequentat Thessalia*] Propertius Eleg. 5. l. 2.

Ad cujus jacuit Gracia TOTA fores.

v. 46.

Dona ferunt: præ se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Grajugenasque domos, ac moenia Larissæa.
Pharsalon coëunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo: mollescunt colla juvencis:
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squallida desertis rubigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensæ:
Tota domus gaudet regali splendida gazâ.
Pulvinar verò Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylî purpura fuco.
Hæc vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mirâ virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Nec dum etiam se se, quæ visit, visere credit.

Ut-

OBSERVATIONES.

v. 46. *Tota domus gaudet*] Mirus lepor loquendi, qualis Horatii Ode 11. l. 4.

Ridet argento DOMUS — vide infra v. 284.

v. 55. *Nec dum etiam*] Isaacus Vossius ex antiquorum Codicum vestigiis ita legendu suspicatur; quæ lectio tamdiù retinenda est, quamdiu melior & certior non emerget.

v. 61.

Utpote fallaci quæ tum primùm excita somno
Desertam in solâ miseram se cernit arenâ.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ:
Quem procul ex algâ mœstis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evœ,
Prospicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas:
Omnia quæ toto delapsa è corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tū mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, totâ pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas.
Illâ tempestate ferox, & tempore Theseus
Egressus curvis è litoribus Piræi
Attigit injusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis,

Ele-

OBSERVATIONES.

v. 61. *Saxea ut effigies*] Operæ pretium fuerit legere Ovidianam epistolam Ariadnæ ad Theseum, in qua puram putam invenies imitationem Catulli. Inter cætera huc facit versiculus ille:

Quàmque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

v. 73. *Illa tempestate*] Hactenus vestem descripsit, nunc orditur narrationem.

v. 80.

Electos juvenes simul, & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis augusta malis cum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potiùs, quàm talia Cretam
Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minôa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves exspirans castus odores
Lectulus, in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Auravè distinctos educit verna colores:
Non priùs ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quàm cuncto concepit pectore flammam

Fun-

OBSERVATIONES.

v. 80. *Augusta mœnia*] Augurio condita, inquit Scaliger, & confirmat Enniano versu. Cave auscultes legentibus *angusta*.

v. 82. *optavit*] Elegit, ut sæpe apud veteres; Livius unus fuerit satis l. 6. ab U.C. *Introductis in Senatum captivis, cum bello persequendos Tusculanos patres censuissent, Camilloque id bellum mandaßent: adjutorem sibi ad eam rem unum petit: permissoque ut ex collegis* OPTARET, *quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit.* Hinc habemus l. 33. Pandectarum Juris titulum 5. de OPTIONE, *vel electione legata:* ubi Ulpianus J. C. Leg. 2. initio sic eleganter: *Quotiens servi electio vel OPTIO datur, legatarius OPTABIT, quem velit.* Hæc autem omnia originem ducunt à Græco verbo ὀπτομαι, idest *video*: qui enim optionem accipit, diligenter inspicere solet, utrum ex duobus propositis eligere conveniat.

v. 83. *funera ne-funera*] Ita dics ne-fastus erat ille, in quo prætori fari, seu jus dicere, non licebat.

v. 94.

Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu miserè exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominũ qui gaudia misces,
Quæque regis Golgos, quæque Idaliũ frondosum,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantùm sæpe magis fulgore expalluit auri!
Cum sævum cupiens contra contendere monstrũ,
Aut mortẽ oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis
Pro-

OBSERVATIONES.

v. 94. *immiti corde*] Immaturo, & nondum talibus assueto.

v. 100. *magis fulgore expalluit auri*] Dat puellæ metuenti pallorem, sed aureum, & qui ad augendam formam conducat plurimùm. In hanc sententiam duo insignia scriptorum loca observavi, alterum Statii Papinii, alterum Silii Italici; quæ si expendas, non tam pomum pomo simile judicabis, quàm ipsa inter se. Nescias utrum plagii postules: vixit enim uterque Domitiani temporibus. Prior igitur carmine Lyrico ad Maximum Junium l. 2. Silvarum:

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi Dite viso
PALLIDUS fossor redit, erutoque
Concolor AURO.

Posterior l. 1. de 2. bello Punico vers. 231.

—— Astur avarus
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor AURO.

Si lis ad tribunal meum deferatur, pro Papinio sententiam pronunciem; fuit enim acrioris ingenii, & ad excogitandum promptioris, ut ex ejus operibus facilè cognosci potest. Alter ille perpetuò languidus, Virgiliani poëmatis compilator, & planè ad aliorum imitationem compositus.

v. 103. *Non ingrata, tamen frustra*] Hoc vult Catullus; Ariadna Thesei periculum videns, contra immanissimum fratrem tendere parantis: frequenti se voto damnabat, eaque superis daturam polli-

Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nā velut in summo quatientē brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, latéque,& cominùs obvia frangens:
Sic domito sævum prosternit corpore Theseus
Nequidquam vanis jactantem cornua ventis.
Indè pedem sospes multâ cum laude reflexit,
Erra-

OBSERVATIONES.

cebatur, quibus unicè delectari solent, puta nidorem thuris, & victimarum occisarum: ne scilicet carissimi capitis jacturam faceret, sed potiùs interempto Minotauro Theseus incolumis ad se rediret, cujus conjugio tandem frueretur. Sed hæc omnia frustra, fata enim, quæ in Jovem ipsum imperium exercent, partem voti ratam habuerunt, conjugii verò spem irritam fecerunt.

v. 104. *tacito suspendit vota labello*] Ne scilicet desiderium proderet fraternæ mortis. *Mirum*, ut ait Josephus Scaliger ad Tibullum, *hanc veteribus superstitionem fuisse, ut semper taciti vota conciperent*. Sed admiratio cesserit, si consideremus quænam sibi à superis expetere soliti fuerint. Omitto Martialem l. 1. Epig. 40. Persium Sat. 2. Juvenalem Sat. 10. ver. 289. quia multis observati; Tibullum etiam, quem vide in calce Eleg. 1. l. 2. Carm. 5. lib. 4. Sequentes dabo. Horatius lepidissimè Epist. 16. l. 1. de nebulone quodam:

Vir bonus, omne forum quem spectat, & omne tribunal,
Quandocumque Deos vel porco, vel bove placat,
JANE PATER clarè, clarè cum dixit APOLLO,
Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanctumque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Ovidius 10. Metamorph. in fabellâ Pygmalionis:

Constitit, & timidè: si Dii dare cuncta potestis,
Sit conjux opto (non ausus, eburnea virgo,
Dicere) Pygmalion, similis mea, dixit, eburnæ.

Pe-

Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego à primo digressus carmine plura
Commemorem? ut liquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ misera ingratâ vixit deperdita telâ,
Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diæ?
Aut ut eam tristi devictam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjux?
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarificas imo fudisse è pectore voces:
Aut tum præruptos tristem conscendere montes,
Un-

OBSERVATIONES.

Petronius Satyr. agens de re nequissimâ: *Itaque timidissimo murmure votum feci, &, Domina, inquam, Venus* &c. Quos Hispano sale perfricat Seneca l. 2. de Beneficiis cap. 1. his verbis: *Vota homines parciùs facerent, si palam facienda essent.* & l. 6. c. 38. *Quàm multa sunt vota, quæ etiam sibi fateri pudet! quàm pauca, quæ facere coram teste possimus!* denique Epist. 10. *Nunc enim quanta dementia est hominum! turpissima vota Diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* At nonnunquàm secretò vovebant veteres ob invidiæ metum. Ovid. cit. 1. Tristium Eleg. 1.

Et TACITUS secum, ne quis malus audiat, optet,
Sit mea lenito Cæsare pœna minor.

E contrario palàm ad avertendam suspicionem; quamobrem idem poëta l. 2. Artis versu 327. monet amantem solicitum de puellæ valetudine: *Multa vove, sed cuncta palàm.* Hæc non ingrata viris eruditis fore confido.

v. 116. *Sed quid ego*] Vidit Catullus errorem suum, sed amavit, ut mortalium omnium consuetudo est.

v. 126. *conscendere montes*] Notanda locutio: *perhibent conscendere,* qua-

Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:
Atque hæc extremis mœstâ dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide deserto liquisti in litore Theseu?
Siccine discedens neglecto numine Divûm
Immemor ah devota domû perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos:
Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.
Tum jam *NULLA viro juranti femina credat*,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt;
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certè ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potiùs germanum amittere crevi,

Quam

OBSERVATIONES.

quasi res agatur in præsentiâ. Sic infra, *procurrere*.

V. 140. *Voce*] ἐμφατικῶς, non enim ex animo Theseus juraverat, sed summis tantum labris.

V. 144. *esse*] pro *fore*.

v. 151.

Quàm tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibuſque
Præda, neque injectâ tumulabor mortua terrâ.
Quænam te genuit ſolâ ſub rupe leæna?
Quod mare conceptum ſpumantibus exſpuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vitâ?
Si tibi non cordi fuerant connubia noſtra,
Sæva quòd horrebas priſci præcepta parentis,
Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes,
Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureâve tuum conſternens veſte cubile.
Sed quid ego ignaris nequidquã conqueror auris
Externata malo, quæ nullis ſenſibus auctæ
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope jam mediis verſatur in undis,
Nec quiſquam apparet vacuâ mortalis in algâ.

Sic

OBSERVATIONES.

v. 151. *ſupremo in tempore*] Cum periculum vehementius inſtaret: *in noviſſimo caſu*, ut alibi loquitur.

v. 159. *priſci*] Antiquæ ſeveritatis, cui amores juvenum faſtidium creant. Hujuſmodi ſenes moroſos graphicè deſcribit Terentius Heautont. Act. 2. Sc. 1.

Quàm iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes judices,
Qui æquum eſſe cenſent nos à pueris illicò naſci ſenes;
Neque illarum affines eſſe rerum, quas fert adoleſcentia!
Ex ſua libidine moderantur, nunc quæ eſt, non quæ olim fuit.

H 3 v. 170.

Sic nimis insultans extremo tempore sæva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Jupiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnossia Cecropiæ tetigissent litora puppes:
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic, celans dulci crudelia formâ
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quò me referam? quali spe perdita nitar?
Isthmon, cosne petam montes, ah gurgite lato
Discernens pontũ truculentũ ubi dividit æquor?
An patris auxiliũ sperem, quemne ipsa reliqui
Respersum juvenem fraternâ cæde secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?

Præ-

OBSERVATIONES.

v. 170. *nostris invidit questibus aures*] Similiter Virgilius Ecloga 7.

Liber pampineas INVIDIT *collibus umbras.*

utrobique pro *negavit*, vel *abstulit*.

v. 175. *celans dulci crudelia &c.*] Narrat Svetonius, Neronem hominum crudelissimum *pulchro vultu* fuisse, in ejus vitâ c. 51. Et quotidiano experimento discimus fronti non esse credendum. Verus philosophus apud Joannem Stobæum serm. 63. eo nomine pulchritudinem laudat, quòd præ cæteris animi, fortunæque bonis, cognitu facillima sit. Formosum etenim uno intuitu agnoscimus, non item claris parentibus ortum, aut virtute præditum, aut opulentum.

v. 177. *quò me referam?*] Italicè diceres: *A qual partito m'appiglierò io?*

v. 178. *Isthmon*] Implicata est horum versuum sententia, & certè aliquod insigne mendum sub iis, quod sine ope librorum MSS. tolli nequit.

v. 183. *incurvans gurgite remos*] Non quia re verâ curvi sint, sed quia videntur, oculorum errore. Lucretius l. 4.

Nam

Præterea litus solum, nullo insula tecto;
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius à fesso secedent corpore sensus,
Quàm justâ à Divis exposcam prodita multâ,
Cælestumque fidem postremâ comprecer horâ.
Quare facta virûm multantes vindice pœnâ
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, væ miseræ, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore;
Quæ quoniam verè nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funestet seque, suosque.
Has postquam mœsto profudit pectore voces,

Sup-

O B S E R V A T I O N E S.

Nam quæcumque supra rorem salis edita pars est,
REMORUM, recta est: & recta superne guberna:
Quæ demersæ liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti, sursumque supina reverti,
Et reflexa prope in summo fluitare liquore.
ubi vide interpretes.

V. 194. *Frons exsp. præp. p. iras*]. Animi speculum humana frons: hæc enim, ut ait Plinius l. 11. c. 37. *tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index.* vide tamen superiorem observ. ad vers. 175.

Supplicium sævis exposcens anxia factis:
Annuit invicto cælestum numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæcâ mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata priùs constanti mente tenebat:
Dulcia nec mœsto sustollens signa parenti,
Sospitem, & ereptum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi cum mœnia Divæ

Lin-

OBSERVATIONES.

V.204. *invicto numine*] Ἀνίκητον Jovem nobis describit, vel ἀδάμαστον. Est autem perpetuum Epitheton, ut *omnipotens*, *Saturnius*, & id genus multa. Quamvis non negaverim etiam aliis numinibus tributum. Id apparet vel ex Inscript. XXXIII.cl.x. apud Gruterum, quæ hujusmodi est:

DEO
INVICTO
MITHRAE
C. LVCRETIVS. MNESTER
M. AEMILIVS. PHILETVS
SVM. MAG. ANNI. PRIMI
M. AEMILI. CHRYSANTI
D. S. D. D.

Lepidè Lucianus initio Dialogi, qui Timon seu μισάνθρωπος inscribitur: Ὦ Ζεῦ φίλιε, καὶ ξένιε, καὶ ἑταιρεῖε, καὶ ἐφέστιε, καὶ ἀστεροπητὰ, καὶ ὅρκιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδουπε, καὶ εἴτι ἄλλο σε οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα. τότε γὰρ αὐτοῖς πολυώνυμος γινόμενος ὑπερείδεις τὸ πῖπτον τοῦ μέτρου, καὶ ἀναπληροῖς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ. *Jupiter Philie*, (idest amicitiæ præses) *hospitalis*, *sodalitie*, *domestice*, *fulgurator*, *jusjurandice*, *nubicoge*, *grandistrepe*, & *si quod aliud tibi cognomen attoniti poetæ tribuunt: maximè cum hærent in versu. nam tum illis tu multinominis factus, carminis ruinam fulcis, metrique exples hiatum.* Sed mirum videri non debet à Luciano poëtas perstringi, cum & gravissimos philosophos in scenam producat lusum populo daturos, & barbam Deorum assiduè vellat, quò sibi risum excutiat.

V.212. *mænia Divæ*] Athenas in tutelâ Palladis positas.

v.225.

Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
Gnate mihi longâ jucundior unice vitâ,
Gnate, ego quẽ in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ:
Quãdoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati carâ saturata figurâ:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ:
Sed primùm multas expromam mente querelas,
Canitiem terrâ, atque infuso pulvere fœdans:
Indè infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis
Carbasus obscurâ dicat ferrugine Iberâ.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum verò facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas:
Ut simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antemnæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes:

Quam-

OBSERVATIONES.

v.225. *infecta*] Tincta; indè *infectores*.

v.227. *ferrugine Ibera*] Purpurâ nigricanti, quam Propertius minium appellat Eleg.2.l.2.
Ut Mæotica nix minio si certet IBERO.

v.243.

Quamprimùm cernens ut lætâ gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem ætas prospera sistet.
Hæc mandata priùs constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aërium nivei montis liquere cacumen.
At pater, ut summâ prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus:
Cum primùm inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum è vertice jecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paternâ
Morte, ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit;
Quæ tamen adspectans cedentem mœsta carinâ
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex aliâ florens volitabat Jacchus,
Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphatâ mente furebant:
Evoë bacchantes, evoë capita inflectentes.

Ho-

OBSERVATIONES.

v. 243. *inflati*] Libentiùs legerem *infecti*, quod sententia postulat.

v. 246. *paterna morte*] Malè interpungit Muretus post *paterna*, & pejùs explicat; *Superbus*, inquit, *ob Minotaurum interfectum*. Non hoc vult Catullus, at ita potiùs: Theseus ingenio ferox ingressus tecta domus funesta genitoris interitu. Sic autem dixit *tecta domus*, ut supra *lintea veli*.

v. 251. *florens*] Ætate integrâ. Tibul. Eleg. 4. l. 1.

Solis æterna est Phœbo, Bacchoque juventus.

consule obser. nostras ad Carm. 17. sup. v. 14.

v. 257.

Horum pars tectâ quatiebant cuspide thyrsos,
Pars è divulso jactabant membra juvenco,
Pars se se tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multi raucisonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplificè vestis decorata figuris,
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupidè spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cepit decedere Divis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclives incitat undas
Aurorâ exoriente, vagi sub lumina Solis:
Quæ tardè primùm clementi flamine pulsæ
Procedunt, lenique sonant plangore cachinni:
Post vento crescente, magis magis increbescunt,
Pur-

OBSERVATIONES.

v. 257 *è divulso jactabant membra juvenco*] Furoris hujusmodi meminit etiam Ovidius 11. Metamor. ubi de Bacchis Orpheum discerpturis;

Ac primùm attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum
Mænades Orphei titulum rapuere theatri:
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris.

& infra:

Quæ postquam rapuere feræ, cornuque minaces
DIVELLERE boves: ad vatis fata recurrunt.

valde placet lectio Scaligeri *raptabant*.

v. 278.

Purpureâque procul nantes à luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum princeps è vertice Peli
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favonî,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Penêos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quæ silvæ cingunt superimpendentes,
Minyasin linquens Doris celebranda choreis,
Cranona ærisonamque: tulit radicitùs altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, flerâque sorore
Flammati Phaëtontis, & aëriâ cupressu.
Hæc circùm sedes latè contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Post

OBSERVATIONES.

v. 278. *Quorum post abitum*] A mortalium discessu accedunt Semidei gratulantes: deindè Jupiter cum cœtu Deorum universo.

v. 287. *Minyasin*] Thessalis nymphis, quæ ita dictæ à Minyis Thessaliæ populis.

v. 288. *radicitùs*] *Ab radice*, quemadmodùm loquitur Virgilius de Silvano 1. Georg. In cujus loci observatione, ut fit, me prævertit Achilles Statius.

v. 293. *molli velatum fronde*] Propert. Eleg. 3. l. 4.

Flore sacella tego, verbenis compita velo.

v. 309.

Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ:
Quam quondam silici restrictus membra catenâ
Persolvit, pendens è verticibus præruptis.
Indè pater Divûm sanctâ cum conjuge, natisque
Advenit cælo, te solum, Phœbe, relinquens,
Unigenamque simul cultricē mōtibus hydri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Largè multiplici constructæ sunt dape mensæ.
Cū interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ ceperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique vestis
Candida, purpureā Tyrios intexerat orā.
At roseo niveæ residebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant ritè laborem.

Læ-

OBSERVATIONES.

309. *At roseo*] Quid sit *roseus vertex* in Parcis, planè fateor ignorare: valde autem suspicor pro verâ & germanā Catulli lectione ab imperitis librariis notham esse confictam. Scripsit sine dubio poëta:

Ambrosio niveæ residebant vertice vittæ.

quod non intelligentes ἄμουσοι homines, vocem pessimè diviserunt, nonnullis litteris commutatis. Favet nostræ conjecturæ vates Mantuanus, qui 1. Æneidos versu 407. de Venere sic:

AMBROSIÆQUE comæ divinum
VERTICE odorem
Spiravere ----

ἀμβρόσιος Græcis est *immortalis*. Cur verò capillis Deorum potissimùm hoc epitheton tribuatur, si curiosè aliquis exquirat, paulò altiùs repetenda res est. Putabant veteres maximum vitæ robur in crinibus constare, & propterea morientis cujuslibet comam Proserpinæ forcipe attonderi: quod ab eodem

Læva colum molli lanâ retinebat amictam:
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpēs æquabat sēper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ priùs in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisonâ pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas:
O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiæ columen, Peleu, clarissime natu:
Accipe, quod læta pandunt tibi luce sorores,
Veridicum oraclum: sed vos, quæ fata sequuntur,
Cur-

OBSERVATIONES.

dem Marone non est prætermissum l. 4. Æneid.

Sic ait, & dextra crinem secat: omnis & una.
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Imò non ante admovebatur culter jugulo victimæ, quàm ex ejus capite aliquot setæ præscinderentur, ex eadem superstitione. Jure igitur optimo comæ Deorum, & Parcarum ambrosiæ vocantur, ut pote quæ mortis novaculæ obnoxiæ non sint.

v. 314. *Libratum*] Et istud mendose; legendum enim *vibratum*, quod est contortum. Virg. 12. Æn.

——*fœdare in pulvere crines*
Vibratos calido ferro.——

v. 320. *pellentes vellera voce*] Frustra sunt, qui emendant *pectentes*, nam Catullus ipse fungitur vice interpretis, cum toties inculcat:

Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Hortantur scilicet Parcæ fusos ad currendum. Plaut. Aulul. *Deus mihi impulsor fuit*, idest hortator.

v. 332.

Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentē perfundat amore,
Languidulosque paret tecum conjungere somnos,
Lævia substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persæpe vago victor certamine cursus,
Flammea prævertet celeris vestigia cervæ.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabūt sanguine rivi:
Troïcaque obsîdens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius hæres.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Illius

OBSERVATIONES.

v. 330. *flexanimo mentem p. a.*] Ita Pacuvius Hermiona:

—— o FLEXANIMA,
Atque omnium regina rerum oratio.

v. 334. *Nascetur vobis*] Ante hunc versum legebatur in vulgatis tetrastichon, quod felici manu delevit Scaliger. Est autem hujusmodi:

Nulla domus tales unquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes:
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.

v. 337. *prævertet celeris vest. c.*] Achilles de se ipso apud Statium:

Vix mihi bissenos annorum torserat orbes
Vita rudis, volucres cum jam PRÆVERTERE CERVOS,
Et Lapithas cogebat equo, præmissaque CURSU
Tela sequi ——

v. 373.

Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Cum cinere incanos ſolvent à vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Namque, velut denſas præſternens meſſor ariſtas
Sole ſub ardenti flaventia demetit arva :
Trojugenûm infeſto proſternet corpora ferro.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ paſſim rapido diffunditur Helleſponto :
Cujus iter cæſis anguſtans corporum acervis,
Alta tepefaciet permiſtâ flumina cæde.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Denique teſtis erit morti quoque reddita præda :
Cum teres excelſo coacervatum aggere buſtum
Excipiet niveos perculſæ virginis artus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Nam ſimul ac feſſis dederit fors copiam Achivis,
Urbis Dardaniæ Neptunia ſolvere vincla :
Alta Polixeniâ madefient cæde ſepulcra ;
Quæ, velut ancipiti ſuccumbens victima ferro,
Projiciet truncum ſubmiſſo poplite corpus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Quare agite optatos animi conjungite amores,
Accipiat conjux felici fœdere Divam,
Dedatur cupido jamdudum ſponſa marito.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.

Non

Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præsentes nāque ante domos invisere castas
Sæpius, & se se mortali ostendere cœtu:
Cælicolæ nondum spretâ pietate solebant.
Sæpe pater Divûm templo in fulgente revisens,
Annua dum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terrâ centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit:
Cum Delphi totâ certatim ex urbe ruentes
Acciperent læti Divum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est præsens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupidâ de mente fugarunt:

Per-

OBSERVATIONES.

v. 373. *Hesterno poterit*] Cervicis enim venæ à coitu intumescere solent, ut observant Scaliger, & Mercurialis: vel ob morsiunculas amatorias, quod sentit Douza Pater in quodam carmine ad Hautenum.

v. 380. *Præsentes*] Vide Propertium Eleg. 11. l. 3. à versu 41.

Perfudere manus fraterno sanguine fratres:
Destitit extinctos natus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ:
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est Divos scelerare Penates:
Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Justificam nobis mentem avertêre Deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

CARMEN LXIV.

Opusculum de comâ Beronices inter fraterna mortis mœrores absolutum Ortalo mittit.

ETsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat à doctis, Ortale, virginibus:
Nec potis est dulces Musarum expromere fetus
Mens animi. tantis fluctuat ipsa malis:

(Nam-

OBSERVATIONES.

v. 404. *lumine claro*] Huc pertinet Actæonis fabula, qui cum Dianam lavantem imprudens aspexisset, mutatus est in cervum, & à propriis canibus miserè discerptus. Pii tamen homines etiam corrupto sæculo Deos nonnumquàm impune viderunt, veluti Æneas Virgilianus patriâ procumbente. Utor ejus testimonio:

Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa Deam, qualisque videri
Cælicolis, & quanta solet —

CARM.

(Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troïa Rheteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
* * * * * * *
Numquam ego te vitâ frater amabilior
Aspiciam posthac? at certè semper amabo,
Semper mœsta tuâ carmina morte canam:
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, absumpti fata gemens Ityli.)
Sed tamen in tantis mœroribus, Ortale, mitto
Hæc excerpta tibi carmina Battiadæ:
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo fortè putes animo:
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decursu:
Huic manat tristi conscius ore rubor.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXIV. v. 9. Hic inepti homines versiculum spurium supposuerant:

Alloquar. audiero numquam tua verba loquentem?

Sed Critici doctiores expunxerunt, jusseruntque illuc redire, unde malum pedem tulerat. Deest igitur legitimus.

CARMEN LXV.

Elegia de Comâ Beronices.

Beronice Ptolemai Evergetis Ægyptiorum regis conjux & soror, viro adversus Assyrios proficiscente, comam suam Veneri vovit, si maritus re prosperè gestâ sospes, & victor domum reduxisset. Cum autem omnia è sententiâ evenissent, votique fidem, comâ in æde Veneris appensâ, Regina solvisset, ea postridiè non apparuit. Quapropter ambobus conjugibus juxta mœrentibus Conon percelebris Astronomus persuasit comam à superis in cælum sublatam, ibique novum sidus factam. Hoc autem thema prior Callimachus versu tractavit, ex quo, Catullus ista desumpsit, ut non obscurè colligitur ex Elegiâ præcedenti.

OMnia qui magni dispexit lumina mundi,
  Qui stellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi Solis nitor obscuretur,
  Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans,
  Dulcis amor gyro devocet aërio:
Idem me ille Conon cælesti lumine vidit
  E Beroniceo vertice cæsariem
Fulgentem clarè: quam multis illa Deorum,
  Lævia protendens brachia, pollicita est,
Quâ rex tempestate, novo auctus Hymenæo
                                        Va-

OBSERVATIONES.

CARM. LXV. v. 9. *multis Deorũ*] Observavit Statius ex vetusto Persii Scholiaste, cirros, seu τοὺς στρόφους certis numinibus consecratos fuisse. Addo ego, Æsculapio Pergamum usque missam in aureâ pyxide cæsariem Flavii Earini, quod testatur Papinius l. 3. Silv. carm. 4.

v. 12

Vastatum fines iverat Assyrios,
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentū
Frustrantur falsis gaudia lacrymulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me Divi, vera gemunt, juverint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo prælia torva viro.
At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile dissidium,
Cum penitùs mœstas exedit cura medullas;

Ut

OBSERVATIONES.

v. 12. *Vastatum fines iverat*] Cum hæc attentè considero, venit in mentem loci cujusdam Virgiliani pessimè ab interpretibus accepti, qui sic habet 1. Æneidos:

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
IT MARE PRORUPTUM, & pelago premit arva sonanti.

Adrianus Turnebus litteratorum sui ævi facilè princeps, existimavit hoc dictum à Virgilio Græcorum imitatione, qui & ipsi flumina maris nomine interdum appellant, confirmatque Nicandri testimonio. Sed, ignoscant mihi tanti viri manes, non est necesse confugere ad occultiora, quando clarior explicatio se oculis objicit. Quis enim vel Grammaticis rudimentis imbutus non statim explicet, *unde Timavus per novem ora, cum magno montis murmure, it ad mare prorumpendum?* eâ ratione, quâ Catullus dixit *vastatum fines*, pro *ad fines vastandos*. At sæpe id evenit, ut qui multæ lectionis famam aucupatur, à mente bonorum auctorum quàm longissimè abeant, in eosque mera somnia comminiscantur.

v. 23. *Cum*] Pro *quandoquidem*, ut apud Tibul. Eleg. 5. l. 2.

Et faveo morbo, CUM juvat ipse dolor.

Ut tibi nunc toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit! atqui ego certè
Cognoram à parvâ virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quòd regium adepta es
Conjugium? quòd non fortior aut sit alis?
Sed tum mœsta virûm mittens quæ verba locuta es!
Jupiter, ut tersti lumina sæpe manu!
Quis te mutavit tantus Deus? an quòd amantes
Non longè à caro corpore abesse volunt?
At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci conjuge Divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset is, aut in tempore longo
Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret!
Queis ego pro factis cælesti reddita cœtu
Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, ô regina, tuo de vertice cessi,
Invita. adjuro teque, tuumque caput,
Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximũ in oris
Progenies Phthiæ clara supervehitur:
Cum Medi peperere novum mare: cumque ju-

OBSERVATIONES.

v. 37. *cælesti reddita cœtu*] Ita supra carm. 63. *mortali ostendere cœtu*

v. 44. *Progenies Phthiæ*] Macedonum reges Alexandri successores, qui maternum genus ducebat ab Achille Phthio Græcorum fortissimo. Vide Curtium l. 4. c. 6. Vellejum Paterculum l. 1.

v. 52.

juventus
Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Jupiter, ut χαλύβων omne genus pereat:
Et qui principiò sub terrâ quærere venas
Institit, ac ferri frangere duritiem!
Abruptæ paulò ante comæ mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoës Chloridos ales equus;
Isque per ætherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eò famulum legarat,
Gnata Canopiis incola litoribus
Ludit ubi, vario ne solùm in lumine cæli,
Aut Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus

De-

OBSERVATIONES.

v. 52: *Memnonis Æthiopis unig.*] Pegasus eadem natus matre, qua Memnon Æthiops: licet alii fabulatores ortum tradant è sanguine Medusæ, cujus caput Perseus falcato ense reciderit. Sed quid fabulis inconstantius?

v. 54. *Arsinoes Chloridos*] Hic semel monitum lectorem volo, Arsinoën Beronices matrem cultam fuisse apud Ægyptios nomine Chloridis, & Veneris: Chloris autem Zephyritis dicitur, quia Zephyri uxor. Scaliger hæc abunde.

v. 58. *litoribus ludit*] Talem describit Medeam Valerius Flaccus l. 5 Argonaut.

— fluvios, ripamque petebat
Phasidis, æquali Scythidum comitante caterva.
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Pallad s, hinc castæ Proserpina juncta Dianæ.

I 4 v. 66.

Devotæ flavi verticis exuviæ.
Vuidulo à flatu cedentem ad templa Deûm me
Sidus in antiquis Diva novum posuit.
Virginis & sævi contingens namque Leonis
Lumina, Callistœ juncta Lycaoniæ,
Vertor in occasum tardum dux ante Booten,
Qui vix serò alto mergitur Oceano.
Sed quamquã me nocte premunt vestigia Divûm,
Luce autem canæ Tethyi restituor:
(Pace tuâ fari hæc liceat Rhamnusia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam:
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin veri pectoris evolüam.)
Nõ his tam lætor rebus, quàm me abfore sẽper,
Abfore me à dominæ vertice discrucior.
Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers.
Unguentis, murrhæ millia multa bibi.
Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda
Non post unanimis, corpora, conjugibus:
Tradite nudantes rejectâ veste papillas,
Quà jucunda mihi munera libet onyx:
Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili.

Sed.

OBSERVATIONES.

v. 66. *Callistoe*] Ita excudendum curavimus ab Græco Καλλιστοῖ, monente Scaligero, qui negat *Callisto* dici posse tertio casu: inflectitur enim, ut Dido, Didûs, Didoni, Dido.

v. 79. *optato lumine*] Die votis omnibus expetitâ. sic infra *festis luminibus*. v. 99.

Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis:
Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sed magis, ô nuptæ, semper concordia vestras,
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu verò, regina, tuens cum sidera, Divam
Placabis festis luminibus Venerem:
Sanguinis expertem non siveris esse tuam me,
Sed potiùs largis affice muneribus.
Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam!
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

CARMEN LXVI.

Januam cujusdam mulieris inducit cum viatoribus colloquentem, dominæque suæ flagitia & scelera per ambages memorantem.

VIATORES.

O Dulci jucunda viro, jucunda parenti,
Salve, teque bonâ Jupiter auctet ope,
Januà, quam Balbo dicunt servisse benignè
Olim, cum sedes ipse senex tenuit:

Quam-

OBSERVATIONES.

v. 90. *Venerem*] Arsinoën matrem tuam.

v. 94. *Proximus Hydrochoi*] Hoc vult Catullus: Dummodò in capite Beronices iterum sedeam, perturbetur ordo siderum, & disjunctissima quæque simul coëant: nihil ad me attinet. Similis concessio illa pastoris morituri apud Virg. in Pharmaceutriâ. *Omnia vel medium fiant mare.* Quod si Critici animadvertissent, minùs profectò à scopo aberrassent.

CARM.

Quamque ferunt rursus voto serviisse maligno,
Postquam est porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

JANUA.

Non (ita Cæcilio placeam, cui tradita nunc sum)
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.
Nec peccatum à me quisquam pote dicere quidquam.

* * * * * * *

Quin quacumq; aliquid reperitur non bene factũ,
Ad me omnes clamant: Janua, culpa tua est.

VIATORES.

Non istuc satis est uno te dicere verbo,
Sed facere, ut quivis sentiat, & videat.

JANUA.

Qui possum? nemo quærit, nec scire laborat.

VIATORES.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

JANUA.

Primùm igitur, virgo quod fertur tradita nobis,

Fal-

OBSERVATIONES.

CARM. LXVI. v. 8. *In dominum veterem*] Fortasse, quòd mœchos intrò admitteret.

v. 12. Non tot ornatus Vertumno fuerunt, quot huius versiculi lectiones à plerisque conceptæ sunt, quem propterea delendum censuimus: constat enim obtrusum à correctoribus, lacunam ægrè ferentibus. Scaliger ex hoc persuadere contendit, Catullum Quinti prænomine appellatum; sic autem legit

Verùm isti populi mœnia, Quinte, facis.

Sed fragili nimiùm tibicine opinionem suam fulcit, ut quisque nullo negotio videre potest, cum viatores januã interrogent, non poëta ipse.

v. 23.

Falsum est, non quì illam vir prior attigerit,
Languidior tenerâ cui pendens sicula betâ
Numquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater ille sui nati violasse cubile
Dicitur, & miseram conscelerasse domum:
Sive quòd impia mens cæco flagrabat amore,
Seu quòd iners sterili semine natus erat:
Et quærendum unde unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

VIATORES.

Egregium narras mirâ pietate parentem,
Qui ipse sui nati imminxerit in gremium.

IANUA.

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Chinææ supposita speculæ:
Flavus quam molli percurrit flumine Mela:
Brixia Veronæ mater amata meæ:

Sed

OBSERVATIONES.

v.20. *attigeris*] Devirginaverit, vel quoquomodo corruperit. Tibul. Eleg. 7. l.1.

Parcite, quam custodit Amor, violare puellam:
Ne pigeat magno post didicisse malo.

ATTIGERIS. labentur opes. &c.

v.21. *Languidior tenera beta*] Pari omnino metaphorâ usus est Arbiter in re simili:

Ter corripui terribilem manu bipennem,
Ter LANGUIDIOR coliculi repente thyrso
Ferrum timui, quod trepido male dabat usum.

v.32. *Brixia Chinææ supposita speculæ*] Populus Brixiensis è speculâ Chinæâ prospiciens; quod ne quis temerè à me affirmari existimet, Ovidium audiat, qui epistolâ Leandri unicè Catullum illustrat:

Ascensurus eram: nisi quòd, cum vincula proræ
Solveret, IN SPECULIS omnis Abydos erat.

nimirum populus Abydenus.

Sed de Posthumio, & Cornell narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hìc aliquis: Quì tu isthæc Janua nosti,
Cui numquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
Tantùm operire soles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtivâ voce loquentem
Solam consciolis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus: utpote quæ mî
Speraret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quemdã, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas cui lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

CAR-

OBSERVATIONES.

v. 44. *nec linguam esse, nec auriculam*] Sed spes illam sua frustrata est, nam ut verissimè Juvenalis 9. Sat.

—— *servi ut taceant, jumenta loquentur,*
Et canis, & postes, & marmora ——

v. 47. *Longus homo est*] *Insulsissimus*, ut alibi loquitur, & cui *nulla in tam magno corpore mica salis*. Persius quoque *ingentem* hominem pro bardo videtur posuisse in calce Sat. 5.

Dixeris hæc inter varicosos Centuriones:
Continuò crassum ridet Vulpenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

& supra versu 95.

Sambucam citius caloni aptaveris alto.

servi enim lignarii artis musicæ penitus ignari.

CARM.

Carmen LXVII.

Ad Manlium.

M. Antonii Mureti Argumentum.

Pulcherrima omnino hæc Elegia est, atque haud scio, an ulla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat. Nam & dictio purissima est: & mira quadam affectuum varietate permista oratio: & tot ubique aspersa verborum, ac sententiarum lumina, ut ex hoc uno poemate perspicere liceat, quantùm Catullus cæteris in hoc genere omnibus præstare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset. Primùm enim quòd Manlius in duris, atque acerbis rebus suis, ea quæ sibi solatio forent, ab ipso potissimùm petere voluerit, gratam sibi esse affirmat illam amicitiæ significationem. Cum autem ille duorum generum munera peteret, Musarum videlicet, & Veneris; ostendit neutrum à se præstari posse; quòd è fratris sui morte tantum dolorem hauserit, ut earum rerum studia ipsi penitùs ex animo exciderint. Postremò beneficia à Manlio apud se posita elegantissimis versibus commemorat, eique fausta, feliciaque omnia à Diis immortalibus comprecatur.

QUod mihi fortunâ, casuque oppresus acerbo
Conscriptũ hoc lacrymis mittis epistolium,
Naufragũ ut ejectum spumantibus æquoris undis
Sublevem, & à mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno

De-

OBSERVATIONES.

CARM. LXVII. v. 5. *mollire quiescere somno*] Indè adagium *somno mollior*, ad mollissimum quid significandum. Virg. Eclogâ 7.

Muscosi fontes, & SOMNO MOLLIOR herba.

Ante illum verò Theocritus εἰδ. 5.

Ἦν μὰν ἀρνακίδας τε, ϗ εἴρια τῇδε πατησεῖς
Αἴκ' ἔνθῃς ὕπνω μαλακώτερα —
Certe hic pelles agninas, & lanas calcabis,
SOMNO res MOLLIORES —

Et sanè nihil infirmius homine dor-

Desertum in lecto cœlibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
Oblectant, cum mens anxia pervigilet:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicū,
Muneraque & Musarū hinc petis, & Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda Manli,
Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe queis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne ampliùs à misero dona beata petas.
Tēpore quo primū vestis mihi tradita pura est,
Jucundum cum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit. ô misero frater adempte mihi!
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater:
Tecum unà tota est nostra sepulta domus:

Om-

OBSERVATIONES.

dormiente, nervis enim resolutis, veluti cadaver aut saxum, minimo impulsu labitur, & in quamcumque partem vacillans fertur. Vel hoc epithetum somno tribuitur μεταφορικῶς, quia scilicet soporis caussa sit humor quidam pinguis cerebrum obnubens, ut Philosophi ferè sentiunt. Aut denique Somnus ipse Deorum ignavissimus innuitur, cujus venustam descriptionem dabit Ovidius l. 11. Metamorph.

v. 15. *vestis mihi tradita pura est*] Toga virilis, quæ unicolor: cum vestis puerorum limbo purpureo prætexta esset. *Purus* Latinis est ὅμοιος. hinc *argentum purum*; id est læve, nullisque emblematibus insigne, quod minoris pretii: *pura fictilia* eadem acceptione.

v. 18. *dulcem amaritiem*] γλυκύπικρον vocat Musæus, v. 166. de amoribus Herûs & Leandri, & Franciscus Petrarca frequentissimè: *dolce amaro*.

v. 28.

Omnia tecum unà perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vitâ dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu totâ de mente fugavi
Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis Veronæ turpe Catullo
Esse: quòd hìc quisquis de meliore notâ
Frigida deserto tepefecit membra cubili:
Id, Manli, non est turpe: magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam quòd scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quòd Romæ vivimus. illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
Huc una è multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas me mente malignâ
Id facere, aut animo non satis ingenuo,
Quòd tibi non utriusque petiti copia facta est.
Ultrò ego deferrem, copia si qua foret.

Non

OBSERVATIONES.

v.28. *de meliore nota*] Primâ nobilitate. Quòd autem Lesbia dare consuevisset viris principibus, habemus ex carmine 58. supra:

Nunc in quadriviis, & angiportis,
Glubit magnanimos Remi nepotes.

v.38. *non est turpe, magis miserum est*] Quæ vitio nostro non accidunt incommoda, ea potiùs infortunia, quàm flagitia, dici merentur. Optimè Phædrus fab. 11. l.3.

Sed quid fortunæ, stulte, delictum arguis?
ID demum est homini TURPE, quod meruit pati.

Magis pro *potiùs* lego apud Valerium Flaccum 1. Argonaut. v. 74. quem si cum Caspare Barthio poetarum Epicorum principem dixeris post Virgilium, æquissimam

poirò

Non poſſum reticere, Deæ, quâ me Allius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis:
Ne fugiens ſæclis obliviſcentibus ætas,
Illius hoc cæcâ nocte tegat ſtudium.
Sed dicam vobis. vos porrò dicite multis
Millibus, & facite hæc charta loquatur anus.
* * * * * * *
Noteſcatque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens ſublimis aranea telam,
In deſerto Alli nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathuſia curã,
Scitis, & in quo me torruerit genere:
Cum tantùm arderem, quantùm Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis,
Mœſta neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu
Ceſſarent, triſtique imbre madere genæ:
Qualis in aërii pellucens vertice montis
Rivus muſcoſo proſilit è lapide:

Qui

OBSERVATIONES.

porrò ſententiam tuleris: adeò magni ſpiritus, lectiſſimique ſermonis auctor eſt. En tibi verba:

Heu quid agat? populumne levem, veterique tyranno
Infenſum, atque olim miſerantes Æſona patres
Advocet? an ſocia Junone, & Pallade fretus
Armiſona, ſuperet MAGIS, & freta juſſa capeſſat?

V. 47. In vulgatis hoc loco exſtat hujuſmodi verſus:

Omnibus inque locis celebretur fama ſepulti.

Scaliger delevit, quem conſule.

V. 50. *In deſerto Alli nomine*] In titulo ſtatuæ ſuppoſito. Collocabantur autem ſimulacra majorum in atriis domuum, ut nemini obſcurum eſt: ſed cum ſervarentur negligentiùs, pulvere, ſitu, rubi-

Qui cum de pronâ præceps est valle volutus,
  Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
  Cùm gravis exustos æstus hiulcat agros;
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
  Leniùs aspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
  Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is laxum lato patefecit limite campum,
  Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores,
  Quò mea se molli candida Diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
  Innixa, argutâ constitit in soleâ:

Con-

OBSERVATIONES.

bigine, araneis deturpabantur. Quamobrem legimus apud Juven. 8. Sat.

Et Curios jam dimidios, nasumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis, nasoque carentem.

& paulò post:

Fumosos equitum cum Dictatore magistros.

Promittit ergò Catullus Manlio nominis immortalitatem carminum suorum adjumento, quæ, marmoribus vetustate corrosis, tamen duratura sint.

v. 65. *Jam prece Pollucis, jam Castoris*] Alternis vicibus modò Polluci, modò Castori voto concepto. Tibullus Eleg. 2. l. 1.

JAM ciet infernas magico stridore catervas,
JAM jubet aspersas lacte referre pedem.

Sed *precem implorare* insolens videtur Achilli Statio, mihi non item, qui sciam à poëtis non rarò induci Deos minores Jovi supplicantes, ut ex uno Virgilii poëmate videre est. Poterant ideò nautæ Dioscuros rogare, ut ipsi à patre Jove maris tranquillitatem impetrarent.

v. 72. *arguta constitit in solea*] Quæ alio nomine dicta *crepida*, à *crepitu* scilicet, quem edebat inter ambulandum.

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
Protesilaëam Laodamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia cælestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temerè invitis suscipiatur heris.
Quàm jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,
Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quàm veniens una atque altera rursus hiems
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
Posset ut abrupto vivere conjugio.
Quod scibant Parcæ non longo tẽpore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Ceperat ad sese Troia ciere viros:
Troia (nefas) commune sepulcrum Europæ, Asiæq;
Troia virûm, & virtutum omnium acerba cinis;

Quæ,

OBSERVATIONES.

v.73. *Conjugis ut quondam*] Incipit poeta latissimè vagari, donec ad fratris mortem dolendam miro quodam artificio, veluti aliud agens, rursum se conferat.

v.75. *Inceptam frustra*] Malis avibus, & Diis aversantibus ob neglecta sacrificia.

v.76. *cælestes heros*] *Terrarum dominos*, ut ait Horatius. Ita supra c. 62. ad Cybelen:

Procul à mea tuus sit furor omnis,
HERA, domo.

Ennius quoque apud Ciceronem 1. de Officiis, ex ore Pyrrhi:

Vosne velit an me regnare HERA,
quidve ferat sors.

v.90. *virum, & virtutum omnium acerba cinis*] Quâ procumbente simul Heroum genus interire visum est.

Quæ, væ te, nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater adempte mihi!
Hei misero fratri jucundum lumen ademptum!
Tecum unà tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum unà perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vitâ dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longè non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troiâ obscœnâ, Troiâ infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo;
Ad quam tũ properans fertur unde undique pubes
Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abductâ gavisus libera mœchâ
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vitâ dulcius, atque animâ
Conjugium. Tanto te absorbens vortice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graî Pheneum prope Cylleneum
Sic-

OBSERVATIONES.

est: quis enim sequentibus temporibus aut Achille fortior, aut Hectore constantior, aut Ulysse sagacior, aut Nestore prudentior extitit? quis vel pari passu ad gloriam tetendit? quis vel proximè accessit? Ita Catullus; at nos longè diversâ opinione sumus: nullum enim sæculum virtutibus maximis, pariterque ingentibus vitiis caruit.

v.99. *Obscæna*] Sinistris auspiciis conditâ. *Obscænum* opponitur *augusto*. Actius Oenomao:

Cives ominibus faustis augustam adhibeant
Faventiam, ore OBSCOENA dicta segregent.

Noster supra carm. 63. de Athenis:

Queis augusta malis cum mœnia vexarentur.

Siccari emulsâ pingue palude folum,
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certâ Stymphalia monstra sagittâ
Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus ut cæli tereretur janua Divis,
Hebe nec longâ virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod Divum domitum ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri gnata nepotis alit:
Qui cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat à cano vulturium capite;
Nec tantùm niveo gavisa est ulla columbo
Compar, quæ multò dicitur improbiùs
Oscula mordenti semper decerpere rostro:
Quam-

OBSERVATIONES.

V.110. *Siccari emulsa*] Narrat Pausanias in Arcadicis, Herculem Tirynthe ab Eurystheo pulsum, Pheneum se recepisse: cumque Olbius amnis immodicâ eluvione Pheneaticum agrum vastaret, fossam duxisse longitudine stadiorum L. sub vicinos montes excurrentem, in quam paludes defluerent.

V.114. *deterioris heri*] Eurysthei digni potiùs, qui Herculi serviret, quàm ut ipsi Hercules.

V.123. *gentilis*] Gentiles, juxta Ciceronem in Topicis, appellantur ejusdem familiæ, sive nominis, homines, ingenui tamen, & quorum nemo servitutem serviverit, aut capite minutus fuerit.

V. 124. *vulturium*] Hæredipetam captatorem, qui miseri senis divitiis inhiaret, non aliter ac vultures cadaveribus.

v. 137.

Quamquam præcipuè multivola est mulier.
Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
Ut semel es flavo conciliata viro:
Aut nihil, aut paulò cui tum concedere digna
Lux mea se nostrum contulit in gremium;
Quam circumcursans hinc illinc sæpe Cupido
Fulgebat crocinâ candidus in tunicâ.
Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimiùm simus stultorum more molesti:
(Sæpe etiam Juno maxima cælicolûm
Conjugis in culpâ flagravit quotidianâ,
Noscens omnivoli plurima furta Jovis:
Atquì nec Divis homines componier æquum est.)
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextrâ deducta paternâ
Fragrantem Assyrio venit odore domum:
Sed

OBSERVATIONES.

v. 137. *stultorum more*] Dementes ea cupere solent, quæ nullo modo fieri possunt. Ovidius Tristium 3. Eleg 8.

STULTE, quid hæc frustra votis puerilibus optas,
Quæ non ulla tibi fertque feretque dies?

v. 140. *omnivoli Jovis*] Notum Distichon:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Jupiter cycnus, taurus, satyrus, aurum factus est, *ob amorem Ledæ, Europæ, Antiopes, Danaes.*

v. 142. *tolle parentis onus*] Id est; omnia feremus, dominæ arbitriis morem gerentes, excepto sene morosissimo, quem velim sepultum, ne amores mutuos interturbet.

v. 144. *Assyrio odore*] Non prætermittendus est Solini locus c. 48. huc maximè pertinens: *ASSYRIORUM*, inquit, *initium Adyabene facit*,

Sed furtiva dedit mirâ munuscula nocte,
Ipsius ex ipso dempta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unus,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis:
Ne vostrum scabrâ tangat rubigine nomen
Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia:
Huc addent Divi quamplurima, quæ Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices & tu simul, & tua vita,
Et domus, ipse in quâ lusimus, & domina:
Et qui principiò nobis te tradidit, à quo
Sunt primo nobis omnia nata bona:
Et longè ante omnes mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea: quâ vivâ vivere dulce mihi est.

CAR-

OBSERVATIONES.

cit, in cujus parte Arbelitis regio est, quem locum victoria Alexandri Magni non finit præteriri. Nam ibi copias Darii fudit, ipsumque subegit, expugnatisque ejus castris, in reliquo apparatu regis scrinium unguentis refertum reperit, unde primum Romana luxuria fecit ingressum ad ODORES peregrinos, Tibul. Eleg. 3. l. 1.

Non soror, ASSYRIOS cineri quæ
dedas ODORES.

V. 149. *Quod potui*] Pro virili. Virg. Eclog. 3.

QUOD POTUI, puero silvestri ex
arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera
mittam.

CARM.

CARMEN. LXVIII.

Miranti Rufo cur se puellæ fugerent, trago, sive axillarum graveolentiâ, id effici ait.

NOli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum suppofuisse femur:
Non si illam raræ labefactes munere vestis,
Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, quâ tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum; nam mala valde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem:
Aut admirari desine, cur fugiunt.

CARMEN LXIX.

Lesbiæ, unaque feminarum omnium, levitatem sugillat.

NUlli se dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi: non si se Jupiter ipse petat.
Di-

OBSERVATIONES.

CARM. LXVIII. v. 1. *Noli admirari*] Sua quemque vitia fallunt, & nemo sibi fastidiendus videtur. Huc pertinent illa Horatii amarissima Epod. 8. in vetulam prurientem:

Rogare longo putidam te seculo,
Vires quid enervet meas?
Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret? &c.

Dicit: *Sed MULIER cupido quod dicit amanti,*
In vento, & rapidâ scribere oportet aquâ.

CARMEN LXX.

Ad Virronem de rivali ejus.

SI cui, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem meritò tarda podagra secat:
Æmulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
Mirificè est à te nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos,
Illam affligit odore, ipse perit podagrâ.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXIX. v. 3. *Sed mulier*] Femineum genus apud poëtas malis rumoribus passim flagrat, nec injuria: quippe mulieres *nihil promittere parcunt*, ut os sibi frigefactent, & amatori sublinant. Sed hæc omnia vulgata.

CARM. LXX. v. 6. *Illam affligit odore*] Optimè dictum; qui enim graveolentiâ laborat, vitium ipse suum vix animadvertit, vicinis tamen, quibuscum versatur, molestiam creat. Quamobrem hircosus ille Rufus, de quo paulò ante, admirabatur cur se cane pejus & angue mulieres fugerent, morbi sui videlicet nescius. Plinius idem observat de pretiosis unguentis l. 13. c. 3. Ejus verba sunt: *Summa commendatio eorum, ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes. Excedunt que quadragenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena! Etenim ODOREM qui gerit, ipse non sentit.* Vis autem diuturnæ consuetudinis id efficit, quâ sensus hebetiores fieri videntur. Ovidius Artis Amat. l. 2. versu 653.

Eximit ipsa dies omnes è corpore mendas,
Quodque fuit vitium, desinit esse mora.
Ferre novæ nares taurorum terga recusant:
Assiduo domitas tëpore fallit ODOR.

Quid tamen deterius halat bubulis pellibus recenter detractis? Indè Plautus Casinâ spectatores domum dimittens, optat ei, *qui manibus clarè non plauserit, hircum nautea unctum pro scorto supponi.* Nautea verò est aqua coriariorum.

CARM.

CARMEN LXXI.

Lesbiæ ruptam fidem exprobrat.

DIcebas quondam, solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec præ me velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantùm ut vulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit, & generos.
Nunc te cognovi; quare, etsi impensiùs uror,
Multò mî tamen es vilior, & levior.
Quì potis est? inquis. Quod amantem injuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minùs.

CARMEN LXXII.

De ingrati animi vitio.

DEsine de quoquã quidquã bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare tuum.
Om-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXI. v. 1. *nosse*] Magni æstimare. Ita Cicero pro Archia poëta: *Omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, COGNITIONE atque hospitio dignum existimarunt.* Contra Propertius Elegia 2. l. 2.

Jupiter, ignoro pristina furta tua. Id est, despicatui habeo, contemno, elevo.

v. 8. *amare magis, sed bene v. m.*] Amo enim te vehementiùs, quò magis aditus omnes mihi præcludere tentas: nihil enim aliud est amare, quàm immodicè cupere; in ea verò potissimùm copias nostras omnes intendimus, quorum difficilis possessio apparet, aut de quibus nobis cum altero rixa est. Sed qui possum, ó Lesbia, tibi à Diis immortalibus prosperos rerum eventus deposcere, cum ob perfidiam de cælo tangi potiùs mereare?

CARM.

Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benignè est:
Imò etiam tædet, statque magisque magis.
Væ mihi, quẽ nemo graviùs, nec acerbiùs urget,
Quàm modò qui me unum atque unicum amicum habuit.

Carmen LXXIII.

In Gellium incestum.

GEllius audierat, patruum objurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam quamvis irrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXII. v. 3. *nihil fecisse benignè est*] Nihil omnino prodest se munificum præbere, imò etiam nocet. Cato de re rustica: EST *interdum præstare populo, mercaturis rem quærere*. Italicè dicimus: *tornare à conto*.

v. 4. *Statque*] Animo infixum est benefaciendi tædium: certum & decretum est largitionibus finem imponere. Virg. 2. Æneidos:

STAT casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, & rursus caput objectare periclis.

v. 6. *unum atque unicum*] Ἐμφατικῶς.

CARM. LXXIII. v. 3. *Hoc ne ipsi accideret*] Sciebat enim patruum talia flagitia operiturum silentio, ne per ora hominum suæ domus infamia vulgaretur.

v. 6. *verbum non faciet*] Opere obscœno impeditus.

CARM.

CARMEN LXXIV.

In Lesbiam fœdifragam.

NUlla poteſt mulier tantùm ſe dicere amatam
  Verè, quantùm à me Lesbia amata mea es.
Nulla fides ullo fuit umquam fœdere tanta,
  Quanta in amore tuo ex parte reperta meâ eſt.
Nunc eſt mens deducta tuâ mea, Lesbia, culpâ,
  Atque ita ſe officio perdidit ipſa pio:
Ut jam nec bene velle queam tibi, ſi optima fias,
  Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

CARMEN LXXV.

Ab amore, quòd immerenti ſibi ſemper malè ceſſerit, Deorum ope cupit exſolvi.

SI qua recordanti benefacta priora voluptas
  Eſt homini, cum ſe cogitat eſſe pium:
Nec ſanctam violaſſe fidem, nec fœdere in ullo
  Divûm ad fallendos numine abuſum homines:
Multa parata manent in longâ ætate, Catulle,
  Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.

Nam

OBSERVATIONES.

CARM. LXXIV. v. 8. *Omnia ſi facias*] Etiamſi conſultò id agas, ut amorem tui omnem ex animo meo deleas. *Omnia facere* eſt nullum lapidem non movere.

CARM. LXXV. v. 4. *Divum ad fallendos*] Parem loquendi formulam obſervo apud Curtium l. 10. c. 9 *Cum ejus nomine, quem ipſe fecerat regem, in perniciem ſuam ABUTENTES videret inimicos.*

v. 12.

Nam quæcumque homines bene cuiquam aut dicere possunt,
Aut facere : hæc à te dictaque, factaque sunt ;
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare jam te cur ampliùs excrucies?
Quin te animo offirmas itaque, instructoque reducis ?
Et, Diis invitis, desinis esse miser?
Difficile est longum subitò deponere amorem :
Difficile est : verùm hoc qualubet efficias.
Una salus hæc est, hoc est tibi pervincendum.
Hoc facies, sive id non pote, sive pote.
O Dii, si vestrũ est misereri, aut si quibus umquam
Extremâ jam ipsâ in morte tulistis opem :
Me miserum aspicite, & si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem, perniciemque mihi ;
Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa,
Aut, quod non potis est, esse pudica velit :

Ipse

OBSERVATIONES.

v.12. *Diis invitis*] Fortuna quidem & fatum, ô Catulle, in te conjurant, sed tu medium illis unguem ostende. In eâ enim hæresi erant antiqui, ut putarent, sapientem arbitrii sui viribus posse virtutem adipisci, superis etiam repugnantibus. Juvenalis 10. Sat.

Monstro quod ipse tibi possis dare. Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

v. 16. *sive id non pote, sive pote*] Sive id factu difficile, sive pronum.

CARM.

Ipſe valere opto,& tetrũ hunc deponere morbũ.
O Dii reddite mî hoc pro pietate meâ.

CARMEN LXXVI.

In Rufum, quòd contra fidem amicitiæ cum Lesbiâ conſueviſſet.

RUfe mihi fruſtra,ac nequidquã,credite amice,
Fruſtra? imò magno cum pretio, atque malo.
Siccine ſubrepſti mî, atque inteſtina perurens,
Mî miſero eripuiſti omnia noſtra bona?
Eripuiſti. heu heu noſtræ crudele venenum
Vitæ, heu heu noſtræ peſtis amicitiæ.
Sed nunc id doleo, quòd puræ pura puellæ
Suavia comminxit ſpurca ſaliva tua.
Verùm id non impune feres, nam te omnia ſæcla
Noſcent, &, qui ſis, fama loquetur anus.

CARMEN LXXVII.

Gallum quemdam ut libidinum inter ſuos adminiſtrum notat.

GAllus habet fratres: quorum eſt lepidiſſima conjux

Al-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXVI. v. 9. *Non impune feres*] Graviſſimam quidem Catullus rivali ſuo minatur ultionem, vulnera enim, quæ à bonis poëtis calamo infliguntur, ad cicatricem ſerò perveniunt.

CARM.

Aſterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo eſt bellus, nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo eſt ſtultus, nec ſe videt eſſe maritũ,
Qui patruus patrui monſtret adulterium.

CARMEN LXXVIII.

In Gellium, quem ipſi Lesbia prætulerat.

GEllius eſt pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quàm te cum totâ gente, Catulle, tuâ.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullũ,
Si tria notorum ſuavia repperterit.

CARMEN LXXIX.

In Gellium impuri hominem oris.

QUid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella
Hibernâ fiant candidiora nive:

Ma-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXVII. v. 5. *nec ſe videt eſſe maritum*] Non cogitat, ſe quoque ſimili dedecore affici poſſe, ac ſecum ſuo jure agi.

CARM. LXXVIII. v. 3. *vendat cum gente Catullum*] Non recuſo quin me cum totâ familiâ ſubhaſtet, dummodò tres tantùm inveniat, qui ſe amicitiæ oſculo excipiant. *τὸ vendat* permittentis eſt.

V. 4. *notorum*] Familiarium. Horatius Sat. 1. l. 1.

Non uxor ſalvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, NOTI, pueri atque puellæ.

V. 4. *Suavia*] Tacitè objicit Gellio ſpurcitiem labiorum. Pariter Mart.

Baſia das aliis, aliis das, Poſthume, dextram:
Quæris utrum malim, Poſthume? malo manum.

CARM.

Manè domo cum exis, & cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio, quid certè est. an verè fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certè: clamant Victoris rupta miselli
Ilia, & emulso labra notata sero.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXIX. v. 3. *Octava*] Hora meridiana, de quâ citat. Martialis:

Sufficit in nonam nitidis OCTAVA palæstris.

eâ enim cænaturi priùs exercebantur, lavabant, corpus fricabant atque ungebant, sudorem ciebant &c.

v. 4. *longo die*] Ita Cicero l. 6. de Rep. *sermonem in multam noctem produximus.*

v. 5. *Nescio, quid certè est.*] Ignoro quænam causa sit hujus inusitati candoris, at sanè magnum aliquid esse oportet. Virgil. Pharmaceutriâ:

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.
NESCIO, QUID CERTE EST, & Hylax in limine latrat.

v. 6. *medii viri*] Quamvis locutiones istæ sapiant obscœnitatem, nonnumquàm tamen honestè intelligi debent, nisi accedant alia verba manifestò impudica, ut in hoc versiculo. Terentius Adelph. Act. 3. Sc. 2.

Sublimem MEDIUM arriperem, & capite primùm in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam ——

Idem Andriæ Act. 1. Sc. 1.

—— *interea hæc soror,*
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentiùs,
Satis cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem, & celatum indicat:
Accurrit: MEDIAM mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?

v. 7. *sic certè*] Supra carm. 61.

SIC CERTE; viden'ut perniciter exsiluere?

CARM.

CARMEN LXXX.

Juventium irridet, quòd minùs elegantem amatorem elegisset.

NEmone in tanto potuit populo esse, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes:
Præterquàm iste tuus moribundâ à sede Pisauri
Hospes, inauratâ pallidior statuâ:
Qui tibi nunc cordi est, quẽ tu præponere nobis
Audes? ah nescis, quod facinus facias.

CARMEN LXXXI.

Ad Quintium, ne amores suos attingat.

QUinti, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis:
Eripere ei noli, multò quod carius illi
Est oculis, seu quid carius est oculis.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXX. v. 3. *moribunda à sede Pisauri*] Fortasse quòd aëris vitio Pisaurenses omnes miserè pallerent. Hic autem color morti proximos occupare solet. Virg. 4. Æneid.

—— maculisque trementes
Interfusa genas, & PALLIDA morte futura.

Lucanus lib. 7.

—— multorum PALLOR in ore
Mortis venturæ est, faciesque simillima fato.

Optima sunt, quæ in hunc locum attulit Isaacus Vossius, illum videsis.

CARM. LXXXI. v. 1. *Quinti*] Fortasse hic Quintius ille Veronensis est, cui carmine 97. infra Cælium præponit. Quod magis verisimile fit consideranti, Aufilenam Quintio & Catullo simul in amoribus fuisse: & propterea in hoc Epigrammate non Lesbia, sed Aufilena intelligenda est.

CARM.

CARMEN LXXXII.

Maritum Lesbiæ subsannat.

LEsbia mî præsente viro mala plurima dicit.
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule nihil sentis. si nostri oblita taceret,
Sána esset; quòd nùnc gannit, & obloquitur,
Nō solùm meminit:sed,quæ multò acrior est res,
Irata est: hoc est uritur, & loquitur.

CARMEN LXXXIII.

Arrium perstringit, quòd inter pronunciandum temerè aspirationibus uteretur.

C*Hommoda* dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & *hinsidias* Arrius insidias:
Et tum mirificè sperabat se esse locutum,
Cum, quantùm poterat, dixerat *hinsidias*.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atque avia.

Hoc

OBSERVATIONES.

CARM. LXXXII. v. 3. *Mule*] Bipedum omnium stolidissime, & brutæ pecudi non absimilis.

v.6. *uritur, & loquitur*] Interpres optimus Propertius Eleg. 6. l. 3. ubi de Cynthiâ iratâ:

Nimirùm veri dantur mihi signa caloris,
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.

lege reliqua, quæ huc unicè faciunt. Idem censet Ovidius de adolescentibus cum amicâ expostulantibus:

— qui dicit multa puellæ
Probra, satisfieri postulat ille sibi.

Denique Terentius verissimâ γνώμη *Amantium ira amoris integratio est.*

Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec sibi postillà metuebant talia verba,
Cum subitò affertur nuntius horribilis:
Jonios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Jonios esse, sed *Hionios*.

CAR.

OBSERVATIONES.

CARM. LXXXIII. v. 8. *Audibant ead. hæc len. & lev.*] Populus enim Romanus longè aberat à tam ineptâ consuetudine, & nemo tenues litteras aspirabat. Igitur post Arrii discessum ab Urbe, *commoda*, & *insidiæ*, & pleraque alia generis ejusdem jam pronunciabantur ab omnibus *leniter & leviter*, idest sine aspirationis molestiâ, ideòque *aures* omnium duro illo & fragoso sonitu concussæ tandem *requieverant*. Hæc genuina, & simplicissima hujus loci explicatio est. Nam quod vir doctus ait, *hunc sonum quantumvis asperum, lenem tamen & levem visum fuisse omnibus propter longam consuetudinem*, à Catulli mente longissimè discedit, cum statim sequatur:

Nec sibi postillà metuebant talia verba.

Non metuebant scilicet, quòd Arrius in Syriam esset missus: at verba ipsa metuenda erant, & idcircò *lenia* & *levia* videri non poterant. Adde *nuntium horribilem*. cur autem *horribilis*, nisi quia ingratus & asper audientibus?

v. 11. *postquam illuc Arrius isset*] Hinc nonnulli conjiciunt, Arrium tempestate absorptum, & propterea *fluctus Jonios* dictos *Hionios* ab *hiatu*, seu voragine. Vide quò deveniant nimis acuti homines. Lector sanus τὸ *illuc* de Syria intelliget; quod autem poëta maris Jonii mentionem faciat, id absque ratione non est: qui enim ad provincias versùs Orientalem plagam positas administrandas mittebantur, à Brundusio Calabriæ oppido, quod maris Adriatici, atque Jonii fines attingit, vela solvebant; ut patebit legenti Ciceronis epistolas. Non igitur *Hionii fluctus* ab *hiatu* dicti, sed ita corruptè appellati ab ipso Arrio; cujus novæ appellationis rumor in Urbem perlatus est.

CARM.

CARMEN LXXXIV.

Ad Lesbiam θαυμαστέον.

ODi, & amo. quare id faciam, fortaſſe requiris.
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.

CARMEN LXXXV.

Quintiam Lesbiæ confert.

QUintia formoſa eſt multis: mihi cādida, longa,
Recta eſt. hoc ego. ſic ſingula confiteor.
Totum illud, FORMOSA, nego: nā nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt, quæ cū pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus una omnes ſurripuit Veneres.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXXIV. v. 1. *Odi, & amo.*] Elegantiſſimè Plutarchus apud Stobæum ſerm. 62. Amorem comparat Sphingi: hoc autem illum differre cenſet, quòd ænigmata ſolvenda non proponat, ſed ipſe obſcuriſſimum ænigma ſit. Ut ſi quis interroget, *quid ſit, quod* ODERIT *ſimul &* AMET, *fugiat & perſequatur, minetur & ſupplicet, iraſcatur & miſereatur, deſinere velis ac nolis, eadem re maximè tum gaudeat, tum triſtetur &c.*

CARM. LXXXV. v. 4. *Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis*] Ideſt nullus nævus, cujus illecebris & venuſtate amator detineatur. Huc unicè pertinent, quæ obſervavimus ad Carmen 54. ſuperiùs; illud præcipuè, Ciceronis: *at erat* (Roſcius) *ſicut hodie eſt, perverſiſſimis oculis. Quid refert, ſi hoc ipſum SALSUM & venuſtum illi videbatur?*

CARMEN LXXXVI.

In Gellium incestum.

QUid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, ô Gelli, quantum non ultima Thetys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil est quidquã sceleris, quo prodeat ultra:
Non si demisso se ipse voret capite.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXXVI. v. 6. *abluit Oceanus*] Ea veterum animis falsa persuasio insederat, ut putarent adulteria, stupra, nefarias libidines, hominum cædes, atque id genus delicta marinis, vel flumineis aquis tolli posse, cumque ad sacrum accessuri erant, corpus lavabant: quo facto, omnem ex animo vitiorum squallorem detersum simul opinabantur. Hunc errorem video ab Ovidio notatum 2. Fastorum, ubi de purgaminibus:

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Sed acrius Lactantius Firmianus religionis veræ propugnator miseram superstitionem insectatur Div. Instit. l. 5. c. 20. *Atilli infelices*, inquit, *nec ex sceleribus suis intelligunt quam malum sit, quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & se piè sacrificasse opinantur, si cutem laverint; tamquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes ABLUANT, aut ulla MARIA purificent. Quantò satius est mentem potiùs eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur, & uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere?*

CARM.

CARMEN LXXXVII.

In eumdem.

GEllius est tenuis. quidni? cui tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venusta soror,
Tamque bonus patruus, tãque omnia plena puellis
Cognatis. quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere nõ est,
Quantumvis quare sit macer, invenies.

CARMEN LXXXVIII.

In eumdem.

NAscatur Magus ex Gellî matrisque nefando
Conjugio, & discat Persicum aruspicium.
Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio:
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flammâ pingue liquefaciens.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. LXXXVII. v. 1. *Gellius est tenuis*] Vix ossibus hærens, ob assidua stupra cum feminis consanguineis.

CARM. LXXXVIII. v. 5. *Gnatus ut accepto*] Innuit, apud Persas eosdem sacerdotes esse, qui reges. Hoc multis nationibus usitatum, *Ægyptiis* cumprimis; de his Plutarchus libello de Iside & Osiride: *οἱ βασιλεῖς, ϗ ἱερεῖς ὄντες.*

Ib. *accepto*] A majoribus deinceps veluti per manus tradito. Ita Cicero l. 1. de Nat. Deorum: *Anaxagoras, qui ACCEPIT ab Anaximene disciplinam.*

CARMEN LXXXIX.

In eumdem, quòd puellam suam attrectâsset; est autem amarissimo felle illitum Epigramma.

NOn ideò, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro perdito amore fore:
Quòd te cognossem bene, constantemque putarẽ,
Aut posse à turpi mentem inhibere probro:
Sed neque quòd matrem, nec germanam esse videbam
Hanc tibi, cujus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer usu,
Non satis id causæ credideram esse tibi.
Tu satis id duxti. tantum tibi gaudium in omni
Culpâ est,in quacumque est aliquid sceleris

CARMEN XC.

De mutuis inter se puellamque maledictis.

LEsbia mî dicit semper malè,nec tacet umquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.

Quo

OBSERVATIONES.

CARM. LXXXIX. v.10. *Culpa est, in quacumq; est aliquid sceleris*] Culpæ nomine gaudent delicta leviora, quæ vel humanæ fragilitatis vitio, vel negligentiâ committi solent: at scelera dicuntur, quæ malo nocendi animo ab iniquis hominibus patrantur. Utitur Ovidius hac distinctione frequentissimè, ut Cæsaris iram à se amoliatur. Satis fuerint hi versiculi ex Eleg.3. l.1.Trist.

Cælestique viro, quis me deceperit error,
Dicite: pro CULPA ne SCELUS esse putet.

CARM. XC. v. 1. *Lesbia mî*] Vide quæ observavimus ad carmen 82. supra.

v.3.

Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
Assiduè; verùm dispeream, nisi amo.

CARMEN XCI.

In Cæsarem, & Mamurram, quem turpi nomine appellat.

Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire utrum sis albus, an ater homo.
Mentula mœchatur: mœchatur mentula certè.
Hoc est, quod dicunt: *Ipsa olera olla legit.*

CAR-

OBSERVATIONES.

v. 3. *quasi non totidem*] εἰρωνικῶς, ut apud Tullium 1. de Nat. Deorum: QUASI *aut aer sine ulla forma Deus esse possit.* Quod alii per *tamquam* variarunt. Virgilius Eclogâ 10.

— tamquam hæc sit nostri medicina furoris.

Ovidius Epist. Herûs:

Impositas tamquam servet arena notas.

& Epist. Sapphûs:

Antra nemusque peto, tamquam nemus antraque prosint.

CARM. XCI. v. 1. *Nil nimium*] Apparet Catullum hoc Epigramma in Cæsarem scripsisse, novo quodam ejus adulterio commotum. Principiò autem ait se non adeò laborare, quem amicitiæ gradum apud ipsum obtineat: hanc verò solicitudinem exoletis relinquere, quibus exploratissimum sit, candeat Juliana cutis, necne. Deinde respondet Cæsari fabam in Mamurram cudenti, Romæ pervulgato adagio.

v. 3. *Mentula mœchatur*] Veluti diceret Cæsar: Non ego sum, ó Catulle, qui matronarum pudori casses incendam, sed improbus ille Mamurra, ob inexplebilem libidinem, caudæ salacis nomine appellandus: Supra c. 29.

Ut ista vestra diffututa MENTULA
Ducenties comisset, aut trecenties.

v. 4. *Ipsa olera olla legit*] Quemadmodum inepta foret excusatio furis hortensis, qui manifesto in furto deprensus, non suum, sed canistri delictum esse contenderet: ita, ó Cæsar, omnibus ridiculum te præbes, dum flagitiorum Ma-

CARMEN XCII.

Smyrnam Cinnæ laudat: Volusii annales irridet: Epigrammata sua cordi sibi esse dicit.

SMyrna mei Cinnæ nonam post denique messem
Quàm cepta est, nonamque edita post hiemē,
Millia cum interea quingenta Hortensius uno
* * * * * * *
Smyrna cavas Atracis penitùs mittetur ad undas;
Smyrnam incana diù sæcula pervoluent.
At Volusî annales apuam porgentur ad ipsam,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monumenta laboris,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

CAR-

OBSERVATIONES.

murræ ne quidem particeps videri cupis, quæ tuo potissimùm hortatu, & favore gravissima in dies emergunt. Nisi enim perditum hominem in intimam familiaritatem recepisses, aut pinguibus patrimoniis ditasses, næ ille casta cubilia non perambularet, nec incertum genus facere pergeret. Tu Mamurræ scorta conquiris, tu illum spoliis provinciarum, & proscriptione civium locupleras: ipse vicem ollæ præstat injecta devorando, & sinistræ liberalitatis tuæ fructum percipiendo. Scio, neminem antehac satis assecutum hujus Epigrammatis sententiam. Vossius nescio quæ spurca hìc somniat, sed peràm.

CARM. XCII. v. 5. *Atracis penitùs mittetur ad undas*] Scriptores Græcos provocatura; est enim Ætolia, ubi Atrax fluvius, Græciæ contermina.

v. 7. *porgentur*] Porrigentur, veluti cadavera. Ita emendavit Scaliger.

v. 8. *Scombris sæpe dabunt tunicas*] Hoc fatum malorum librorum. Jocosè verò Martialis in præfatione Xeniorum ait se scribere,

Ne toga cordyllis, ne pænula desit olivis.

v. 9. *mei monumenta laboris*] Cum diffi-

Carmen XCIII.

Ad Calvum Quintiliæ obitum deflentem.

SI quidquam mutis gratum, acceptumque sepulcris
Accidere à nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias:
Certè non tanto mors immatura dolori est
Quintiliæ, quantùm gaudet amore tuo.

CAR-

OBSERVATIONES.

difficillimum sit Heroico poëmate scribendo elegantiam & doctrinam Cinnæ proximè attingere, facillimum verò aleam Volusii subire, ego Catullus pangendis Epigrammatibus honestum otium insumam, in quibus minus periculi, & levior jactura. Hæc verissima explicatio; nam quod Scaliger ait, Smyrnam tacitè à Catullo perstringi, ut poëma prolixum & obscurum, liberè dicam, non placet; cur enim tot laudibus prius extulisset, si reprehensurus postea fuerat?

CARM. XCIII. v. 5. *non tanto mors immatura dolori est*] Contrariam sententiam continet vetus epitaphium honestæ matronæ, quod Romæ asservatur:

Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonæa brevi condita sum tumulo.
Cui formam Paphiæ Charites tribuere decoram,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit:
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc: morte est mihi tristior ipsa
Mæror Atimeri conjugis ille mei.

CARM.

CARMEN XCIV.

In Æmilium turpissimi oris hominem.

NOn(ita me Dii ament)quidquā referre putavi,
  Utrumne os, an culum olfacerem Æmilio.
Nil immundius hoc, nihiloque immundius illud,
  Verùm etiam culus mundior, & melior:
Nā sine dentibus est. hoc dentes sesquipedales,
  Gingivas verò ploxemi habet veteris.
Prætereà rictum, qualem defessus in æstu
  Mejentis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, & se facit esse venustum,
  Et non pistrino traditur, atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
  Ægroti culum lingere carnificis?

CARMEN XCV.

Vettii garrulitatem insectatur.

IN te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti,
  Id quod verbosis dicitur, & fatuis:

Ista

OBSERVATIONES.

CARM. XCIV. v. 9. *facit*] Putat, existimat.

v. 11. *Quem si qua attingit*] Germana est indignatio illa Tibulli Eleg. 10. l. 1.

Huic tamen accubuit noster puer:
hunc ego credam
Cum trucibus Venerem jungere posse feris.

v. 12. *Ægroti*] Sordentis & marcidi ab immundo tractandorum cadaverum officio.

CARM.

Istâ cum linguâ, si usus veniat tibi, possis
Culos, & crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
Dicas: omnino quod cupis, efficies.

CARMEN XCVI.

Juventio puero, ob osculum sibi à poetâ inter ludendum surreptum, indignabundo se nihil tale amplius ausurum promittit.

SUrripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosiâ.
Verùm id non impune tuli, namque ampliùs horâ
Suffixum in summâ me memini esse cruce:
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
Tantillum vestræ demere sævitiæ.

Nam

OBSERVATIONES.

CARM. XCV. v.6. *Dicas*] Eloquere tantùm, & olidissimi oris tui spiritu afflati, veluti peste, peribimus: vel molestiâ verborum jugulati concidemus. Quod posterius confirmat Horatius Sat. 9. l. 1. festivissimè:

Confice, namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cumque. loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas.

CARM. XCVI. v.2. *dulcius ambrosia*] Lucianus in Dialogis Deorum verbis Junonis ait, *Jovi deosculationem Ganymedis ipso nectare suaviorem esse.*

v.6. *vestræ sævitiæ*] Id est, quâ vos, ó formosi, amantes torquere soletis. Ovidius Epist. Penelopes:

Hæc ego dum stultè meditor (quæ VESTRA libido est)
Esse peregrino captus amore potes-

it

Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis abstersisti omnibus articulis;
Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tamquam comminctæ spurca saliva lupæ.
Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, atque omni excruciare modo;
Ut mî ex ambrosio mutatum jam foret illud
Suaviolum, tristi tristius helleboro.
Quam quoniam pœnā misero proponis amori,
Non umquam posthac basia surripiam.

CARMEN XCVII.

De Cælii, & Quintii Veronensium juvenum amoribus.

CÆlius Aufilenum, & Quintius Aufilenam
Flos Veronensium depereunt juvenum,
Hic fratrem, ille sororē. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum verè dulce sodalitium.

Cui.

OBSERVATIONES.

ut mos est virorum, dum longè absunt ab uxoribus. Achilli Statio non assentior, qui hoc dictum de uno tantùm interpretatur.

v.7. *multis diluta labella guttis*] Hìc desidero Mureti diligentiam, qui ait *Juventium os aqua sibi proluisse ad basii notam delendam*. Apage commentum istud. quas guttas poëta significet, non obscurum est, si quidem sequitur:

Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tamquam comminctæ spurca saliva lupæ.

Intelligit ergo salivæ guttulas pueri labellis inhærentes, veluti osculi reliquias, quas non aliter ille abstergere festinavit, ac si meretricis fuissent ab opere obscœno recentis. Sunt enim, qui *basio conspuant*, ut cum Petronio loquar.

CARM. XCVII. v.4. *Fraternum verè*] Horatius in hanc omnino sententiam Sat. 3.l.2.

Quin-

Cui faveam potiùs? Cæli, tibi. nam tua nobis
Perspecta, exigitur unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix Cæli, sis in amore potens.

CARMEN XCVIII.

Fraternis cineribus parentat.

MUltas per gentes, & multa per æquora vectus
Advenio has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsũ:
Heu miser indignè frater adempte mihi!
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multùm manantia fletu:
Atque in perpetuum frater have, atque vale.

CAR-

OBSERVATIONES.

Quinti progenies Arri, par nobile
FRATRUM,
Nequitia, & nugis, pravorum &
amore gemellum.

v. 5. *Cui faveam potiùs? Cæli, tibi*] Pari usus est interrogatione carm. 1.

CUI dono lepidum novum libellum,
Arida modò pumice expolitum?
Corneli, TIBI ——

v. 6. *exigitur*] Ducit metaphoram à re fabrili, ut rectè monuit Achilles. Propertius quoque indè Eleg. 1. l. 3.

EXACTUS tenui pumice versus eat.

v. 8. *potens*] Voti compos.

CARM. XCVIII. v. 10. *have*] Inscriptio antiquissimi sepulcri Zacynthi reperti sic habet:

M. TVLLI. CICERO. HAVE.
ET. TV.
TEPTIA. ANTONIA.

CARM.

CARMEN XCIX.

Cornelio se optimè servaturum arcana pollicetur.

SI quidquam tacito commissum est fido ab amico,
 Cujus sit penitus nota fides animi:
Meque esse invenies illorum jure sacratum,
 Corneli, & factum me esse puta Harpocratem.

CARMEN C.

Ad Silonem, lenoniam artem superbè exercentem.

AUt sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
 Deinde esto quamvis sævus, & indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quæso
 Leno esse, atque idem sævus, & indomitus.

CARMEN CI.

Purgat se cuidam, quod amicæ non maledixerit.

CRedis, me potuisse meæ maledicere vitæ,
 Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Non potui, nec, si possem, tam perditè amarem,
 Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. XCIX. v. 4. *Harpocratem*] De hoc silentii Deo, quem Ægyptii colebant, vide opus eruditissimum Gisberti Cuperi.

CARM. C. v. 3. *si te nummi delectant*] Captatores enim pecuniæ minimè decet superbos esse, at potiùs divitibus obsecundare, ut votorum suorum compotes fiant.

CARM. CI. v. 4. *omnia monstra facis*] Monstra dicuntur scriptoribus priscis nefariæ libidines. Huc par-

CARMEN CII.

In Mamurram, ad scribendos versus animum appellentem.

MEntula conatur Pimplæum scandere montem:
Musæ furcillis præcipitem ejiciunt.

CARMEN CIII.

De puero, & præcone.

CUm puero bello præconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

CAR-

OBSERVATIONES.

pertinet locus insignis Juvenalis Sat. 2. ubi de quodam pathico solenni ritu nubente:

Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat ære:
Signatæ tabulæ, dictum FELICITER, ingens
Cæna, sed & gremio jacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est, an aruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraque MONSTRA putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?

CARM. CII. v. 1. *scandere*] Isaacus Vossius testatur, in omnibus antiquis libris disertè scriptum esse *scindere*, tueturque hanc esse germanam Catulli lectionem. Sed cum Josepho Scaligero vulgatam placuisse videam, qui & ipse plures Codices manu exaratos inspexerat, eam retinere satius duxi; cum & sententia planior fiat.

v. 2. *furcillis*] Proverbium sapit. Cicero ad Atticum Epist. 2. l. 16. quemadmodum legunt Lambinus & Bosius: *Sed quoniam FURCILLA extrudimur, Brundisium cogito.* Horatius Epist. 10. l. 1. ad Fuscum Aristium: *Naturam expellas FURCA licet, usque recurrit.*

CARM. CIII. v. 2. *vendere discupere*] Nam in auctionibus præcone utebantur.

CARM.

CARMEN CIV.

Alloquitur Lesbiam postliminio ad se redeuntem.

SI quidquam cupidoque, optantique obtigit umquam
Insperanti, hoc est gratum animo propriè:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quòd te restituis, Lesbia, mî cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. ô lucem candidiore notâ!
Quis me uno vivit felicior, aut magis est me
Optandus vitâ? dicere quis poterit?

CARMEN CV.

In Cominium maledicum, & improbum senem.

SI, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidẽ dubito, quin primùm inimica bonorũ
Lingua exsecta avido sit data vulturio:
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cætera membra lupi.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. CIV. v. 7. *aut magis est me optandus. vita*] Si absolutissimam felicitatem aliquis petat, nullam certê præter hanc meam sibi eligere debeat. Contra Propertius Eleg 13. l. 2.

Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nec (modò si sapias) quod minùs esse velis.

CARM. CV. v. 5. *Effossos oculos voret*] Plinius non ineptam rationem

CARMEN CVI.

Petit à superis, ut lepidum Lesbiæ promissum ratum habeant.

JUcundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut verè promittere possit:
Atque id sincerè dicat, & ex animo;
Ut liceat nobis totâ perducere vitâ
Alternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

CARMEN CVII.

Ad Aufilenam: ut vel pretium recuset, vel accepto noctem largiatur.

AUfilena, bonæ semper laudantur amicæ.
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu quòd promisti mihi, quòd mentita inimica es,
Quòd nec das, nec fers: sæpe facis facinus.
Aut facere ingenuæ est, aut nō promisse pudicæ,
Aufilena, fuit. Sed data corripere

Frau-

OBSERVATIONES.

nem videtur afferre, cur volucres carnivoræ potissimùm oculos invadant l. 11. c. 37. *Ea causa est*, inquit, *ut pleræque alitum è manibus hominum oculos potissimùm appetant, quòd effigiem suam in iis cernentes, veluti ad cognata desideria sua tendunt.*

CARM. CVI. v. 6 *Alternum*] Mutuum, reciprocum. Quidam legunt *Æternum*.

CARM. CVII. v. 4. *nec fers*] Nec reddis, quæ accepisti noctis nomine.

M CARM.

Fraudando, efficitur plusquam meretricis avaræ,
Quæ sese toto corpore prostituit.

CARMEN CVIII.

In Aufilenam incestam.

AUfilena, viro contentas vivere solo
Nuptarum laus è laudibus eximiis.
Sed cuivis quamvis potiùs succumbere fas est,
Quàm matrem fratres efficere ex patruo.

CARMEN CIX.

Nasoni homini sui pleno impudicitiam objicit.

MUltus homo est, Naso (nam tecum multus homo es) qui
Descendit? Naso, multus es, & pathicus.

CAR-

OBSERVATIONES.

CARM. CVIII. v. 2. *laus è laudibus eximiis*] Ocyùs enim extorquebis à plerisque matronarum, ut oculo uno contentæ sint, ut falsè Juvenalis 6. Sat.

v. 4. *fratres*] *Patrueles*, inquit Muretus. rectè. Confirmo ex Ovidio, qui epist. Hermiones:

Quid, quòd avus nobis idem Pelopeius Atreus?
Et, si non esses vir mihi, FRATER eras?

At Hermione Orestis germana soror non fuit: cum altera Menelai & Helenæ filia, alter Agamemnonis & Clytæmnestræ filius feratur. Menelaum tamen Agamemnonis fratrem, & Helenam Clytæmnestræ sororem historiæ tradunt.

CARM. CIX. v. 1. *Multus homo*] εἰρωνικῶς. Propriè verò loquendo multus homo est, qui variis muneribus fungitur, qualem describit Petronius Trimalcionis uxorem Fortunatam: *Trimalcionis*, inquit, *τὸ πᾶν est*. Nec

abit

CARMEN CX.

Ad Cinnam, de frequentiâ mœchorum.

Consule Pompeio primùm duo, Cinna, solebant
Mœchi. illi ah facto Consule nunc iterum
Man-

OBSERVATIONES.

abit Sidonius Apollinaris carm. 7.
——: *tum Respublica nostra*
Tota Camillus erat ——
Quibus Ovidium adjungo Epist. Medeæ:
Deferor (amissis regno, patriaque, domoque)
Conjuge, qui nobis Omnia solus erat.
Albinovanus de Druso:
MULTI in te amissi: nec tu, tot turba bonorum,
Omnis tui virtus contigit, unus eras.

Ibid. *tecum*] Tibi ipsi privato judicio vir egregius videris. Supra carm. 22.
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.

v. 2. *Descendit*] Inclinatur ad patiendum stuprum.

Ibid. *mulus es, & pathicus*] Cum tot egregiè partes impleas, etiam cinædi personam scitissimè agis.

CARM. CX. v. 1. *Consule Pompejo primùm*] Anno ab U. C. DCLXXXIV. P. Virgilii natalibus claro, quo Cn. Pompeius Magnus collegam habuit in primo Consulatu M. Licinium Crassum Divitem.

Ibid. *solebant*] Subaudi *matronarum pudicitiam solicitare*, vel certè quippiam simile.

v. 2. *facto Consule nunc iterum*]. Videlicet Anno ab U. C. DCXCIX. cum eodem Crasso. Eos igitur nugari necesse est, qui Catullum annos natum triginta decessisse scribunt: hoc enim Epigramma, juxta illorum supputationem, à poetâ nostro biennio post mortem conscriptum fuisset. Quod monuit olim Obertus Gifanius vir doctissimus in prolegomenis ad Lucretium. At Isaacus Vossius nodum aliâ ratione conatur expedire: *Benè se habet*, inquit, *scriptura optimi exemplaris:*
Consule Pompejo primùm duo, Cinna, solebant
Cæcilio facto Consule nunc iterum
Manserunt duo. ——
Pompejus primùm Consul anno Urbis DCLXXXIV. unà cum Licinio Crasso. Sequens verò annus Consules habuit Cæcilium Metellum Creticum, & Q. Hortensium. Clarum itaque, quid velit Catullus. Pessimum exemplar fuit illud meo judicio, quod tam absurdam lectionem continebat. Quid.

Manſerunt duo: ſed creverunt millia in unum
Singula. *FECUNDUM ſemen adulterio*.

CARMEN CXI.

Ad Mamurram ſumptuoſum, de ſaltu Formiano.

FOrmianus ſaltus non falsò, Mentula, dives
Fertur: qui quot res in ſe habet egregias!
Aucupia omne genus, piſces, prata, arva, feraſque.
Nequidquam. fructus ſumptibus exſuperas.
Quare concedo ſit dives, dum omnia deſint.
Saltum laudemus, dum tamen ipſe egeas.

CARMEN CXII.

In eumdem, divitias vitiis æquantem.

MEntula habet juſta triginta jugera prati,
Quadraginta arvi. cætera ſunt maria.

Cur.

OBSERVATIONES.

Quid enim faciās *τῷ primùm*, & *τῷ iterùm*? quæ certè nemo inficias iverit ad unum eumdemque Conſulem pertinere. Vide ſupra obſervationes noſtras ad Carm. 52. ubi de Catulli ætate nonnulla diximus.

v. 3. *creverunt millia in unum ſing.*] Ideſt, ſingulis mœchis prioribus ſingula millia recentiorum acceſſerunt, quindecim annorum ſpatio: tot enim numerantur à primo ad ſecundum Pompeii Magni Conſulatum.

v. 4. *fecundum ſemen adulterio*] Malæ filicis more vitia uberrimè germinant.

CARM. CXI. v. 4. *fructus*] Hinc *agros fructuarios* legimus in epiſtolâ Cælii ad Ciceronem.

CARM. CXII. v. 2. *cætera ſunt maria*] Piſcinæ ingentes. Refert Svetonius, Neroni fuiſſe *ſtagnum* MARIS *inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem*.

v. 4.

Cur non divitiis Crœsum superare potis sit,
Uno qui in saltu totmoda possideat?
Prata, arva, ingentes silvas, saltusque, paludesq;
Usque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
Omnia magna hæc sunt: tamen ipse est maximu'lustro,
Non homo, sed verè mentula magna, minax.

CARMEN CXIII.

Gellio, ineptis versiculis in ipsum debacchanti, Diras acerrimas minitatur.

SÆpe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadæ,
Queis

OBSERVATIONES.

v.4. *totmoda*] Omnigenas delicias. Ita legit Scaliger.

v.6. *Usque ad Hyperboreos.*] Αὔξησις poëtica.

v.8. *Non homo, sed verè mentula magna*] Petronius de quodam bene muroniato: *Habebat enim inguinum pondus tam grande, ut ipsum HOMINEM laciniam fascini crederes.* Cui concinit Arnobius l. 6. prope finem: *Genitalibus propriis inferior Priapus.* Juvenalis pariter ad gustum Catulli, obesum Senatorem ventrem appellavit Sat. 4.

Montani quoque venter adest, abdomine tardus.

Ibid. *minax*] Auctor liberi carminis:

Falce MINAX, & parte tui majore Priape.

Columella de cultu hortorū v. 13.

—— numen venerare Ithyphalli
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce MINATUR.

CARM. CXIII. v. 1. *studioso animo venanda*] Obscuræ doctrinæ, atque eruditionis plena, & ad quæ intelligenda sagacissimo ingenio sit opus. Hac translatione utitur Cicero l. 5. de Finibus n. 54. *Maximæ autem sunt, primùm, ut mihi quidem videtur, & iis quorum nunc in ratione versamur, consideratio, co-*

Quæis te lenirem nobis, neu conarere
Telis infesto mi icere musca caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu,
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

OBSERVATIONES.

gnitioque rerum cælestium, & earum, quas à natura occultatas, & latentes indagare ratio potest.

v. 4. *musca*] Impudentis & molesti hominis Hieroglyphicum musca fuit apud Ægyptios, quemadmodum tradunt Horus, & Joannes Pierius.

v. 7. *evitamus amictu*] Velut Indici elephanti. Lucanus l. 6. versu 207.

Getulus densis Elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squallenti missile tergo
Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas.
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixæ stant TELA feræ —

Hebetudinem telorum Gellii subsannat, tum etiam lacerti debilitatem. Dum hæc lego, videor cernere Priamum adversus Pyrrhum languidè insurgentem, quem divinus Maro ita nobis ob oculos ponit 2. Æneid. versu 544.

Sic fatus senior, TELUMque imbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clypei nequidquam umbone pependit.

v. 8. *tu dabi' supplicium*] Terentius Eunucho Act. 1. sc. 1.

Et te ultrò accusabis, & DABIS ei ultrò SUPPLICIUM.

FINIS.

ALBII TIBULLI
EQUITIS ROMANI
LIBRI IV.



ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI ELEGIARUM

LIBER I.

ELEGIA I.

Ait se rure dum vixerit perpetuò futurum, & opum cupiditate posthabitâ in amoribus Deliæ suaviter moriturum.

DIvitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli:
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.

Me

OBSERVATIONES.

ELEG. I. v. 2. *jugera multa*] Optimè observavit Achilles Statius, hanc lectionem ideò præferendam vulgatæ *magna*, quòd antiqui scriptores ita ferè locuti sint, cum incidisset mentio jugerum. Addo ego, certam fuisse jugeri magnitudinem, ut liquet ex Varrone l. 1. de R. R. c. 10. Ejus verba sunt: *Versum dicunt, centum pedes quoquoversùm quadratum. JUGERUM, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus est pedes centum viginti, & longus totidem: is modius, ac mina latinè appellatur.* En latitudo jugeri fuit pedum CC XL,

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus exiguo luceat igne focus:
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, & facili grandia poma manu.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boves:
Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellæ
Desertum oblitâ matre referre domum.
Hìc ego pastoremque meũ lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem;
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.
Et quodcumque mihi pomũ novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.

Fla-

OBSERVATIONES.

XL, & longitudo totidem: igitur omnia æqualia, nec aliud parvum, aliud magnum. Qui tritam lectionem tuentur, injuriam Tibullo faciunt, eumque postulant aut inscitiæ in agriculturâ, aut otiosi epitheti: quod utrumque abest à frugali patrefamilias, & suavissimo poëta, qualem ex ejus operibus ipsum fuisse cognoscimus.

V. 10. *grandia poma*] Solent agricolæ præstantissima quæque ad sationem sceligere, ne rerum species in deterius mutentur, Virgil. ecl. 5.

GRANDIA: sæpe quibus mandavimus hordea sulcis.

& rationem subdit in Georgicis:

Vidi lecta diu, & multo spectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. —

Idemque præcipit Columella rustico suo l. 2. c. 19. *Optimam quamque spicam legere oportet, separatimque ex ea semen reponere.*

V. 15. *pastoremque meum lustrare*] Non est, cur se torqueant viri eruditi

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sævâ falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos:
Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circùm rustica pubes
Clamet: io messes, & bona vina date.
Adsitis Divi, nec vos è paupere mensâ
Dona, nec è puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primùm sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
At vos exiguo pecori furesque, lupique
Parcite; de magno est præda petenda grege.
Non ego divitias patrum, fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo.

Par-

OBSERVATIONES.

diti quærentes, quid sit *lustrare pastorem*: nec ad Pana confugiendum censeo, ut ipse nodum extricet. Tibullus sibimet cereum lucet, cum ait Eleg. 1. l. 2. *purgamus agros, purgamus agrestes.* Clariùs tamen M. Cato c. 141. hujusmodi solenne sacrum describens: *Mars pater*, inquit, *te precor, quæsoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiaque nostræ, quojus rei ergo agrum, terram, fundumque meum suovetaurilia circumagi jussi.* & post aliqua: *PASTORES, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem, valetudinemque mihi, domui, familiaque nostræ.*

V. 36. *de magno est præda petenda grege*] Simile monitum Priapi apud Catullum carm. 19.

Quære

Parva seges satis est: satis est requiescere lecto,
Si licet, & solito membra levare toro.
Quàm juvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero continuisse sinu:
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum somnos imbre juvante sequi!
Hoc mihi contingat; sit dives jure, furorem
Qui maris, & tristes ferre potest pluvias.
Jam modò non possum contentus vivere parvo,
Nec semper longæ deditus esse viæ:
Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbrâ
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.
O quantum est auri pereat, potiusque smaragdi,
Quàm fleat ob nostras ulla puella vias!
Te bellare decet terrâ, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ,
Et sedeo duras janitor ante fores.
Non ego laudari cupio, mea Delia: tecum

Dum-

OBSERVATIONES.

Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.

Vicinus prope dives est, neglegensque Priapus.

Indè sumite, semita hæc deinde vos feret ipsa.

V.40. *membra levare toro*] Intelligo torum discubitorium; *membra* verò *levare*, est corpus fessum cibo nutrire: cuticulam curare.

V.45. *sit dives jure*] Imitatus est Propertius Eleg. 3.1.3.

Præda sit hæc illis, quorum meruere labores.

& pari sarcasmo Juvenalis in eum, qui laterum officio vetulæ testamentum captabat:

Accipiat sanè mercedem sanguinis ——

v. 81.

Dummodò ſim, quæſo ſegnis, inerſque vocer.
Ipſe boves, mea, ſim tecum modò, Delia, poſſim
Jungere, & in ſolo paſcere monte pecus.
Et, te dum teneris liceat retinere lacertis,
Mollis & incultâ ſit mihi ſomnus humo.
Quid Tyrio recubare toro ſine amore ſecundo
Prodeſt, cum fletu nox vigilanda venit?
Nā neque tū plumæ, nec ſtragula picta ſoporē,
Nec ſonitus placidæ ducere poſſit aquæ.
Ferreus ille fuat, qui, te cum poſſit habere,
Maluerit prædas ſtultus, & arma ſequi:
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat & in capto Martia caſtra ſolo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Inſideat celeri conſpiciendus equo.
Te ſpectem, ſuprema mihi cum venerit hora:
Te teneam moriens deficiente manu!
Flebis & arſuro poſitum me, Delia, lecto,
Triſtibus & lacrymis oſcula miſta dabis.
Flebis; non tua ſunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.
Illo non juvenis poterit de funere quiſquam
Lumina, non virgo, ſicca referre domum.
Tu manes ne læde meos, ſed parce ſolutis

Cri-

OBSERVATIONES.

v. 81. *manes ne læde meos*] Qui luctu immoderato defunctorum fata proſequebantur, eorum umbris injurii eſſe credebantur. Quamobrem Cornelia apud Propertium ita maritum flentem increpat:

Deſi-

Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, jungamus amores;
Jam veniet tenebris mors adoperta caput;
Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dũ frãgere postes
Non pudet, & rixas inseruisse juvat.
Hic ego dux, milesque bonus. vos signa, tubæque
Ite.

OBSERVATIONES.

Desine, Paule, meum lacrymis urgere sepulcrum.
& defunctus juvenis apud Lucianum libello de Luctu sic paternis querelis respondet: ὦ κακόδαιμον ἄνθρωπε, τί κέκραγας; τί δέ μοι παρέχεις πράγματα; παῦσαι τιλλόμενος τὴν κόμην, καὶ τὸ πρόσωπον ἐξ ἐπιπολῆς ἀμύτων ἀλοκαλεῖς καὶ δύσμορον, πολύ σου βελτίω, καὶ μακαριώτερον γεγενημένον. *Infelix homo, quid clamas? quid mihi molestus es? Desine vellicare comam, ac vultus etiam cutem lacerare. cur mihi convitium facis, ac miserum appellas & infortunatum, qui jam sim te multò melior, tum etiam felicior?* Omitto reliqua, sunt enim plura in hanc sententiam. Puto autem id opinatos esse veteres, quòd mors malorum omnium finem afferret, humanasque animas ab ergastulis corporum liberatas vel in purissimum ætherem, vel ad Elysios mitteret: ideoque bonorum obitum deplorare summæ stultitiæ tribuebant. Creusa Virgiliana nostræ sententiæ subscribit:

—— lacrymas dilectæ pelle Creusæ.
Non ego Myrmidonum sedes, Dolopumue superbas
Aspiciam: aut Graiis servitum matribus ibo.

Cui concinit Seneca Tragicus Troadis Choro 1.

Aliò lacrymas flectite vestras:
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. FELIX PRIAMUS:
Dicite cunctæ; liber manes
Vadit ad imos: nec feret unquam
Victa Grajum cervice jugum &c.

Cicero in somnio Scipionis ex Academicorum sententiâ: *Imò vero, inquit, hi vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam è carcere, evolaverunt: Vestra verò quæ dicitur vita, mors est:* ad quem locum vide commentarium Macrobii l. 1. c. 10. His adde, si vacat, *Senecam* in Consolatione ad Marciam, ubi multa cognitu dignissima invenies.

Ite procul; cupidis vulnera ferte viris:
Ferte & opes. ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

ELEGIA II.

Queritur januam puellæ suæ sibi clausam esse: deinde variis delinimentis puellam ipsam ad se vertere conatur.

ADde merũ, vinoque graves compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor.
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor;
Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ,
Clauditur & durâ janua firma serâ.
Janua difficilis domini, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones:

Et,

OBSERVATIONES.

V.92. *Despiciam dites*] Hoc dicit: non timebo paupertatis mala, nec divitiarum incommodis obnoxius ero. Unicus interpres Horatius Ode 10. l. 2. ad Licinium:

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

ELEG. II. v. 1. *vinoque graves compesce dolores*] Anacreon idem in se fatetur experiri:

Ὅταν ὁ βάκχος εἰσέλθῃ,
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι.
Ut me subit Lyæus,
Tunc cura dormit omnis.

V. 5. *posita est custodia*] Custodes, veluti gravissimum onus, procacibus puellis dicti sunt *imponi*. Ovidius Amorum 3. Eleg. 4.

Du-

Et, mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timidè custodes Delia falle,
Audendum est: *FORTES adjuvat ipsa Venus.*
Illa favet, seu quis juvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono.
Illa viro coràm nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscurâ surgere nocte timor;

Nec

OBSERVATIONES.

Dure vir, IMPOSITO teneræ CUSTODE PUELLÆ.

& simpliciùs Propertius Eleg. 4. l. 2.

Quos igitur tibi CUSTODES, quæ limina PONAM?

v. 19. *furtim molli decedere lecto*] Clanculùm, stertente marito, è toro conjugali surgere, atque ad mœchum prorepere. Quod facere consuevit impudentissima Messalina Claudii principis uxor, teste Juvenali 6. Sat.

—— dormire virum cum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat ——

v. 24. *nec vetat obscura*] Post hunc versiculum in vulgatis editionibus sequitur ineptissimum Distichon, quod felici manu sustulit Jos. Scaliger, ne purissimum Tibulli sacrarium coinquinaret. Id est hujusmodi:

En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit ipsa Venus.

Quicumque tandem ille fuit, qui Romano poëtæ barbarum appinxit emblema, sibi certè non constat, cum unum & eumdem hominem *anxium*, & *securum* simul descri-

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
  Vulneret, aut raptâ præmia veste petat.
QUISQUIS amore tenetur, eat tutusque sacerque
  Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis,
  Non mihi, cum multâ decidit imber aquâ.
Non labor hic lædit, reseret modò Delia postes,
  Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
  Obvia; *CELARI vult sua furta Venus.*
Neu strepitu terrete pedũ, neu quærite nomẽ,
  Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis & imprudens aspexerit, occulat ille,
  Perque Deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natã,
  Is Venerem è rapido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet conjux tuus, ut mihi verax
  Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi:
  Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cãtu finditque solum, manesque sepulcris
Eli-

OBSERVATIONES.

cribat: quæ duo naturæ contrariæ si conjungere velis, *nihilo plus agas, quàm si des operam, ut cum ratione insanias.*

V. 32. *voces ad digiti sonum*] Ne sentiat maritus insidias sibi parari. Collisio digitorum lautis in usu fuit etiam ad ciendos vernas, ut cognoscimus ex Petronio cap. 27. Sat. *Cum has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo DIGITOS concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.* Vide Martialem Epig. 62. l. 3. Epig. 119. l. 14.

Elicit, & tepido devocat ossa rogo.
Jam ciet infernas magico stridore catervas:
Jam jubet aspersas lacte referre pedem.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cælo:
Cum libet, æstivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas:
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses,
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam:
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis, nam cætera cernet
Omnia: de me uno sentiet esse nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus, aut herbis solvere posse meos.
Et me lustravit tædis, & nocte serenâ
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam: nec te posse carere velim.

Videntur aliqua desiderari.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 64. *posse carere*] Invenio Martialem citat. hac locutione familiariter usum. Ex pluribus duo loca profero. Epig. 53. l. 3.

Tota te POTERAM, Chloe, CARERE.

Epig. 57. l. 11.

O quàm magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et stipula, & nigro pane CARERE POTES!

ELEG.

ELEGIA III.

Adversâ valetudine procul à patriâ detentus, longa itinera damnat, seque mox ad Elysios morte obitâ migraturum sperat.

IBitis Ægæas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse, cohorsque mei.
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:
Abstineas avidas mors precor atra manus;
Abstineas mors atra precor; non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus:
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis:
Delia non usquam, quæ me quàm mitteret urbe
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit è triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus, tamẽ est deterrita numquã,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum jam mandata dedissem,
Quærebam tardas anxius usque moras.

Aut

OBSERVATIONES.

ELEG. III. v. 10: *consuluiße*] Vide quæ observamus ad Eleg. 5. l. 4. Propertii, versu 17.

v. 15. *mandata dedissem*] Idem sibi usu venisse, cum Roma jussu principis discederet, scribit Ovidius Eleg. 3. l. 1. Tristium:

Sæpe vale dicto rursus sum multa locutus;
Et quasi discedens oscula summa dedi.
Sæpe eadem MANDATA DEDI,

Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira
Saturni sacrâ me tenuisse die.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in portâ signa dedisse pedem!

Au-

OBSERVATIONES.

meque ipse fefelli,
Respiciens oculis pignora cara meis.

v. 18. *Saturni sacra*] Romani superstitiones peregrinas in urbem receperant, sed potissimùm Judæorum religionem observabant, cujus rei auctor locuples Horatius Sat. 9. l. 1. ubi cum Fusco Aristio confabulatur:

Certè nescio quid secretò velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene, sed meliori
Tempore dicam: hodie tricesima Sabbata. vin' tu
Curtis Judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Relligio est. At mi (sum paulò infirmior, unus
Multorum) ignosces: aliàs loquar ——

Nec prætermittendus Persius, qui Sat. 5. versu 184.

Labra moves tacitus, recutitaque Sabbata palles.

Sed omnium disertissimè Aquinas poëta Sat. 14. v. 97.

Quidam sortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cœli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox & præputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti:
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa est, cui septima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Idcircò minùs placent, qui hunc Tibulli versiculum explicant de Saturnalibus, cum præcipuè Ovidius à me stet, qui Remed. amoris juvenes ad longa itinera ineunda his verbis hortatur:

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
Sabbata: nec damnis Allia nota suis.

Ominosum igitur fuit, plenumque aleæ, Saturni die, seu Sabbato viæ se committere. Nescio an lit-

teræ

Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis tibi, Delia? quid mihi prosunt
Illa tuâ toties æra repulsa manu?
Quidve, piè dum sacra colis, pureque lavari
Te (memini) & puro secubuisse toro?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.
Et mea votivas persolvens Delia noctes
Ante sacras lino tecta fores sedeat:
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turbâ debeat in Phariâ.
At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menstrua thura Lari.
Quàm bene Saturno vivebāt rege, priusquàm
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum:

Nec

OBSERVATIONES.

terræ insistendo, huc pertineant illa CHRISTI apud Matthæum c. 24. *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel Sabbato.*

V. 28. *Picta docet templis*] Lepidè cit. Juvenalis 12. Sat. ubi de naufragium passis:

—— *Pars dira quidem, sed cognita multis,*
Et quam votiva testantur fana TABELLA
Plurima. PICTORES quis nescit ab ISIDE pasci?

V. 29. *Et mea*] Legunt nonnulli *ut*, sed perperam. Infra Eleg. 7.

ET mihi sint duræ leges, laudare nec ullam
Possim, quin oculos appetat illa meos.

V. 31. *Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes*] Hoc non tantùm in sacris Isidis ritè servatum fuit,

 sed

Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externâ navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus,
Non domito frænos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit: non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec enses
Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino cædes, & vulnera semper:
Nunc mare, nunc leti mille repentè viæ.
Parce Pater: timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
HIC. IACET. IMMITI. CONSVMPTVS. MORTE. TIBVLLVS.
MESSALAM. TERRA. DVM. SEQVITVRQVE. MARI.

Sed

OBSERVATIONES.

sed etiam in Veneris. Horatius Ode 1. l. 4. ad Cythereceam:

Illic BIS pueri DIE
Numen cum teneris virginibus tuũ
LAUDANTES ——

Simile quippiam de Christianis narrat Plinius Traiano Epist. 97. l. 10. *Quòd essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo*, DICERE *secum invicem*. Et sanè Monachi & Sacerdotes nostri piam illam veterum temporum consuetudinem secuti, post matutinam supplicationem carmen inchoant, quod LAUDES appellant.

V. 39. *compendia*] Lucra. Cicero in Verrem Act. 4. ubi Siciliam commendat: *Quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu COMPENDIOque dimittit, partim &c.* His contraria *dispendia*.

V. 46. *ubera lactis*] Hypallage, pro *lac uberum*.

v. 58.

Sed me, quòd facilis tenero sum semper amori;
  Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hìc choreæ, cantusque vigent, passimque vagãtes
  Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
  Floret odoratis terra benigna rosis.
Ac juvenum series teneris immista puellis
  Ludit, & assiduè prælia miscet Amor.
Illic est cuicumque rapax mors venit amanti,
  Et gerit insigni myrtea serta comâ.
At scelerata jacet sedes in nocte profundâ
  Abdita, quam circùm flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
  Sævit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in portâ serpens: tum Cerberus ore
  Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
  Versantur celeri noxia membra rotâ;
Porrectusque novem Tityus per jugera terræ
  Assiduas atro viscere pascit aves.

Tan-

OBSERVATIONES.

v. 58. *Ipsa Venus*] Hoc ait, quia vulgò Mercurius umbrarum ductor putabatur.

v. 62. *Terra benigna*] Plinius panegyr. Trajani: *Itaque beneficiis tuis nec maligna tellus, & obsequens Nilus; Ægypto quidem sæpe; sed gloriæ nostræ numquam largior fluxit.*

v. 67. *scelerata jacet sedes*] Virgilius Æneidos 6. materiam eamdem tractans:

Nulli fas casto SCELERATUM insistere limen.

v. 71. *serpens: tum Cerberus ore*] Melior lectio, quam præferunt aliqui Codd.

Tantalus est illic, & circat stagna: sed acrem
  Jam jam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
  In cava Lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
  Optavit lentas & mihi militias.
At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
  Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positâque lucernâ
  Deducat plenâ stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis affixa puella
  Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subitò, nec quisquam nuntiet ante,
  Sed videar cælo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
  Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
  Luciferum roseis candida portet equis.

ELE-

OBSERVATIONES.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore Stridet ——

v. 82. *lentas*] Ut diutiùs, me absente, deliciis nostris frui posset.



ELEG.

ELEGIA IV.

Inducit Priapum flagitiosas tradentem artes, quibus Pæderastes abundè instrueretur.

SIc umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quæ tua formosos cepit solertia? certè
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstivi tempora sicca Canis.
Sic ego: tum Bacchi respondit rustica proles
Armatus curvâ sic mihi falce Deus.
Tu, puero quodcumque tuo tentare libebit,
Cedas; *OBSEQUIO plurima vincit Amor.*
Sed ne te capiant, primò si fortè negabit,
Tædia: paulatim sub juga colla dabit.
LONGA dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aquâ.
ANNUS in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certâ lucida signa vice.

Nec

OBSERVATIONES.

ELEG. 4. v. 1. *umbrosa tibi contingant tecta*] Sacellum. Auctor liberi carminis:

Huc huc quisquis es in Dei falacis
Diverti grave ne puta sacellum.

v. 4. *Non tibi barba nitet*] Apud eumdem auctorem Priapus graphicè se ipsum describit:

Parùm est mihi, sixi quòd hic misor sedam
Agente terra per Caniculam rimas,
Siticulosam sustinens diù æstatem:
Parùm, quòd imi perfluunt sinus imbre,

Et

Nec jurare time; *VENERIS perjuria venti*
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit Pater ipse valere,
Jurasset cupidè quidquid ineptus amor.
Perque suas impunè sinit Dictynna sagittas
Affirmes, crines perque Minerva suos.
Ah! si tardus eris, errabis. transiet ætas:
Quàm citò non segnis it, remeatque dies!
Quàm citò purpureos deperdit terra colores!
Quàm citò formosas populus alta comas!
Quàm jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Vidi jam juvenem, premeret cum serior ætas,
Mœrentem stultos præteriisse dies.
Crudeles Divi! serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.
Solis æterna est Phœbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum.

Neu

OBSERVATIONES.

Et in capillos grandines cadunt nostros,
Horretque dura BARBA vincta crystallo.

v. 17. *Nec jurare time*] Catul. c. 63. *Nil metuunt JURARE.*

v. 19. *Gratia magna Jovi*] Ovid. Eleg. 10. l. 4. Trist. GRATIA *Musa tibi*:

Ibid. *vetuit Pater ipse valere*] Hoc vulgò creditum antiquis, ut liberior esset peccandi licentia. Idipsum affirmat Plato philosophus poëta in Symposio: Ὁ δὲ δεινότατον, ὥς γε λέγουσιν οἱ πολλοὶ, ὅτι καὶ ὀμνύντι μόνῳ ξυγγνώμη παρὰ θεῶν, ἐκβάντι τῶν ὅρκων. ἈΦΡΟΔΊΣΙΟΝ γὰρ ὍΡΚΟΝ, οὔ φασιν εἶναι. οὕτω καὶ οἱ θεοὶ καὶ οἱ ἄνθρωποι πᾶσαν ἐξουσίαν πεποιήκασι τῷ ἐρῶντι, ὡς ὁ νόμος φησὶν ὁ ἐνθάδε. *Quod verò maximi momenti est plerique*

Neu comes ire neges, quamvis via lōga paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti.
Quamvis prætexens pictâ ferrugine cælum,
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cæruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros subiisse labores,
Aut operi insuetas atteruisse manus.
Neu, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi tentabis ludere dextrâ:
Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
Oscula. pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primò, post offeret ipse volenti,
Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu malè nunc artes miseras hæc sæcula tractant!
Jam tener assuevit munera velle puer.

Jam

OBSERVATIONES

rique tradunt, solis videlicet amatoriis perjuriis Deos veniam dare. Venereum quippe JUSJURANDUM nihil valere ajunt. Itaque tam Dii, quàm homines omnem amanti licentiam præstiterunt, ut lex nostra testatur.

v.23 [illegible]] Docet Priapus amatorem, quibus monitis, & blanditiis animum pueri simplicem labefactare possit.

v.46 *nudum*] Clypeo non protectum. Vide Lipsium Saturn. l. 2. c. 20.

v. 48. *pugnabit*] Detrectabit basia. Ovidius. de Arte v. 667.

PUGNABIT PRIMO fortassis: &, improbe, *dicet:*
Pugnando vinci sed tamen illa volet.

v.57

Jam tua, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos & amate poëtas:
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idææ currus ille sequatur Opis:
Et tercentenas erroribus expleat urbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditis vult esse locum Venus ipsa querelis:
Supplicibus miseris, flentibus ipsa favet.
Hæc mihi, quæ caverem Titio, Deus edidit ore,
Sed Titium conjux hæc meminisse vetat:

O fu-

OBSERVATIONES.

v. 57. *Carmine purpurea est*] Adi Horatium Ode 8. l. 4. Ovid. Amor. 3. Eleg. 12. utrobique plura invenies huic sententiæ consona.

v. 61. *At qui non audit Musas*] Qui precibus facilis esse consuevit, *audire* dicitur. Contra Horatius Ode 2. l. 1.

— prece qua fatigent
Virgines sanctæ minùs AUDIENTEM
Carmina Vestam?

v. 63. *erroribus expleat urbes*] Misertima est profugorum vita, & injuriis tempestatum obnoxia. Infra Eleg. 10.

Uretur facies, urentur Sole capilli,
Deteret invalidos & via longa pedes.

Hinc illæ querelæ Virgiliani Æneæ:

Ipse ignotus egens, Libyæ deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus.

Cæterùm adverte, numerum certum à Tibullo pro incerto usurpatum, ut solent poëtæ. Catul. c. 11.

Quos simul complexa tenet TRECENTOS. Virg. cit. 4. Æneidos de sagâ:

TER-

O fuge te teneræ puerorum credere turbæ,
  Nam causam justi semper amoris habent.
Hic placet, angustis quòd equū cōpescit habenis;
  Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
  Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Pareat ille suæ; vos me celebrate magistrum,
  Quos malè habet multâ callidus arte puer.
GLORIA cuique sua est; me qui spernentur amantes
  Consultent; cunctis janua nostra patet.
Tempus erit, cum me Veneris præcepta ferentem
  Deducat juvenum sedula turba senem.
Eheu quàm lento Marathus me torquet amore!
  Deficiunt artes, deficiuntque doli.

Par-

OBSERVATIONES.

TERCENTUM *tonat ore Deos*.

v. 69. *O fuge*] Verba uxoris ad Titium.

v. 75. *Hic, quia fortis adest audacia, cepit*] Alius petulantiâ quadam, & lasciviâ puerili in sui amorem inducit: alius verò virginali verecundiâ diligi meretur. *Adest* pro *est* invenio apud principem poetarum Eclog. 4.

Non me carminibus vincet vel Thracius Orpheus,
Vel Linus: huic mater quamvis, atque huic pater ADSIT,
Orpheo Calliopea, Lino formosus Apollo.

item apud Martialem Epig. 6. l. 1.

Quæ majora putas miracula? summus utrisque
Auctor ADEST: hæc sunt Cæsaris, illa Jovis.

v. 80. *Deducat*] Per urbem comitetur honoris gratiâ. Hinc *deductores* apud Q. Ciceronem de petitione Consulatus: *Nam ex ea ipsa copia*, inquit, *conjectura fieri poterit, quantum sis in ipso campo virium ac facultatis habiturus. Hujus autem rei tres partes sunt: una salutatorum, cum domum veniunt: altera DEDUCTORUM: tertia assectatorum.* Marcus autem frater Catone majore

jore

Parce, puer, quæso, ne turbis fabula fiam;
Cum mea ridebunt vana magisteria.

ELEGIA V.

Expostulat cum amica, quòd, se relicto, cujus precibus sanitati restituta fuerat, rivalem suum recipiat.

ASper eram, & bene dissidium me ferre loquebar;
At mihi nunc longè gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,

Quem

OBSERVATIONES.

jore, ubi senectutis voluptatem maximam in auctoritate positam esse demonstrat, sic ait: *Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, DEDUCI, reduci, CONSULI: quæ & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentissime observantur.* Nec prætermittendi sunt versiculi Callimachi apud Joannem Stobæum serm. 114. quos videtur Tibullus in animo habuisse, dum hæc scriberet:

Γηράσκει δ' ὁ γέρων κεῖνος ἐλαφρότερον,
Κοῦροι τ' φιλέουσι. νέοι δέ μιν, οἷα τοκῆα,
Χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην.

Multò levius SENEX ille senescit, quem adolescentes amant: & JUVENES ipsum, veluti patrem, manibus DEDUCUNT ad proprium usque limen.

v. 84. *Cum mea ridebunt*] Quandoquidem subsannabunt præcepta magistro ipsi omnino inutilia. Pulchre Ovidius de hujusmodi consultis 1. Artis Amatoriæ.

Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.

ELEG. V. v. 1. *loquebar*] Loqui nonnumquàm pertinet ad superbiam, & vanum tumorem. Propertius Eleg. 1. l. 1. *Si modò libertas, quæ velit ira, LOQUI.* Albinovanus de morte Drusi:

Hei mihi, quàm facile est (quamvis hic contigit omnes)

Al-

Quem celer assuetâ versat ab arte puer.
Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quidquã
Magnificum posthac, horrida verba doma.
Parce tamen, te per furtivi fœdera lecti,
Per Venerem quæso, compositumque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis:
Ipseque ter circùm lustravi sulphure puro,
Carmine, cum magico præcinuisset anus:
Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter salsâ deveneranda molâ:
Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota novem Triviæ nocte silente dedi.

Om-

OBSERVATIONES.

Alterius luctu fortia verba LOQUI. Cicero ad familiares l. 12. Epist. 22. *Pansa & sentit bene, &* LOQUITUR *fortiter.*

v. 3. *sola*] Catullus pariter c. 62. v. 7.

Et jam recente terræ SOLA sanguine maculans.

v. 4. *ab arte*] Particula *ab* redundat eleganter, ut apud Ovidium Amor. 2. Eleg. 4.

Et tenerum molli torquet AB ARTE latus.

v. 8. *compositumque caput*] Quod simul junximus, Veneri operam dantes. Petronius Satyr. *In hoc gramine pariter COMPOSITI mille osculis lusimus.*

v. 14. *salsa mola*] Inter cornua victimæ frontem veteres collocabant ex farre, ac sale, quam appellabant *molam salsam*: indè verbum *immolare*. Expiabantur autem pessima somnia sacrificiis, ut nos docet ipse Tibullus Eleg. 4. l. 3.

At natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

v. 15. *velatus filo, tunicisque solutis*] Idem præcipit Themis Ovidiana 1. Metam. Deucalioni & Pyrrhæ, jactu lapidum homines reparaturis:

Et VELATE caput, cinctasque RESOLVITE vestes.

v. 16. *Vota novem Triviæ*] Ter-

tia

Omnia persolvi; fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
Fingebam demens, sed renuente Deo:
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret.
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
Pressaque veloci candida musta pede.
Consuescet numerare pecus: consuescet amantis
Garrulus in domina ludere verna sinu.
Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ,
Et juvet in totâ me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus;
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.
Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurusque, Notusque

Ja-

OBSERVATIONES.

na scilicet singulis Dianæ capitibus, quæ *triformis* Horatio dicitur, Virgilio *tergemina*, Græcis τρίμορφος, τριπρόσωπος, ob triplicem potestatem: Luna enim in cælo, Diana in silvis, Proserpina, seu Hecate, apud inferos putabatur.

v. 21. *Rura colam*] Hæc sibi fingebat poëta credulus, quæ irrita ceciderunt.

v. 33. *virum, hunc*] Negligit poëta Ecthlipsim litteræ M, idque propter insequentem aspirationem, quæ vicem sustinet mutæ consonantis.

v. 36.

Jactat odoratos vota per Armenios.
Num Veneris magnæ violavi numina verbo,
  Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse Deorum,
  Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
  Et miserum sancto tundere poste caput:
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
  Et dare sacratis oscula liminibus.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caveto:
  Mox tibi non unus sæviet usque Deus.
Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,
  Post Veneris vinclis subdere colla senem;
Et sibi blanditias tremulâ componere voce,
  Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caræve puellæ
  Ancillam medio detinuisse foro.

Hunc

OBSERVATIONES.

v. 36. *Jactat odoratos*] Longinquam, & certam regionem designat, ut desiderii sui frustrationem ἐμφατικωτέρως ostendat. Sic Horatius, ut magnam animi securitatem significet, hæc scribit Ode 26. l. 1.

Musis amicus tristitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis ——

v. 41. *tellurem genibus perrepere*] Piaculi hujus meminit & Juvenalis 6. Sat. v. 525.

—— *Indè superbi*
Totum regis agrum nuda & tremebunda cruentis
EREPTET GENIBUS ——

v. 42. *tundere poste caput*] Quos gravior aliqua calamitas vexat, præsertim si vitio suo accidisse agnoscant, caput parietibus illidere solent. Hac rabie agitatum Octavianum Cæsarem post cladem Varianam, narrat Svetonius c. 23. in ejus vita.

O v. 54.

Hunc puer, hunc juvenis turba circumsteterit arctâ,
Despuit in molles & sibi quisque sinus.
At mihi parce Venus: semper tibi dedita servit
Mens mea. quid messes uris acerba tuas?

ELEGIA VI.

Dolet sibi divitem in amore præferri, puellamque docet, quæ officia pauper præstare possit.

SÆpe ego tentavi curas depellere vino,
At dolor in lacrymas verterat omne merum:
Sæpe aliam tenui: sed, jam cum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruitque Venus.
Tum me discedens devotum femina dixit;
Et (pudet heu!) narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis: facie, tenerisque lacertis
Devovet, & flavis nostra puella comis.

Ta-

OBSERVATIONES.

v. 54. *Despuit*] Rei novitatem admirantes, & veluti portentum avertere studentes; Magnam vim salivæ hominis inesse, Plinius docet l. 28. c. 4. quem vide.

v. 55. *tibi dedita*] Hujusmodi sententiam expressit Ovidius Amor. 2. Eleg. 9. ubi ad Cupidinem:

Nos tua sentimus populus tibi DEDITUS arma:
Pigra reluctanti cessat in hoste manus.

v. 56. *messes uris acerba tuas?*] Pat illud Flacci adagium: *vineta sua cædere.*

ELEG. VI. v. 5. *devotum femina dixit*] Veneficio contactum, ut loquitur Petronius Arbiter ex Polyæni personâ. Ovidius à magistro suo Amor. 3. Eleg. 7.

Quid me ludis? ait. quis te malè sane jubebat
Invitum nostro ponere membra toro?
Aut te trajectis Ææa venefica lanis
DEVOVET: aut alio lassus amore venis.

v. 10.

Talis ad Æmonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frænato cærula pisce Thetis.
Hæc nocuere mihi, quòd adest huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitēt animæ circùm sua fata querentes
Semper, & è tectis strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens, herbasque sepulcris
Quærat, & à sævis ossa relicta lupis.
Currat & inguinibus nudis, ululetque per urbes:
Post agat à triviis aspera turba canum.

Eve-

OBSERVATIONES.

v. 10. *Vecta est frænato*] Idem Ovidius Fastorum 2. v. 41.

VECTAM FRÆNATIS per inane draconibus Ægeus
Credulus, immerita Phasida juvit ope.

& 2. Metamorph. sub initium:

Doridaque, & natas: quarum pars nare videtur,
Pars virides in mole sedens siccare capillos,
PISCE VEHI quædam ——

Cæterùm formosas puellas, quarum amore tenerentur, poëtæ antiquis Heroinis, imò & Deabus comparant. Catullus c. 67.

Quò mea se molli candida Diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constitit in solea:
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Protesilaeam Laodamia domum.

v. 19. *ululetque per urbes*] Optat, pessimam vetulam eo melancholiæ genere vexari, quo affecti se lupos esse arbitrantur, ideóque furore perciti ululatus tollunt, obvios morsibus appetunt, pecora invadunt, noctu degunt in silvis: unde fabula increbuit, homines magicis artibus in veros lupos converti posse, quam refutat Plinius cap. 22. l. 8. Scio, nemini Tibullum ita explicatum, cum tamen sequenti versiculo ipse quid voluerit manifestò indicet: canes enim viso lupo, nativæ simultatis memores, turmatim ad fugandum accurrunt. quòd

O 2 si

Eveniet: dat signa Deus. *SUNT Numina amanti:*
Sævit & injustâ lege relicta Venus.
At tu quamprimùm sagæ præcepta rapacis
Desere. *NAM donis vincitur omnis amor.*
Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere:
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ
Subjicietque manus, efficietque viam:
Pauper ad occultos furtim deducet amicos,
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
Heu canimus frustra, nec verbis victa patescit
Janua; sed plenâ est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea furta caveto.
VERSATUR celeri Fors levis orbe rota.

ELE-

OBSERVATIONES.

si aliquem audiant lupinam vocem imitatum, latratibus temperare nequeunt. *Ululare* proprium est luporum, quamobrem divinus Maro nihil temerè effutiens ita 1. Georg. *Per noctem resonare.* LUPIS ULULANTIBUS URBES. Fuerunt, qui se crederent juvencos esse, & idcircò mugirent, quâ insaniâ filias Prœti laborasse, idem poëta narrat Eclog. 6.

Prœtides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in levi quæsisset cornua fronte.

v. 30. *Vinclaque de niveo*] Servilia munia exsequetur sedulò. Hinc D. Joannes Baptista Lucæ c. 3. *veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum.*

ELEG.

Elegia VII.

Monet conjugem puellæ suæ, ut eam sibi servandam committat; ob cujus matris merita nihil se non effecturum pollicetur.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus,
Post tamen es misero tristis & asper, Amor.
Quid tibi sævitiæ mecum est? an gloria magna
Insidias homini composuisse Deum?
Jam mihi tenduntur casses; jam Delia furtim
Nescio quem tacitâ callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est;
Sic etiam de me pernegat usque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes. eheu nunc premor arte mea!
Fingere tunc didicit causas, cur sola cubaret:
Cardine tunc tacito vertere posse fores:
Tunc succos, herbasque dedi, queis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

OBSERVATIONES.

ELEG. VII. v. 11. *Fingere tunc didicit caussas*] Puta Cereris, vel Isidis religionem, quarum sacris operatæ mulieres à virorum amplexibus abstinebant. Propert. Eleg. 5. l. 4.

Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
Fac simules puros Isidis esse dies.

v. 13. *succos, herbasque dedi*] Sinapi semen livoribus illini cum melle & adipe anserino, aut cerâ Cypriâ, docet Plinius l. 20. c. 22. Eosdem fabæ, ac lupinorum farinâ emendari l. 22. c. 25. disertè scribit.

At tu fallacis conjux incaute puellæ,
Me quoque servato, peccet ut illa nihil.
Neu juvenes celebret multo sermone caveto,
Neve cubet laxo pectus aperta sinu:
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, & mensæ ducat in orbe notas.
Exibit quàm sæpe, time: seu visere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

At

OBSERVATIONES.

v. 16. *Me quoque servato*] Illam mihi utendam concedas, faxo deinde, ne quis juvenum cum ipsâ rem habeat: sed veluti Hesperius Draco tibi & mihi solis sartam tectam præstitero, ad quam communes amores exerceamus: quod faustum, felix, & utrique sit utile nostrûm. Placent, qui legunt: *peccet ut illa minùs*: JOANNES verò CHECCOTIUS Vicentinus, adolescens bonis artibus ornatissimus, quem honoris & amicitiæ causâ nomino, huic nostræ explicationi minimè acquiescit, censetque id velle Tibullum, ac si diceret: Dummodò puella, quam efflictim depereo, nemini det, ipse quoque haud gravatè ab ejus consuetudine abstinebo: & propterea tu marite cave diligenter, ne ad illam accedam. Tuetur autem vulgatam lectionem: *peccet ut illa nihil*. Si quis Checcotii sententiam nostræ præferendam existimet, non valde abnuam, qui nimirùm sciam iratos homines id moris habere, ut desiderio nocendi adversariis sua ipsi vineta cædant. Vide Senecam lib. 1. de Irâ c. 1. Nos Itali similem insaniam eleganti adagio significare consuevimus: *Can dell'Ortolano, che non mangia lattuga, nè lascia, che altri ne mangi*. Cæterùm *servare* hic, si Checcotium audimus, est observare, inspicere, oculis notare. Virgilius pariter 6. Æneid. v. 338.

Dum sidera SERVAT.

Val. Flaccus Argonaut. 1. v. 18.

——— *neque enim in Tyrias Cynosura carinas*
Certior, aut Graiis Helice SERVANDA magistris.

& lib. 4. v. 487.

——— *simul æquora SERVANT,*
Astra simul ———

v. 22. *Sacra Bonæ*] Illuc enim Clodii surrepunt, vide Juvenal. 6. Sat.

v. 23.

At mihi si credas, illam sequar unus ad aram:
  Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpe, velut gemmas ejus signumque probarē,
  Per caussam memini me tetigisse manum.
Sæpe mero somnum peperi tibi: at ipse bibebam
  Sobria suppositâ pocula victor aquâ.
Non ego te læsi prudens: ignosce fatenti.
  Jussit Amor. *CONTRA quis ferat arma Deos?*
Ille ego sum (nec me jam dicere vera pudebit)
  Instabat totâ cui tua nocte canis.
Non frustra quidam jam nunc in limine perstat
  Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit:
Et simulat transire domū: mox deinde recurrit
  Solus, & ante ipsas exscreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat. utere quæso
  Dum licet. in liquidâ nat tibi linter aquâ.

Quid

OBSERVATIONES.

v. 23. *At mihi si credas*] Enimverò, Tibulle, hoc fuerit ovem lupo committere. nonne paulò ante dixisti:

Pauper ad occultos furtim deduces amicos?

v. 24. *non oculis sit timuisse meis*] Non verebor, ne fortè cæcus fiam, sacris aspiciendis, quæ viris interdicta sint.

v. 26. *per caussam*] Itali dicerent: *sotto pretesto, sotto colore.*

v. 29. *prudens*] Quòd adversùm te malè animatus forem, sed potiùs Amore instigante. Cicero l. 6. ad famil. Epist. 6. *Sic ego PRUDENS & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.*

v. 30. *Jussit Amor*] Sic & Lyconides Plautinus Aulul. confidit se excusatum iri apud Euclionem, cujus filiam virginem vitiaverat:

DEUS mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit.

v. 37. *utere quæso*] Me scilicet custode, atque excubitore.

Quid tenerâ tibi conjuge opus, tua si bona nescis
Servare? frustra clavis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores,
Et simulat subitò condoluisse caput.
At mihi servandam credas. non sæva recuso
Verbera: detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.
Quisquis & occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, aut aliâ stet procul ante viâ.
Sic fieri jubet ipse Deus, sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, nec demens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam.
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna monet.
Parcite, quam custodit Amor, violare puellam:
Ne

OBSERVATIONES.

V. 42. *condoluisse caput*] Tibi percontanti, cur frequentes gemitus ducat, respondet puella nequissima, & dolis omnibus instructa, se repentino capitis dolore tentari.

V. 53. *Ipsa bipenne suos*] Furoris hujus immanissimi Propertius meminit Eleg. 16. l. 2.

Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?

Sacerdotes Baal, ut ignem elicerent ad victimam comburendam, simili ritu Deum suum placare studebant, ut habemus l. Regum 3. c. 18. Verba Scripturæ sunt: *Clamabant ergò voce magna, & incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis*, donec PERFUNDERENTUR SANGUINE.

V. 59.

Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigeris; labentur opes; ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas;
Si tamen admittas, sit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi; sed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris, multòque timore
Conjungit nostras clam taciturna manus:
Hæc foribusque manet noctu me affixa, proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diù mi dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modò fas, annos contribuisse velim.
Te semper, gnatamque tuam te propter amabo.
Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modò casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.
Et mihi sint duræ leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos.
Et si quid peccasse putor, ducterque capillis
Immeritò, properas proripiarque vias.

Non

OBSERVATIONES.

v. 59. *Attigeris; labentur opes*] Pari modulo Juven. 3. Sat. v. 78. *Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit.*

v. 62. *sit precor illa levis*] Conniveat delicto, nec extemplò velit supplicium sumere.

v. 72. *sanguis est tamen illa tuus*] Virg. Æneidos 6. *Projice tela manu* SANGUIS MEUS. Silius Italicus l. 3. *tenet, æternumque tenebit Tarpejas arces* SANGUIS TUUS.

v. 80.

Non ego te pulsare velim, sed venerit iste
  Si furor, optarim non habuisse manus.
Ne sævo sis casta metu, sed mente fideli
  Mutuus absenti te mihi servet amor.
At quæ fida fuit nulli, post victa senectâ
  Ducit inops tremulâ stamina torta manu:
Firmaque conductis annectit licia telis,
  Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident, juvenûque catervæ
  Commemorant meritò tot mala ferre senem:
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
  Spectat, &, infidis quàm sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant. nos, Delia, amoris
  Exemplum canâ simus uterque comâ.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 80. *optarim non habuisse manus*] Ovidius Amor. 1. Eleg. 7. dolens, quòd amicam verberasset:

Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos:
Utiliùs potui parte carere mei:

v. 91. *amoris Exemplum*] Citat. Juven. 10. Sat. v. 246.

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
EXEMPLUM vitæ fuit à cornice secundæ.

Ita Pedo Albinovanus Eleg. de morte Drusi:

Occidis EXEMPLUM juvenis venerabile morum.

Vetus denique inscriptio apud Aldum juniorem in Ortographia pag. 57.

ANICIAE FALTONIAE PROBAE FIDEI NOBILITATIS ANTIQVAE ORNAMENTO ANICIANAE FAMILIAE SERVANDAE AC DOCENDAE CASTITATIS EXEMPLO &c.

ELEG.

ELEGIA VIII.

Celebrat natalem Messalæ, opportunè ad ejus victorias recensendas, multarumque regionum laudes excurrens.

HUnc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolüenda Deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere, novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos; Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici:
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Liger.
At te Cydne canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis?
Quantus & æthereo contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba suo?
Utque maris vastum prospectet turribus æquor

Prima

Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis &, arentes cum findit Seirius agros,
  Fertilis æstivâ Nilus abundet aquâ?
Nile pater, quânam possum te dicere causâ,
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
  Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
  Et teneram ferro sollicitavit humum:
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
  Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,

Hic

OBSERVATIONES.

ELEG. VIII. v. 20. *Prima ratem ventis*] Qui primus mortalium navigandi artem vulgaverit, non convenit inter auctores. Lege Plinium l. 7. c. 56.

v. 21. *cum findit Seirius agros*] Hoc observatum Claudiano in Eidylliis:

Quoque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venasque calore
Compescit, radiisque potentibus æstuat axis;
NILO bruma vehit contraria tempora mundo,
Defectis solitum referens cultoribus æquor,

v. 28. *Memphitem plangere docta bovem*]Ridiculam de Api Ægyptiorum superstitionem describunt Plinius l. 8. c. 46. & Julius Solinus c. 45. quem jure optimo umbram, & simiam Plinii dicere possis, adeò ejus verba sublegere curat, veluti ex locorum collatione facilè dignoscitur.

v. 30. *ferro sollicitavit humum*] Claudianus præfatione ad 1. lib. de raptu Proserp.

Inventa secuit qui PRIMUS nave profundum,
Et rudibus remis SOLLICITAVIT aquas.

v. 56.

Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primùm matura ſapores
  Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
  Movit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
  Pectora triſtitiæ diſſolüenda dedit:
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
  Crura licet durâ compede pulſa ſonent.
Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus, Oſiri,
  Sed chorus, & cantus, & levis aptus Amor:
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
  Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriæ veſtes, & dulci tibia cantu,
  Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.
Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
  Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius & nitido ſtillent unguenta capillo,
  Et capite, & collo mollia ſerta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dem thuris honores,
  Liba & Mopſopio dulcia melle feram.
At tibi ſuccreſcat proles, quæ facta parentis
  Augeat, & circa ſtet veneranda ſenem.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 56. *veneranda*] Formæ dignitate præcellens: quemadmodum Aſcanius Virgilianus Æneid. 9. ad Euryalum pulcherrimū omnium, qui Trojâ captâ ducem Æneam in Italiam ſecuti fuerant:

Te verò, mea quem ſpatiis propioribus ætas

In-

Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuſcula tellus,
 Candidaque antiquo detinet Alba Lare;
Namque opibus congeſta tuis hìc glarea dura
 Sternitur, hìc aptâ jungitur arte ſilex.
Te canet agricola, è magnâ cum venerit urbe
 Serus, inoffenſum retuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
 Candidior ſemper, candidiorque veni.

ELEGIA IX.

De infelicibus Marathi amoribus.

NOn ego celari poſſim, quid nutus amantis,
 Quidve ferant miti lenia verba ſono.
Nec mihi ſunt ſortes, nec conſcia fibra Deorum:
 Præcinit eventus nec mihi cantus avis.
Ipſa Venus magico religatum brachia nodo
 Perdocuit multis non ſine verberibus.
Deſine diſſimulare. *DEUS crudelius urit,*

Quos

OBSERVATIONES.

Inſequitur VENERANDE puer ——
Poëta idem in Culice:
Octavi VENERANDE meis allabere ceptis,
Sancte puer ——
Si cui forte fortaſſe mirum videatur formoſos hoc nomine appellari, cogitet non diſſimili ratione à Terentio *honeſtum* uſurpari pro pulchro, Eunu. Act. 3. Sc. 2. PAR. *ubi tu es Dore? accede huc. hem eunuchum tibi. Quàm liberali facie, quàm ætate integrâ! TH. Ita me Dii ament*, HONESTUS *eſt*. Ad quem locum Donatus affert illud Maronis Æneid. 1. *Lætos oculis afflarat honores*. Sanè quæ honeſta ſunt, merentur venerationem.

ELEG.

Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Sæpeque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente genas ornasse? quid ungues
Artificis doctâ subsecuisse manu?
Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligat arcta pedes.
Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tardâ compserit arte caput.

Num

OBSERVATIONES.

ELEG. IX. v. 8, *Quos videt invitos*] Hoc est potentium ingenium, *parcere nimirum subjectis & superbos debellare*, quemadmodum ait Maro de Romanis. Nec tantùm heroibus, aut principibus viris, hos inesse mores videmus, sed etiam feris generosioribus: Quod Aristoteles confirmat l. 2. Rhetoric. cap. 3. his verbis: ὅτι δὲ πρὸς τοὺς ταπεινουμένους παύεται ἡ ὀργή, καὶ οἱ κύνες δηλοῦσιν, οὐ δάκνοντες τοὺς καθίζοντας. *adversùs autem se submittentes requiescere iram, etiam canes manifestum faciunt, non mordentes eos, qui prostrati sunt*. Plinius tamen solis leonibus id videtur tribuere, sic enim l. 8. c. 16. *Leoni tantùm ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: & ubi sævit, in viros potiùs, quàm in feminas, fremit: in infantes non nisi magna fame*. Cæterùm Euripides Hippolyto simili omnino sententia Tibullum antevertit:

Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυῇ.
Ἣ τὸν μὲν εἴκονθ', ἡσυχῇ μετέρχεται.
Ὃν δ' ἂν περισσὸν, καὶ φρονοῦνθ' εὕρῃ μέγα,
Τοῦτον λαβοῦσα, πῶς δοκεῖς, καθύβρισεν.

Intolerabilis Venus est, si abundaverit: quæ concedentem SIBI leniter sequitur, & benigniùs tractat: illum verò, quem præ cæteris altiùs sapere invenerit: comprehensum multò absurdiùs afficit. Huc pertinet illud ore omnium tritum adagium:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

v. 14. *Ansaque compressos*] Hoc est, quod Ovidius amatorculis præcipit, ut videlicet calceis astrictioribus utantur, puellarum gratiæ captandæ:

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

v. 28.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris:
Cantus & iratæ detinet anguis iter:
Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
FORMA nihil magicis utitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento;
Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera ne poscas. det munera canus amator,
Ut foveat molli frigida membra sinu.
Carior est auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inveniet puero succumbere furtim,
Dum tumet, & teneros conserit usque sinus:
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Os-

OBSERVATIONES.

v.28. *tristia facta*] Animi duritiem, & inexorabilem crudelitatem. Virgilius Æneidos 2. v. 548. —— *illi mea TRISTIA FACTA, Degeneremque Neoptolemum narrare memento.*

v. 36. *conserit usque sinus*] Persius ultimâ Satyrâ obscœniùs expressit his verbis: *Patritiæ immejat vulvæ.* Hæc satis, ne sentina moveatur ulsio.

Oſcula, & in collo figere dente notas.
Nō lapis hanc gemmæque juvent, quæ frigore ſola
Dormiet, & nulli ſit cupienda viro.
Heu *SERO revocatur Amor, ſeroque juventa,*
Cum vetus infecit cana ſenecta caput.
Tū ſtudium formæ eſt: coma tū mutatur, ut annos
Diſſimulet viridi cortice tincta nucis:
Tollere tum cura eſt albos à ſtirpe capillos,
Et faciem demptâ pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere; non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque: puero quæ gloria victo eſt?
In veteres eſto dura puella ſenes.
Parce precor tenero. non illi ſontica cauſa eſt,

Sed

OBSERVATIONES.

v. 50. *veteres ſenes*] Ita Horatius Epod. 8.

Cum ſit tibi dens ater, & rugis VETUS
Frontem SENECTUS exaret.

v. 51. *ſontica cauſa*] Feſtus Pompejus ex emendatione Joſephi Scaligeri: SONTICA CAUSA *dicitur à morbo ſontico, qui quid agendum agere non permittit.* Sed locus interpolatus eſt; in antiquis enim codicibus, quibus uſum ſe teſtatur Antonius Auguſtinus diligentiſſimus antiquitatis ſcrutator, ita ferè legitur, pluribus literis corroſis & fugientibus .... *auſa dicitur à morbo* ..... *erendum agere* ...... Gratius verò Faliſcus non ignobilis poëta, qui temporibus Auguſti vixit, *cauſas* pro *morbis* manifeſto uſurpavit eo verſiculo Cynegetici:

CAUSASque, affectuſque canum tua cura tueri eſt.

Indè *cauſarii milites* dicti, qui ob malam valetudinem ſacramento militiæ ſolvebantur: *& cauſaria miſſio* apud Juriſconſultos. Nec deductum aliunde exiſtimaverim elegans vocabulum, quo politioris Etruſcæ linguæ ſcriptores graciliorem hominem & frequentibus morbis obnoxium ſignificare conſueverunt: ideſt *cagionevole*. Audi Joannem Boccatium (nella novel-

P la

Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vah miser, absenti mœstas quàm sæpe querelas
Conjicit, & lacrymis omnia plena madent!
Quid me spernis? ait, poterat custodia vinci;
Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.
Et possum mediâ quamvis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso sæva puella toro?
Vel cum promittit subitò, sed perfida fallit,
Est mihi nox multis evigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
Illius credo tunc sonuisse pedes.
Ah pereant artes, & mollia jura colendi.
Horrida villosâ corpora veste tegam!
Nunc, si clausa mea est, si copia rara videndi,
Me miserum, laxam quid juvat esse togam? 70
Desistas lacrymare puer; non frangitur illa,
Et

OBSERVATIONES.

In 6. giorn. 5.) *Il Re veggendola bella l'ebbe cara; ma perciòche CAGIONEVOLE era alquanto della persona, infino a tanto che più forte fosse, comandò che ella fosse messa in certe case bellissime d'un suo giardino &c.*

v. 66 *tunc sonuiße pedes*] In carmine libero, quod Tibullo adscribitur:

At ille cum redibis aureus puer,
Simul SONANTI senseris iter PEDE &c.

v. 75.

Et tua jam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoë, moneo, fastidia Divi,
Nec prodest sanctis thura dedisse focis.
Hic Marathus quondã miseros ludebat amãtes
Nescius ultorem post caput esse Deum.
Sæpe etiam lacrymas fertur risisse dolentis,
Et cupidum fictâ detinuisse morâ.
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
Quæcumque oppositâ est janua firma serâ.
At te pœna manet, nisi desinis esse superba.
Quàm cupies votis hunc revocare diem!

ELEGIA X.

Tuerum incusat, quòd vi munerum captus juratam sibi fidem fregerit.

QUid mihi, si fueras miseros læsurus amores,
Fœdera per Divos jàm violanda dabas?

Ah

OBSERVATIONES.

v. 75. *Hic Marathus*] εἰκαστικῶς Tullius Catone Maiore. *Sæpenumerò mirari soleo cum VOCC. Lælio.*

v. 76. *Nescius ultorem p. c. e. D.*] Homines, quibus fortunæ favor blanditur, miseros despectos habent, nec illud cogitant, se quoque à felicitatis vertice in barathrum ærumnarum deturbari posse. Pulchrè Virgilius 8. Æneid. de Cleopatræ stupore:

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
Nec dum etiam geminos à tergo respicit angues.

Aspides videlicet; quarum morsu interitura erat. Idem l. 10. gravissimè:

NESCIA mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et servare modum, rebus sublata secundis.

ELEG. X. v. 1. *Quid tu si fueras*] Quid attinebat conceptissimis verbis

Ah miser, *ETSI quis primò perjuria celat*,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Parcite cæleſtes; æquum eſt impunè licere
Numina formoſis lædere veſtra ſemel.
Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terræ ruſticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.
Muneribus meus eſt captus puer; at Deus illa
In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.
Jam mihi perſolves pœnas, pulviſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur ſole capilli,
De-

OBSERVATIONES.

bis te jurare à datâ fide numquàm diſceſſurum, ſi mox teſtes Deos nihili facturus eras? Hæc autem indignationis, & exprobrationis plena. Horat. Epod. 15.

Cum tu magnorum numen LÆSURA Deorum,
In verba jurabas mea.

v. 5. *æquum eſt impunè licere*] Ovidius Amor. 2. Eleg. 14.

Dii faciles, peccaſſe SEMEL concedite tutò:
Id ſatis eſt. pœnam culpa ſecunda ferat.

v. 9. *freta per parentia ventis*] Arbitrio ventorum tolluntur, & deprimuntur fluctus. Poëta Sulmonenſis Triſtium 1. Eleg. 2.

Inter utrumque fremunt immani turbine VENTI:
Neſcit, cui domino PAREAT, unda maris.

v. 15. *Uretur facies*] Plinius l. 29. c. 3. occurrit incommodo: *Candido ovorum*, ait, *in oculis & pili reclinantur, Hammoniaco trito, admiſtoque: & vari in facie cum pineis nucleis, ac melle modico. Ipſa FACIES illita SOLE non ADURITUR*. Quod jam indè à Senecæ temporibus in uſu oportuit eſſe, ſic enim Philoſophus Epiſt. 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne SOL, ne frigus teneram cutem lædat. turpe eſt, neminem eſſe in comitatu PUERORUM, cujus ſana*

Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Admonui quoties! auro ne pollue formam;
SÆPE solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si qui violavit Amorem:
Asperaque est illi, difficilisque Venus.
Ure meum potiùs flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti;
EST Deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse Deus tacito permisit vela ministro,

Ede-

OBSERVATIONES.

næ FACIES medicamentum desideret.

V. 17. *auro ne pollue formam*] Vide Eleg. 2. l. 1. Propertii, & ibi observ. nostras.

V. 20. *Asperaque est illi*] Supra Eleg. 7. v. 89.

Hanc VENUS ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, & , infidis quàm sit acerba, monet.

V. 21. *Ure meum potiùs*] Qui se auctorabant ludo gladiatorio, in hæc tria jurabant, URI FLAMMIS, *virgis* SECARI, FERROQ. *necari*, teste Acrone in Horatium. Plura dabit Lipsius l. 2. Saturnal. c. 5.

V. 24. *EST Deus*] Verissima, & homine Christiano digna sententia, quam paulò aliter extulit Plautus Captiv. Act. 2. Sc. 2.

EST profectò DEUS, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.

V. 25. *permisit vela ministro*] Flagitii conscio, & adjutori potestatem loquendi fecit, licet os obsignatum haberet. Germanâ metaphorâ usus est Juvenalis 1. Satyrâ, ubi se ipsum hortatur ad corruptos Romanorum mores albis dentibus, acrique dicendi genere persequendos:

Omne in præcipiti vitium stetit: utere VELIS,
Totos pande sinus ——

Et Plinius junior de libris Maximi Epist. 20. l. 4. *In quo tu ingenii simul, dolorisque VELIS latissimè vectus es*. Et ante utrumque Naso Metamorph. 15. v. 176. ex ore Pythagoræ disserentis:

— *quoniam magno feror æquore, plenaque ventis*
VELA dedi ——

Ederet ut multo libera verba mero.
Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Jussit, & invitos facta tegenda loqui.
Hæc ego dicebam. nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non, tibi si pretium Campania terra daretur,
Non, tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi sidera cæli
Lucere, & puras fluminis esse vias.
Quin etiam flebas; at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus usque genas.

Quid

OBSERVATIONES.

v. 26. *multo libera verba mero*] Propertius Eleg. 23. l. 2.

Una tamen causa est, quæ crimina tanta remitto,
Errabant MULTO quòd tua VERBA MERO.

v. 28. *& invitos facta tegenda loqui*] Cicero Topic. *Et per SOMNUM, vinum, insaniam, multa sæpe patefacta sunt.*

v. 32. *Pondere*] Antiqui summam pecuniæ ingentem appendebant, non, ut hodiè, numerabant. Hinc frequenter invenias apud scriptores, *impendere*, *expendere*, *expensum referre*, & hujusmodi alia. Catull. c. 28.

Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expensum? ——

Livius l. 5. ab V. C. *Per altercationem nondum omni* AURO *appenso, dictator intervenit.* Cicero pro C. Rabirio: *tu etiam tanto PONDERE AURI, quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasti.*

v. 35. *Illis eriperes verbis mihi*] Persuadere posses tuâ facundiâ id, quod oculorum sensui manifestò contrarium est. Italicè: *mi daresti ad intendere, che gl'Asini volano.* Hoc est, quod ait Juvenalis 3. Sat. *maneant, qui nigra in candida vertunt.* *Eripere*, hac notione, significat veterem opinionem ex animo discutere. Cicero ad Atticum l. 10. Epist. 4. *si vera sunt, ignosces: si*

fal-

Quid faceres, nisi & ipse fores in amore puellæ?
Sit precor exemplo sed levis illa tuo.
O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multâ lumina nocte tuli!
Sæpe insperanti venit tibi munere nostro,
Sed latuit clausas post adoperta fores.
Tunc miser interii, stultè confisus amari;
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonitâ laudes tibi mente canebam;
At me nunc nostri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapidâ Vulcanus carmina flammâ
Torreat, & liquidâ deleat amnis aquâ.
Tu procul hinc absis, formam cui vendere curæ est,
Et pretium plenâ grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis.
Et cum furtivo juvenem lassaverit usu,
Tecum interpositâ languida veste cubet.
Sint

OBSERVATIONES.

falsa, *me libente* ERIPIES *mihi hunc errorem*.

V. 39. *fores in amore puellæ*] Puellam amares. Contra Cicero Act. 6. in Verrem: *Unde igitur potiùs incipiam, quàm ab ea civitate, quæ tibi una* IN AMORE, *atque in deliciis* FUIT?

V. 44. *clausas post adoperta fores*] Quæ lascivia mulierum. Horat. Ode 9. l. 1.

Nunc & LATENTIS proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo &c.

V. 55 *usu*] Propriè, ut semper, locutus Tibullus: nam feminæ adulteræ *mancupio* maritorum suorum esse videntur; *usu* mœchiorum ventitantium. Hinc apud Plautum prologo Amphitruonis:

Is amare cepit Alcumenam clam virum,

Sint externa tuo ſemper veſtigia lecto,
  Et pateat cupidis ſemper aperta domus.
Nec laſciva ſoror dicatur plura bibiſſe
  Pocula, vel plures emeruiſſe viros.
Illam ſæpe ferunt convivia ducere Baccho,
  Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illâ nulla queat meliùs conſumere noctem,
  Atque operum varias diſpoſuiſſe vices.
At tua perdidicit, nec tu ſtultiſſime ſentis,
  Cum tibi non ſolitâ corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te diſponere crines?
  Aut tenues denſo pectere dente comas?
Iſta hæc perſuadet facies, auroque lacertos
  Vinciat, & Tyrio prodeat apta ſinu.
Non tibi, ſed juveni cuidam vult bella videri,
  Devoveat pro quo remque, domumque tuam.

Non

OBSERVATIONES.

USURAMque ejus corporis cepiſſi ſibi.

v. 59. *Nec laſciva ſoror*] Faceſſant, qui hæc intelligunt de ſorore corruptoris. Hòc loco *ſoror* accipienda eſt pro meretrice in lupanari proſtante. Petron. Arbiter: *Si non faſtidis, inquit, feminam ornatam, & hoc primùm anno virum expertam, concilio tibi, ô juvenis,* SOROREM. Martialis l. 10. Epig. 64.

Quare deſine me vocare fratrem, Ne te, Carmenion, vocem SOROREM.

v. 64. *Atque operum varias*] Naſo interpres eſto 2. de Arte:

Uſque vells Venerem jungunt per mille figuras.

Inveniat plures nulla tabella modos.

v. 66. *non ſolita corpus ab arte movet*] Officium tibi facit, maximam ex concubitu voluptatem capere ſimulans, ut adulterii ſuſpicionem à ſe avertat.

v. 82.

Non facit hoc vitio, sed corpora fœda podagrâ
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer: hunc ego credam
Cum trucibus Venerem jungere posse feris.
Blanditiasne meas alii tu vendere es ausus?
Tunc alii demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo.
At tua tum me pœna juvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
HANC. TIBI. FALLACI. RESOLVTVS. AMORE. TIBVLLVS.
DEDICAT. ET. GRATA. SIS. DEA. MENTE. ROGAT.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 82. *aurea palma*] Censet Scaliger emendatione hunc locum indigere, quòd palmâ non sit opus, ubi nulla victoria: conaturque restituere *lamna*, seu *parmæ*. Ejus tamen bonâ cum veniâ dixerim, nihil omnino mutandum est, cum hìc *palma* non arborem, sed manum dolosi amoris catenis expeditam significet, quod ostendit τὸ *notat* digitis convenientissimum. Vovet igitur Veneri Tibullus manum auream, quæ subsequens distichon in pariete, vel tabulâ incidisse videatur, quales & nostro tempore in cælitū templis aliquandò conspiciuntur. Cornificius Rhetoric. ad Herennium l. 3. ubi de arte memoriæ copiosè disserit, sic habet: *Et ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quemque locum places notari: quod genus, si in quinto loco* MANUM AUREAM *collocemus* &c. Vides, hujusmodi simulacra non fuisse Romanis peregrina. Scimus alioqui membra diutino morbo vexata, si Deorum auxilio invocato pristinas vires & sanitatem recepissent, pingi & suspendi solita in fanis & sacellis; qua de re jocosum exstat Epigramma inter Priapeia:

Cur pictum memori sit in tabella
Membrum, quæritis, unde procreamur?
Cum penis mihi forte læsus esset,
Chirurgique manum miser timerem:
Diis me legitimis, nimisque magnis

Cu-

Elegia XI.

Ad bellum iturus militiam detestatur, & pacis otia laudat.

QUis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit; nos ad mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret! vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, & jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis & iidem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.

Neu

OBSERVATIONES.

Curatum dare mentulam verebar.
Huic, dixi, fer opem, Priape, parti &c.

At de tabellis votivis plerique scripserunt; quamobrem non est consilii nostri actum agere. satis fuerit, super hoc Tibulli versiculo quid sentiremus, aperuisse.

ELEG. XI. v. 11. *Tunc mihi vita foret!*] Subaudi *utinam*. *foret* autem dixit pro *fuisset* more poëtarum. Catullus c. 2.

Tecum ludere, sicut ipsa, possem!

v. 26.

Neu pudeat prisco vos esse è stipite factos;
  Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc meliùs tenuere fidem, cum paupere cultu
  Stabat in exiguâ ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
  Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
  Postque comes purum filia parva favum.
At nobis ærata, Lares, depellite tela;
  Hostia erit plenâ mystica porcus harâ.
Hanc purâ cum veste sequar, myrtoque canistra
  Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.
Sic placeam vobis. alius sit fortis in armis,
  Sternat & adversos Marte fremente duces.
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
  Miles, & in mensâ pingere castra mero.
QUIS furor est atram bellis accersere mortem?
  Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta: sed audax
  Cerberus, & Stygiæ navita puppis aquæ.
Illic perscissisque genis, ustoque capillo
  Errat ad obscuros pallida turba lacus.

Quàm

OBSERVATIONES.

V. 26. *mystica*] Quia Cereri sacra, cujus arcana religio, & silentio involuta fuit. Testatur tamen Achilles Statius in omnibus Codd. MSS. *rustica* liquidò exstare; quod magis placet.

V. 37. *ustoque capillo*] Omnes enim imagines mortuorum calvæ finguntur, comis igne rogi consumptis. Vide Lucianum in Dialogo Nirei, Diogenis, & Thersitis.

V. 54.

Quàm potiùs laudandus hic est, quem prole paratâ
  Occupat in parvâ pigra senecta casâ!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
  Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
  Temporis & prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat; Pax candida primùm
  Duxit araturos sub juga curva boves:
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
  Funderet ut gnato testa paterna merum:
Pace bidens, vomerque nitent: at tristia duri
  Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucoque vehit malè sobrius ipso
  Uxorem plaustro, progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
  Femina, perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas: sed victor & ipse
  Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixæ mala verba ministrat,
  Inter & iratum lentus utrumque sedet.
Ah lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
  Verberat; è cælo deripit ille Deos.

Sit

OBSERVATIONES.

v. 54. *perfractas conqueriturque fores*] Quas ætate, vinoque fervidus adolescens vectibus labefactavit. Horatius Ode 26. l. 3.

—— *hic hic ponite lucida*
Funalia, & vectes, & arcus
Oppositis FORIBUS minaces.

v. 65.

Sit ſatis è membris tenuem perſcindere veſtem:
Sit ſatis ornatus diſſolüiſſe comæ.
Sit lacrymas moviſse ſatis. quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella poteſt.
Sed manibus qui ſævus erit, ſcutũque ſudẽque
Is gerat, & miti ſit procul à Venere.
At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto,
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

AL-

OBSERVATIONES.

v. 65. *ſcutumque ſudemque Is gerat*] Si tantoperè ſæviendi cupidus eſt, militiæ durum opus exerceat. Venuſtè Propertius Eleg. 5. l. 4. *Nec tibi diſpliceat miles non factus amori.*



ELEG.



ALBII TIBULLI
EQUITIS ROMANI ELEGIARUM
LIBER II.

Elegia I.

* *Sacrum Ambarvale describit.*

QUisquis adest, faveat: fruges lustramus, & agros,

Ri-

OBSERVATIONES.

* Sacrum Ambarvale dictum est ab arvis ambiendis: rustici enim statis anni temporibus victimam circùm prædia sua ducebant; Deos agrorum præsides orantes, uti volentes propitii segetem, vineam, pecus, liberos, totamque familiam fortunarent: atque ita diem illam potu & cantu hilares transigebant. Vide Catonem de R. R. c. 141. Virgilium 1. Georg. At JOANNES ANTONIUS ASTORIUS J. C. Venetus (quo ego viro nihil elegantius, nihil humanius fieri posse arbitror: cui plurimùm debent ac semper debebunt studiosi antiquitatis ob insignem de Diis Cabiris editum libellum, in quo sic materiam obscurissimam dilucidavit, ut omnia eruditorum tulerit puncta) monuit me per epistolam, Petrum Marcellinum Corradinium Summi Pontificis Auditorem in libro, cui titulus: *Vetus Latium profanum, & sacrum*, lib. 1. cap. 19. pag. 261. dubitare, an revera Tibullus hac Elegiâ sacrum Ambarvale describat, cum in plerisque à Vir-

Virgilio dissentire videatur, & quædam addat, de quibus alter ille non loquitur. Cui dubitationi Astorius ipse calculum addit. Ego verò (pace dicam tantorum virorum) M. Antonium Muretum, Achillem Statium, Ludovicum de la Cerda, Fridericum Taubmannum, duos priores ad Tibullum, posteriores ad Virgilium, secutus, communem sententiam tueri malo. Licet enim poëta noster sacrum hoc pluribus fortasse describat, quàm Virgilius: non ideò præbet ansam dubitandi, an sacrum Ambarvale significare voluerit; cum præsertim cætera mirè conveniant. En tibi utriusque poëtæ collationem:

Virgilius.

Sacra refer Cereri ——

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.

Et Cererem clamore vocent in tecta -

Tibullus.

—— *spicis tempora cinge Ceres.*

dixerat autem præcedenti versiculo: *Bacche veni*, quòd scilicet agricolæ Bacchum & Cererem unà invocarent. Columella de cultu hortorum lib. 10. prope finem:

Et te Mænalium, te Bacchum, teque Lyæum,

Lenæumque patrem canimus sub tecta vocantes.

Quamvis non diffiteat, eo loco lætitiam Autumnalis temporis à Columellâ describi: cum sacrum Ambarvale vere fieri solitum esset.

Virgilius.

Tunc agni pingues ——

Tibullus.

Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras.

Pingues enim victimæ Diis cædebantur, & largissimis pabulis enutritæ.

Virgilius.

—— *& tunc mollissima vina.*

Tibullus.

Vina diem celebrent: non festa luce madere

Est rubor, errantes & malè ferre pedes

Virgilius.

Terque novas circùm felix eat hostia fruges.

Tibullus.

—— *fruges lustramus & agros.*

At quid est lustrare, nisi expiare circumeundo? Testis Virgilius citatus l. 6. Æneid. v. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda,

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ:

Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

Adde illud poëtæ nostri:

Vos mala de nostris pellite limitibus.

videlicet exterminate, propulsate à finibus agrorum, circùm quos victimam ducimus. At in re clarâ diutiùs morari piget. Siquis tamen dubitare malit, id magnis auctoribus faciet.

Ritus ut à prisco traditus exstat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis è cornibus uva
Pendeat: & spicis tempora cinge Ceres.
Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis; nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo: non audeat ulla

La-

OBSERVATIONES.

v. 2. *Ritus ut à prisco*] Hinc illæ querelæ Symmachi præfecti urbis, pro veteri Deorum cultu adversùs Christianos: *Jam si longa ætas auctoritatem religioni facit, servanda est tot sæculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus: Optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius RITUS adduxit. utar ceremoniis AVITIS, neque enim pænitet: vivam meo more, quia libera sum.* Cui scitè Prudentius respondet l. 1.

Ut semel obsedit gentilia pectora patrum
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus: tener horruit hæres,
Et coluit, quidquid sibimet venerabile cani
Monstrarant ATAVI. puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit ——

Sed Cicero propiùs ad rem nostram 2. de Legibus: *Eamdemque rationem luci habent in agris, neque ea, quæ à majoribus prodita est cum dominis, tum famulis posita in fundi, villæque conspectu religio patrum repudianda est. Jam RITUS familiæ, patrumque servari, id est, quoniam antiquitas proximè accedit ad Deos, à Diis quasi TRADITAM religionem tueri.*

v. 5. *Luce sacra requiescat humus*] Non omne opus diebus festis intermittere necesse habebant agricolæ, sed ea tantùm, quæ duriorem laborem afferebant, nam ut ait Cato c. 2. R. R. *Per ferias verò fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari cremarique, ex piscina immunditias afferri, munditias fieri* nulla religio vetuit. Ideò Tibullus *grave opus* dumtaxat *cessare* jubet.

V. 25

Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul jubeo (discedite ab aris)
Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus.
CASTA placent superis. purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post oleâ candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus areis
Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virgis exstruet arte casas.
Eventura precor. viden'ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi fumosum veteris proferte Falernum
Consulis, & Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent; non festâ luce madere
Est rubor, errantes & malè ferre pedes.

Sed

OBSERVATIONES.

v. 25. *viden'ut felicibus extis*] Catull. c. 60. *VIDEN'ut faces Aureas quatiunt comas?*

v. 28. *solvite vincla*]. Resignate cadum pice obstrictum; quod Terentio Heautont. Act. 3. sc. 1. est *relinere dolia*. Persius 4. Sat. v. 29. de sene parcissimo:

Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veteris metuens deradere limum,
Ingemis ——

Q v. 37

Sed bene-Messalā sua quisque ad pocula-dicat;
Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, aspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia cælitibus.
Rura cano, rurisque Deos: his vita magistris
Desuevit quernâ pellere glande famem.
Illi compositis primùm docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum:
Illi etiam tauros primìm docuisse feruntur
Servitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri: tunc consita pomus:
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas:
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
Mistaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu
De-

OBSERVATIONES.

v. 37. *vita*] Subaudi *humana*. Lucret. l. 1.

Humana ante oculos fœdè cum VITA jaceret
In terris oppressa gravi sub relligione.

Idem l. 2. Ellipsi Tibullianâ:

Omnis cum in tenebris præsertim VITA laboret.

v. 38. *Desuevit querna*] Antiqui mortales, ut nemo nescit, glandivori fuerunt, donec ad mitiorem cibum Triptolemo auctore revocarentur. Is tritici semine primus arva conspersit, & curru per aërem vectus, frumentariam plerosque populos docuit. Valer. Flaccus 1. Argonautic.

—— aut curru ut sævos frænasse dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flava QUERCUM damnavit arista.

v. 40.

Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primùm satiatus aratro,
Cantavit certo rustica verba pede:
Et satur arenti primùm est modulatus avenâ
Carmen, ut ornatos duceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
Pri-

OBSERVATIONES.

v. 40. *viridi fronde operire domum.*] Huc pertinent, quæ scribit Vitruvius Architect. l. 2. c. 1. de priscorum hominum ædificiis: *Primumque furcis erectis, & virgultis interpositis, luto parietes texerunt. Alii luteas glebas arefacientes struebant parietes, materia eos ingumentantes, vitandoque imbres & æstus, tegebant arundinibus, & FRONDE.*

v. 51. *satiatus*] Diuturni laboris tædio affectus. Cicero in Lælio: *Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, SATIETATES.*

v. 53. *satur*] Fami etenim & carmini non convenit. Lepidè Juven. 7. Sat. ubi de miseriis poëtarum: *SATUR est, cum dicit Horatius: ohe.*

Ibid. *modulatus*] Libentiùs legerem *meditatus*, ut esset simile illi Virgiliano:

Silvestrem tenui Musam meditaris
AVENA.

tum etiam propter ea, quæ sequuntur; *ut ornatos duceret ante Deos;* Debuit enim agricola secum ipse meditari, quæ postea in frequentiâ sacrorum ante aras Numinum canere oportebat. Catul. c. 61.

Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirant;
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.

v. 55. *minio suffusus*] Aut reapse purpureo colore infectus, aut fæcibus vini perunctus. Horat. A. P. v. 275.

Ignotum tragicæ genus invenisse Camænæ,
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Ibid. *Bacche.*] Non satis ex decoro dubitat Achilles Statius, ante hunc versiculum nonnulla deesse, quòd scilicet Bacchi improvisa mentio fiat. Quivis enim vel mediocriter eruditus intelligit à Tibullo hìc attingi principia Tragœdiæ, quæ humilia & agrestia fuerunt,

Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus à pleno memorabile munus ovili
  Dux pecoris hircus (duxerat hircus oves.)
Rure puer verno primùm de flore coronam
  Fecit, & antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
  Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & femineus labor est, hinc pensa, colusque,
  Fusus & apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assiduè textrix operata Minervâ,

Can-

OBSERVATIONES.

runt, ut omnia maximarum rerum rudimenta. Cum Icarius à Baccho vini usum edoctus, diligenter admodùm vitem coluisset, forte fortuna hircum invenit folia ejus tenerrima depascentem, quem arreptum statim jugulavit, Bacchique aris imposuit. Ad hoc sacrificium verò plurimos ex vicinis pagis convocavit, qui carminibus incomptis Dei ultionem celebrare cœperunt: mox poëtæ quotannis τραγῳδίαν, sive poëma de hirco certatim scribere perrexerunt, & qui victoriam sub arbitris adeptus esset, hirco donabatur. Lusibus deinde immista seria, & actor introductus, cujus esset herois alicujus gesta recensere, donec Thespis plaustro scenam circumferret, moxque gravior Æschylus personam, syrma, cothurnos, pulpita, cæteraque ornamenta, quibus Tragœdia nitet, reperiret. Vide Bulengerum de Theatro l. 1. c. 1.

v. 56. *inexperta duxit ab arte choros*] Supra Eleg. 8. lib. 1.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.

v. 58. *duxerat hircus oves*] Rectè Scaliger emendavit è corruptâ lectione *auxerat*. Porrò hac parenthesi venustè usus est Ovidius Eleg. 5. l. 3. Amor.

Utque procul vidit carpentes pabula tauros;
(Carpebant tauri pabula læta procul)

v. 62. *lucida*] Pinguis, & nitida: Martialis l. 13. Epig. 2.

Cerea quæ patulo LUCET ficedula lumbo.

v. 84.

Cantat, & appulso tela sonat latere.
Ipse quoque inter agros, interque armẽta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primùm se exercuit arcu,
Hei mihi, quàm doctas nũc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse puellas
Gestit, & audaces perdomuisse viros.
Hic juveni detraxit opes: hic dicere jussit
Limen ad iratæ verba pudenda senem.
Hoc duce custodes furtim transgressa jacentes
Ad juvenem tenebris sola puella venit:
Et pedibus prætentat iter suspensa timore,
Explorat cæcas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic graviter Deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor!
Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet:
Aut etiam sibi quisque palam, nã turba jocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curva sono.
Ludite, jam nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro.

Post-

OBSERVATIONES.

V. 84. *clam sibi quisque vocet*] Vide quæ observavimus ad Catull. c. 63. v. 104.

Postque venit tacitus furvis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

ELEGIA II.

Cerinthi natalem celebrat.

Dicamus bona verba, venit natalis: ad aras
Quisquis ades linguâ vir mulierque fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Annuat & Cerinthe tibi quodcumque rogabis.
En age, quid cessas? annuit ille, roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores,
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos:
Nec tibi malueris totum quæcumque per orbem

For-

OBSERVATIONES.

ELEG. II. v. 3. *urantur odores*] Aromata odorata, puta cinnamomum, costus, casia, bdellium, stacte, & hujusmodi suffimenta. Cicero Tuscul. 3. *Fasciculum ad nares admovebis? incendes ODORES?* Tacitus Annalium 3. initio: *ODORES, aliaque funerum solemnia cremabant.*

v. 4. *tener*] Luxu perditus, ob deliciarum nativam affluentiam. Catul. c. 62.

TENERUMQUE vidis Atyn propter marmora pelagi.

v. 9. *Annuat*] Concedat cervicis inflexione. Ita & Valer. Flaccus 1. Argonaut.

Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis.

ANNUE ——

Fortis arat valido rusticus arva bove :
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus undis
Nascitur, Eoi quà maris unda rubet.
Vota cadunt: utinam strepitantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor :
Vincula quæ maneat semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Huc veniat natalis avis, prolemque ministret ;
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 17. *Vota cadunt*] Malè quidam interpretantur : *desideria tua frustrantur Numina, ô Cerinthe* ; quid enim paulò ante dicere attinebat : *annuit ille, roga*? Satin' sanus Tibullus esset? *Cadere* hìc est *evenire, accidere*. Tullius 1. Epistolarum ad Q. Fratrem : *sed certè à te mihi omnia semper honesta, & jucunda CECIDERUNT*. Idemque 2. de Legibus mirificè ad rem nostram : *Jam verò permultorum exemplorum & nostra plena est Respublica, & omnia regna, omnesque populi, cunctaque gentes, augurum prædictis multa incredibiliter vera CECIDISSE*.

v. 18. *Flavaque conjugio vincula*] Ceston cingulum Veneris luteo colore, qui color nuptiis dicatus. Juven. 6. Sat. Ursidium à matrimonio deterrens, *capistrum* hujusmodi vincula fortasse appellavit :

—— si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigat ora capistro.

v. 21. *natalis avis*] Hic fœdè lapsum Achillem Statium licet animadvertere, si quidem τὸ *avis* dictum existimat de majoribus Cerinthi, casu tertio, vel sexto numeri multitudinis. Rectè Scaliger intelligit volucrem boni ominis, puta cornicem symbolum conjugalis concordiæ. Addo ego ex meâ penu, veteres observare solitos fuisse in partu, quæ aves volitarent, seu garrirent, indè recenter natis felicia, seu tristia prædicentes. Ovidius in Ibin :

Qui simul impura matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum :
Sedit in adverso nocturnus culmine bubo ;
Funereoque graves edidit ore sonos.

ELEGIA III.

Amicam rusticari malè fert, seque Apollinis exemplo agreste opus facturum dicit.

Rura tenent, Cornute, meam villæque puellam.
Ferreus est eheu quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus lætos jam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego cum dominam aspicerem, quàm fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum!
Agricolæque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves:

Nec

OBSERVATIONES.

Cum verò paulò ante Amoris facta mentio sit, quem Tibullus optat strepitantibus alis huc advenire, & flava conjugio vincula portare; haud procul absum ab ea opinione, ut existimem ipsum Cupidinem vocari *natalem avem*, quòd videlicet nascente Cerintho, & Cerinthi uxore, felix utrique omen sternuerit, ut loquitur Propertius Eleg. 2. l. 2.

Num tibi NASCENTI primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omen Amor?

Sanè Bion Smyrnæus elegantissimus poëta, in Bucolicis Amorem avem appellat. En tibi versus:

Ἰξευτὰς ἔτι κῶρος ἐν ἄλσεϊ δενδράεντι,
ΟΡΝΕΑ θηρεύων, τὸν ἀπότροπον εἶδεν ΕΡΩΤΑ
Ἐσδόμενον πύξοιο ποτὶ κλάδον, ὡς δ' ἐνόησε
Χαίρων, ὥνεκα δὴ μέγ' ἐφαίνετο ΟΡΝΕΟΝ αὐτῷ, &c.

Adolescens olim anceps in nemore arboribus denso
Dum venatur AVES fugitivum vidit AMOREM.
Buxi ramo insidentem. Ut igitur animadvertit,
Gaudens (quoniam AVIS ei permagna videbatur) &c.

Omitto reliqua, sunt enim plura. Nostræ sententiæ adstipulatur,

quod

Nec quererer, quòd sol graciles exureret artus,
Læderet aut teneras pustula rupta manus.
Pavit & Admeti tauros formosus Apollo,
Nec cithara, intonsæ profueruntve comæ:
Nec potuit curas sanare salubribus herbis;
Quidquid erat medicæ vicerat artis Amor.

Tunc

OBSERVATIONES.

quod statim sequitur in hoc Tibulli versiculo: *prolemque ministret;* cujus autem est, nisi Amoris, *ministrare prolem?*

ELEG. III. v. 8. *steriles*] Testiculis demessis; vel, si feminæ, vulvâ extractâ. Catul. c. 62.

Ego Menas, ego mei pars, ego vir
STERILIS ero?

v. 10. *pustula rupta*] Ut accidit iis, qui teneriori sunt cute, atque operæ faciundo nondum occalluerunt. Martialis l. 14. Epig. 165.

Fervida ne trito tibi pollice PUSTULA surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Cornelius Celsus Medicinæ l. 5. c. 28. § 15. *PUSTULÆ*, inquit, *lividæ sunt, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato: subestque illis humor. Ubi hæ RUPTÆ sunt, infra quasi exulcerata caro apparet.*

v. 11. *Pavit & Admeti*] Virgilius Eclogâ 10.

It FORMOSUS oves ad flumina PAVIT Adonis.

v. 14. *Quidquid erat medicæ*] Apollo ipse apud Ovidium 1. Metamorph. sic Daphnen fugientem alloquitur:

Inventum MEDICINA meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis:
Hei mihi, quòd nullis AMOR est MEDICABILIS herbis,
Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus artes.

* Crassâ literarũ inscitiâ regnum tenente, barbari homines quatuor impurissimos versus commenti sunt, quibus mundam Tibulli supellectilem fœdè conspurcarent; credo, quòd arbitrarentur sententiam haud satis absolutam esse. Scaliger emunctæ naris homo silicem istam primus eruncavit, cujus felicem audaciam necesse habent probare, quicumque tandem in studiis humanioribus aliquid sentire videri volunt. Nihilominùs, ut curiosis morem geram, hìc eos proferam: qui fascinum timent, despuant sibi in sinum.

Esse

Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quoties ausæ, caneret dum valle sub altâ,
Rumpere mugitu carmina docta boves!
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit & à templis irrita turba domum:
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatúque caput, crinesque solutos
Aspiceret, Phœbi quæreret ille comam.

De-

OBSERVATIONES.

Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus:
Et miscere novo docuisse coagula lacte,
Lacteus & mistis obriguisse liquor.

V. 15. *detexta est vimine junci*] Virgilius Eclog. 2.

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
VIMINIBUS, mollique paras DETEXERE JUNCO?

Detexere Latinis est *perfectè texere*. Titinnius Fullonibus: *Quæ inter decem annos nequisti unam togam* DETEXERE.

V. 17. *vitulum gestante per agros*] Id quoque pastoritium est. Supra Eleg. 1. l. 1.

Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellæ
Desertum oblita matre referre domum.

V. 22. *irrita turba*] *Inconsulti abeunt*; ut ait Maro. Æneidos 3. v. 452.

V. 26. *quæreret*] Desideraret dicens, ubi nunc honor comarum? Phavorinus apud Stobæum serm. 64. veram pulchritudinem laudans, ita scribit: Ἔτι ϗ νῦν Σωκράτης καλός. Ἀλκιβιάδην δὲ ϗ ζῶντα ἀπολελοίπασι τὸ κάλλος, ϗ πολλοὶ κατὰ τὴν ἀκμὴν ἀφηγμένοι, ἔνιοι δὲ ϗ τῶν τεθεαμένων αὐτὸν ϗ νῦν ὁρῶντες ΕΖΗΤΟΥΝ τὸν Ἀλκιβιάδην.

So-

Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho?
Nempe Amor in parvâ te jubet esse casâ.
Felices olim, Veneri cum fertur apertè
Servire æternos non puduisse Deos.
Fabula nunc ille est: sed cui sua cara puella est,
Fabula sit, mavult, quàm sine amore, Deus.
At tibi dura seges, Nemesim quæ abducis ab urbe,
Persolvat nullâ semina terra fide.
Et tu, Bacche tener, jucundæ consitor uvæ,
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impunè licet formosas tristibus agris
Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.
O valeant fruges: ne sint modò rure puellæ.
Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, & passim semper amarunt.

Quid

OBSERVATIONES.

Socrates etiamnum pulcher est: Alcibiadem verò viventem adhuc sua destituit pulchritudo: & multi, qui post pubertatem eum accesserunt, quorum nonnulli eum antea viderant, nunc etiam intuentes, Alcibiadem QUÆREBANT.

V. 31. *Fabula nunc ille est*] Nunc Apollo per ora hominum traducitur. Horat. Epod. 11. *Heu me, per urbem (nam pudet tanti mali) FABULA quanta* FUI! Ovidius Amorum 3. Eleg. 1.

FABULA, nec sentis, tota jactaris in urbe.

V. 32. *sine amore*] Absque amicâ. Exempla dabit noster Index.

V. 39. *valeant fruges*] Nil moror proventus agrorum. Propert Eleg. 4. l. 4.

ET VALEAT probro Vesta pudenda meo.

V. 41. *passim*] Sine delectu in quodcumque incidissent, eo fruentes.

ELEG.

Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tum, quibus aspirabat Amor, præbebat apertè
Mitis in umbrosâ gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura volentes
Janua. si fas est, mos precor ille redi.
Ducite: ad imperium dominæ sulcabimus agros.
Non ego me vinclis verberibusque nego.

ELEGIA IV.

Avaritiam puellarum damnat, quæ contemptis poëtis, divites tantùm reciperent.

HIc mihi servitium video, dominamque paratam:
Jam mihi libertas illa paterna vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
Et numquam misero vincla remittit Amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.
Uror, io remove sæva puella faces.
O ego, ne possim tales sentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis:
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc

OBSERVATIONES.

ELEG. IV. v. 2. *mihi*] Ita Ovidius Tristium 1. Eleg. 3.
Iste salutati tempus in omne MIHI.

Ibid. *libertas illa paterna*] Significat se ingenuum esse, nec libertatem adeptum ope manumissionis.

v. 10. *Naufraga*] Quasi navifraga.

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est,
Omnia nam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo;
Illa cavâ pretium flagitat usque manu.
Ite procul Musæ, si non prodestis amanti.
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo.
Nec refero solisque vias, & qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrat equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro:
Ite procul Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem,& facinus sunt dona paranda,
Ne jaceam clausam flebilis ante domum.
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis;
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet,dominamque rapacē
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat quicumque legit viridesque smaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem!

Hic

OBSERVATIONES.

fraga. Horatius Ode 16. l. 1.
—— *non acuta*
Sic geminant Corybantes æra;
Tristes ut iræ: quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare NAU-FRAGUM.
Valer. Flaccus Argonautic. l. 1.
Has nimbi, ventique domos, & NAUFRAGA servat
Tempestas ——
v. 28. *ovem*] Id est lanam; quemadmodùm Virgilius in calce 6. Æneidos usurpavit *elephantum* pro ebore:
Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.

v. 29.

Hic dat avaritiæ caufas, & Coa puellis
  Veftis, & è rubro lucida concha mari.
Hæc fecere malas: hinc clavim janua fenfit,
  Et cœpit cuftos liminis effe canis.
Sed pretium fi grande feras, cuftodia victa eft,
  Nec prohibent claves, & canis ipfe tacet.
Heu quicumque dedit formam cæleftis avaræ,
  Quale bonum multis attulit ipfe malis!
Hinc fletus, rixæque fonant, hæc denique caufa
  Fecit, ut infamis hic Deus effet Amor.
At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,

Eri-

OBSERVATIONES.

v. 29. *Hic dat avaritiæ cauffas*] Vide Propertium Eleg. 11. l. 3. ubi hoc argumentum venuftiffimè tractat.

v. 34. *Et canis ipfe tacet*] Quia & ipfe parafitum agit. Lena Plautina Afin. Act. 1. fc. 5. graphicè novi amatoris mores defcribens, hæc ait:

— ubi de pleno promitur,
Neque ille fcit quid det, quid damni faciat, illi rei ftudet.
Volt placere fe fe amicæ, volt mihi; volt pedifsequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis: & quoque CATULO meo
Subblanditur novus amator, fe ut cum videat, gaudeat.

Cæterùm hunc locum Tibulli videtur imitatus ANDREAS MARANUS Nob. Vicentinus, eruditiffimus vir, in Eleg. quæ incipit *Credimus? an colores &c.* Audi verfus, & aureos judicabis:

Optamus ferò quæ oblata remifsimus ultro.
Utere; felici dum licet effe tibi
Mox fubeunt cafus fubeuntque pericula mille:
Advigilat cuftos, advigilatque CANIS.
Mutantur CLAVES, firmo fub cardine ftridet
Janua; non tenui vertitur illa fono.
Dum pretio capitur cuftos, & dum unguine poftes,
Dum cæna, aut alia fallitur arte CANIS;
Interea obrepunt morbi, vel decolor ætas:
Blanditias nec fas dicere nec facere.

v. 40.

Eripiant partas ventus & ignis opes.
Quin tua tunc juvenes ſpectent incendia læti,
Nec quiſquam flammæ ſedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors, neque erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mœſtas munus in exequias.
At bona, quæ nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores,
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.
Et bene, diſcedens dicet, placideque quieſcas,
Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis.
Vera quidem moneo, ſed proſunt quid mihi vera?
Illius eſt nobis lege colendus Amor.
Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas,
Ite ſub imperium, ſub titulumque lares.
Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Theſſala terra gerit:
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ ſtillat ab inguine equæ:
Si modò me placido videat Nemeſis mea vultu:
Mille alias herbas miſceat illa, bibam.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 40. *ventus & ignis*] Bene conjunxit, ventus enim alit incendia.

v. 42. *addat aquam*] Supra Eleg. 2. l. 1. *ADDE merum*.

ELEG.

ELEGIA V.

Messalino in Collegium Quindecimvirorum cooptato; quorum cura erat Sibyllinos versus interpretari: oracula Sibyllarum laudat, Phœbique opem implorat.

PHœbe fave: novus ingreditur tua templa sacerdos,
Huc age cum citharâ, carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni;
Sed nitidus, pulcherque veni: nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant Saturno rege fugato,
Victori laudes concinuisse Jovi.
Tu procul eventura vides: tibi deditus augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis;
Tuque regis sortes, per te præsentit aruspex,
Lubrica signavit cum Deus exta notis.
Te duce Romanos nūquā frustrata Sibylla est,
Ab-

OBSERVATIONES.

ELEG. V. v. 7. *nunc indue vestem Sepositam*] Theatrale syrma, quo citharœdi prodibant in publicum. Cornificius ad Herennium l. 4. *Ut citharœdus cum prodierit optimè vestitus, palla inaurata indutus, cum corona aurea, citharam tenens auro & ebore distinctam, ipse præterea statu sit apposito ad dignitatem &c.*

v. 16.

Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.
Phœbe ſacras Meſſalinum ſine tangere chartas
Vatis: & ipſe precor, quod canat illa, doce.
Hæc dedit Æneæ ſortes, poſtquam ille parentem
Dicitur, & raptos ſuſtinuiſſe Lares.
Hæc fore credebat Romam, cum mœſtus ab alto
Ilion, ardentes reſpiceretque Deos.
Romulus æternæ nondum formaverat Urbis
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.
Sed tunc paſcebant herboſa Palatia vaccæ,
Et ſtabant humiles in Jovis arce caſæ.
Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis umbræ,
Et facta agreſti lignea falce Pales;
Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Garrula ſilveſtri fiſtula ſacra Deo:
Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo,
Nam calamus cerâ jungitur uſque minor.
At quà Velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulsâ per vada linter aquâ.
Illâ ſæpe gregis diti placitura magiſtro
Ad juvenem feſtâ eſt vecta puella die;
Cum quâ fecundi redierunt munera ruris
Caſeus, & niveæ candidus agnus ovis.

Im-

OBSERVATIONES.

v. 36. *feſta die*] Palilibus, quæ agebantur XI. Kalendas Majas, tunc enim pecora maximè fecunda.

v. 38. *agnus ovis*] Eadem ratione dictum invenies apud auctores: *pulli equarum, catuli tigridum, ſcymni leonum, hinnuli cervorum* &c. Vulgatus Bibliorum interpres

R Pſalm.

Impiger Ænea volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes assignat Jupiter agros,
Jam vocat errantes hospita terra Deos.
Troja quidem tunc se mirabitur, & sibi dicet
Vos bene tam longâ consuluisse viâ.
Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda Deum cælo miserit indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes:
Tandem ad Trojanos Diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris;
Jam tibi prædico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrũ, murusque Lavinî est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos:
Concubitusque tuos furtim, vittasque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.
Carpite nunc tauri de septem montibus herbas,
Dum licet: hìc magnæ jam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,

Quà

OBSERVATIONES.

Psalm. 113. *Montes exsultaverunt ut arietes: & colles sicut* AGNI OVIUM.

v. 46. *Deum cælo miseris indigetem*] Ἀνθρωποδαίμονα, id est ex homine Deum. Dicti sunt autem indigenæ, sive indigetes, Heroes, quos jactu lapidum reparavit Deucalion; unde consuetudo invaluit indigetes eos appellari, qui mortali semine oriundi, ob ingentia facta cælorum in templa recepti fuerant.

v. 62.

Quà sua de cælo prospicit arva Ceres:
Quàque patent ortus, & quà fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Vera cano: sic usque sacras innoxia lauros
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.
Hæc cecinit vates, & te sibi, Phœbe, vocavit,
Jactavit fusâ sed caput ante comâ.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit:
Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes:
Por-

OBSERVATIONES.

v.62. *amnis*] Oceani undæ. Infra Eleg. 4. l. 3.

Jam nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat AMNE rotas.

v.63. *lauros vescar*] Qui laurum comedissent paulò frequentius, eos ad perfectam vaticinandi scientiam ope Phœbi perventuros, credula & vana existimavit antiquitas. Huc animum adhibuit Juvenalis 7. Sat. v. 17.

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, LAURUMQUE momordit.

Et faciunt verba Commodi apud Xiphilinum de se ipso: δάφνης φύλλα ἃ ἐκ τοῦ στεφάνου εἶχον αὐτὸς ἀπέφαγον. *Edi LAURI folia, quæ eram coronatus.*

v.67. *Quidquid Amalthea*] Hæc videntur cum superioribus continuanda, iis nimirùm:

Phœbe sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis; & ipse precor, quod canat illa, doce.

Interseruit enim longam Sibyllæ Cumææ prædictionem; nunc transit ad reliquas laudandas, veluti Apollinem ita roget: Non tantùm, ô Phœbe, à te doceri cupio Messalinum, quid cecinerit Cumana sacerdos, at etiam quid Amalthea, quid Marpessia, quid Albuna. Profectò antequàm hoc animadverterem, aqua mihi hærebat, locumque obscurissimum judicabam: de quâ tamen difficultate docti viri ne verbum quidem.

v. 69. *Quasque Albuna*] Sic excudendum curavi sententiâ postu-

Portarit, ficco perlueritque finu.
Hæ fore dixerunt belli, mala figna cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt ftrepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuiffe fugam.
Ipfum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos:
Et fimulacra Deûm lacrymas fudiffe tepentes,
Fataque vocales præmonuiffe boves.
Hæc fuerunt olim; fed tu jam mitis Apollo
Prodigia indomitis merge fub æquoribus;
Ut fuccenfa facris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix, & facer annus eat.

At

OBSERVATIONES.

lante. Inepti funt, qui vulgatam lectionem tuentur *Quodque*. Ipfi non explicaverint, quæ aliis audacter propinant.

v. 71. *Hæ fore dixerunt*] Supra de Sibyllâ Cumæâ: *HÆC dedit Æneæ fortes*.

v. 74. *lucos præcinuiffe fugam*] Deos lucorum ingenti voce minatos difceffum. Mirum eft, quod narrat Cornel. Tacitus l. 5. Hiftor. *Expaffæ repentè delubri fores, & audita major humana vox: excedere Deos. Simul ingens motus excedentium*. Titus Livius pariter l. 5. ubi de Vejorum excidio: *Deinde cum quidam feu fpiritu divino tactus, feu juvenili joco, vifne Romam ire Juno? annuiffe cæteri Deam conclamaverunt: inde fabulæ adjectum eft, vocem quoque dicentis, Velle, audītam*. Confule interpretes ad illud Maronis Æneidos 2.

Exceffere omnes, adytis arifque relictis,
Dii, quibus imperium hoc fteterat —

v. 79. *Hæc fuerunt olim*] Catull. c. 4. *Sed* HÆC *priùs* FUERE.

v. 80. *Prodigia indomitis*] Infra carm. 4. l. 4.

Et quodcumque mali eft, & quidquid trifte timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Hunc ritum expiandi portenta probè

tA laurus bona signa dedit: gaudete coloni;
Distendet spicis horrea plena Ceres:
Oblitus & musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum, magni deficiuntque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet, à stabulis tunc procul este lupi:
Ille levis stipulæ solennes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras.
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata Deo pubes discumbet in herbâ,
Arboris antiquæ quà levis umbra cadet.
Aut è veste suâ tendent umbracula sertis
Vincta; coronatus stabit & ipse calix.
At sibi quisque dapes, & festas exstruet altè
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hìc potus juvenis maledicta puellæ,
Postmodò quæ votis irrita facta velit;
Nam ferus ille suæ, plorabit sobrius idem,

Et

OBSERVATIONES.

bè noverat P. Claudius, qui, ut auctor est Valer. Maximus l. 1. c. 4. *bello Punico primo, cum prælium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, & pullarius non exire cavea pullos nuntiasset; abjici eos in mare jussit, dicens: Quia esse nolunt, bibant.*

V. 86. *Dolia dum*] Si quidem tanta erit ubertas vindemiæ, ut musto capiendo suffectura vasa non sint.

Et se jurabit mente fuisse malâ.
Pace tuâ pereant arcus, pereantque sagittæ,
Phœbe, modò in terris erret inermis Amor.
Ars bona, sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Hei mihi, quàm multis ars dedit illa malum!
Et mihi præcipuè, jaceo cum saucius annum.
Et faveo morbo, cum juvat ipse dolor;
Vixq; cano Nemesim, sine quâ versus mihi nullus
Verba potest, justos aut reperire pedes.
Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
Si licet, extinctas aspiciamque faces.
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
Cogis, & insanâ mente nefanda loqui.
At tu, nam *Divum servat tutela poëtas*,
Præmoneo, vati parce, puella, sacro:
Ut Messalinum celebrem, cum præmia belli
Ante suos currus oppida victa feret.
Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti,
Miles *io* magnâ voce *triumphe* canam.
Tunc Messala meus pia det spectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.
Annue, sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli,
Sic tua perpetuò sit tibi casta soror.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 123. *pia det spectacula turbæ*] Ob filii triumphum exhibeat munus gladiatorium, vel Amphitheatri venationem, vel certamen equorum in Circo, ad favorem vulgi captandū: Plebs enim Romana mirificè hujusmodi spectaculis detinebatur.

v. 126. *sit tibi casta soror*] Hoc ait,

ELEGIA VI.

Revocat Macrum militatum abeuntem, prædæ cupidinem improbans, & amantium quamdam esse militiam docens.

CAstra Macer sequitur, tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat:
Et, seu longa virum terræ via, seu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ille volet.
Ure puer quæso, tua qui ferus otia liquit,

At-

OBSERVATIONES.

aït, puto, quòd Orion, unus ex Gigantibus, olim Dianæ vim inferre tentasset, sed nullo successu. Horat. Ode 4. l. 3.

Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus sagitta.

ELEG. VI. v. 1. *tenero quid fiet Amori?*] Ita Ovidius Artis Amatoriæ l. 1. v. 538.

Perfidus ille abiit, QUID mihi FIET? ait.

v. 2. *collo fortiter arma gerat*] Baltheum scilicet militarem, qui è collo per dextrum humerum ad latus oppositum decurrens, ensem dependentem sustinebat, vel pharetram cum sagittis. Virgilius Æneidos 12. *infelix humero cum apparuit alto Baltheus.* Nos Itali dicimus: *portare il pendaglio à ARMACOLLO*, quæ phrasis vernacula maximè Tibullum illustrat.

v. 3. *Et seu longa*] Cave auscultes Josepho Scaligero, qui nodum in scirpo quærens, elegantissimos versus miserè corrupit. Omnia plana sunt, & clara, modò rectè accipiantur: non enim caculam, vel armigerum Macrum ipsum futurum ait poëta noster, quod contendit bonus Scaliger, sed magis Cupidinem, utpote puerulum telis gerendis aptissimum. Confirmo ex Valerio Flacco 1. Argonauticon v. 107.

Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facilesque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas: velit ille quidem

sed

Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quòd si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, levem galeâ qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ;
Et mihi sunt vires, & mihi facta tuba est.
Magna loquor, sed magnificè mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Juravi quoties rediturum ad limina numquam!
Cum bene juravi, pes tamen ipse redit.
At tu quisquis is es, cui tristi fronte Cupîdo
Im-

OBSERVATIONES.

sed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax ——

v. 6. *Erronem sub tua signa voca*] Hunc versum habuit in animo Torquatus Tassus, meo judicio poëtarum Italorum facilè princeps, cum ita cecinit (C. 1. st. 1.)

—— *E SOTTO a i santi*
SEGNI ridusse i suoi compagni ERRANTI.

v. 7. *erit hic quoque miles*] τὸ *hic* pronunciandum est δεικτικῶς, loquitur enim Tibullus de se ipso, ut ego primus omnium observo. Euryalus apud Maronem Æneidos 9.

Est HIC, est animus lucis contemptor & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

Sententia est; O Cupîdo, si rescieris bellatores commodiùs à te haberi, ego quoque militiæ sacramento me adstringere non cunctabor.

v. 14. *pes tamen ipse redit*] Hæc locutio sapit adagium, & bonis auctoribus frequenter usurpatur. Virgilius Eclog. 9.

Quo te, Mari, PEDES? an, quò via ducit, in urbem?

Horatius Epod. 11.

Ferebar incerta PEDE
Ad non amicos, heu, mihi postes &c.

Idem Ode 11, l. 3.

I, PEDES quò te rapiunt ——

Plinius Epistolâ 5. l. 7. ad uxorem: *Quibus horis te visere solebam, ad diætam tuam IPSI me, ut verissimè dicitur, PEDES ducunt.* Nec abstinuerunt Græci. Theocritus apud Stobæum serm. 61.

O

Imperitat, nostrâ sint tua castra domo.
Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant;
Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis;
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorque venit.
Præda vago jussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere campos;
Ut multa innumerâ jugera pascat ove.
Cui lapis externus curæ est, urbisque tumultus,
Portatur validis mille columna jugis:
Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ,
Fictaque Cumanâ lubrica terra rotâ.
Eheu divitibus video gaudere puellas.
Jam veniant prædæ, si Venus optat opes:
Ut mea luxuriâ Nemesis fluat: utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.

Illa

OBSERVATIONES.

— Ο δ' ἄ ΠΌΔΕΣ ἌΓΟΝ ἐχώρει μαινόμενος —
Ille autem, quò PEDES ferebant procedens
Insaniebat.

v. 16. *nostra sint tua castra domo*] Simus in eodem contubernio, uno sub Imperatore Cupidine stipendia faciamus.

v. 29. *At tibi læta trahant*] Personatus quidam locuples penes Cornificium l. 4. Rhetoric. *Ædes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos SAMIIS delectabimur.*

v. 42.

Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor: regnum ipse tenet, quē sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

ELEGIA VII.

Ait se modicâ spe sustentari: deindè Nemesim ad se vertere variis rationibus tentat.

FInirent multi leto mala: *CREDULA vitam*
Spes fovet, & meliùs cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam validâ solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes facilē Nemesim spondet mihi, sed negat illa:
Hei.

OBSERVATIONES.

v. 42. ***Barbara gypsatos***] Mancipiis in catastâ prostantibus pedes gypso, vel cretâ illinebantur. Ovidius Amorum 1. Eleg. 8.

Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus.
Despice GYPSATI crimen inane PEDIS.

ELEG.

Hei mihi, ne vincas dura puella Deam.
Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis:
Sic bene sub tenerâ parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro,
Et madefacta meis serta feram lacrymis.
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,

Et

OBSERVATIONES.

EL. VII. v. 15. *supplexque sedebo*] Graviter dolentes, veteri consuetudine ferè sedebant. Id liquidum è sacris, & profanis auctoribus. David Psalm. 126. *Surgite, postquàm* SEDERITIS, *qui manducatis panem doloris*. Isaias cap. 47. *Descende*, SEDE *in pulvere, virgo filia Babylon*, SEDE *in terra, non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera*. Jeremias Threnis cap. 1. *Quomodò* SEDET *sola civitas plena populo; facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo*. Ezechiel cap. 8. *Et ecce mulieres* SEDEBANT *plangentes Adonidem*. Jonas cap. 3. *Et pervenit verbum ad regem Ninive, & surrexit à solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, &* SEDIT *in cinere*. cum sexcentis aliis toto Bibliorum volumine. Jam Ethnicos aliquot proferamus. T. Livius 1. libro prope finem: *Lucretiam* SEDENTEM *mæstam in cubiculo inveniunt. adventu suorum lacrymæ obortæ*. Virgilius l. 9. de Turno avi manibus parentante: *sacrata valle* SEDEBAT. & l. 11. *totamque videmus* CONSEDISSE *urbem luctu*. Quin etiam divinus poëta sessionem tribuit aviculis plorantibus, ut 4. Georg. philomelæ: *Flet noctem, ramoque* SEDENS *miserabile carmen Integrat*. & buboni funestæ volucri 12. Æneidos: *Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis Nocte* SEDENS *serum canit importuna per umbras*. Propertius Eleg. 15. l. 1.

Multos illa dies incomptis mæsta capillis
SEDERAT, *injusto multa locuta salo*.

Ovidius Epist. Ariadnæ:

Aut mare prospiciens in saxo frigida SEDI,
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

Petronius cap. 17. Sat. SEDENSQUE *super torum meum, diu flevit*. At cesso ab exemplis, ne otio lectoris abuti videar.

Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem:
Illius ut verbis sis mihi lenta veto.
Ne tibi neglecti mittant mala somnia manes,
Mœstaque sopitæ stet soror ante torum,
Qualis ab excelsâ præceps delapsa fenestrâ
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominæ luctus renoventur acerbi;
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrymis oculos digna est fœdare loquaces.
Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu.
Sæpe, ego cum dominæ dulces à limine diro
Agnosco voces, hæc negat esse domi.
Sæpe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat, aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis:
Tunc

OBSERVATIONES.

v.18. *Illius ut verbis*] Syntaxis ita ordinanda: *Veto ut sis mihi lenta, verbis illius*, idest jussu tuæ sororculæ. Cicero ad familiares l.9. Epist.6. *Caninius noster me TUIS VERBIS admonuit, ut scriberem ad te.*

v.26. *Lena nocet nobis*] Conquestio similis Argyrippi adolescentis apud Plautum Asin. Act. 1. sc. 2. *Nam isti quod succenseam ipsi* (puellæ nimirùm) *nihil est: nihil quidquam meret. Tuo facit jussu, tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es.*

v.34. *quot teneatve modis*] Nequitiæ plena consideratio. Sumpsit Ovidius Amor. 2. Eleg. 8.

Quo-

Tunc tibi, lena, precor diras. satis anxia vivas,
Moverit è votis pars quotacumque Deos.

AL-

OBSERVATIONES.

Quoque loco tecum fuerim, quoties-que, Cypassi,
Narrabo dominae, QUOT QUE, quibusque MODIS.

v. 35. *precor diras*] Horatius Epod. 5. ex ore pueri veneficio pereuntis:

DIRIS agam vos. DIRA detestatio
Nulla expiatur victima.



ELEG.



ALBII TIBULLI

EQUITIS ROMANI ELEGIARUM

LIBER III.

ELEGIA I.

Festis Matronalibus Musas rogat, ut ad Nearam perferant librum suum.

MArtis Romani festæ venere Calendæ;
Exoriens nostris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certâ discurrunt undique pompâ
Perque vias urbis munera, perque domos.
Di-

OBSERVATIONES.

ELEG. I. v. 2. *Exoriens nostris*] Principiò Romulus annum constituit mensium decem, quorum primum de parentis nomine *Martium* appellavit: indè factum, ut post Junium cæteri deinceps à numero vocarentur, nempe Quinctilis, Sextilis, September, October, November, December. Quòd si Januarium reliquis omnibus præponas, id poscente novâ consuetudine, ratio numerorum haud amplius constabit: etenim Quinctilis ordine Septimus fiet, Sextilis Octavus, &c.

v. 3. *certa pompa*] Itali dicerent: *in processione*.

v. 6.

Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen.
CARMINE formosæ, pretio capiuntur avaræ.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex & canas tondeat ante comas:
Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet ut nomen littera pacta meum:
Atque inter geminas pingantur cornua frontes,
Sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per vos auctores hujus mihi carminis oro,
Castaliamque umbram, Pieriosque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum
Sicut erit: nullus defluat indè color.

Illa

OBSERVATIONES.

v.6. *seu fallor, cara Neæra tamen*] Infra Eleg. 6. hujus libri:

Perfida, sed quamvis perfida, CARA TAMEN.

v.9. *Lutea sed niveum*] Veteres interiore tantùm libri parte scribebant, quæ candida erat, ut litteræ succo loliginis exaratæ magis apparerent: extrinsecùs verò membranam colore luteo, vel purpureo inficiebant. Quamobrem indignatur Juvenalis Orestem cujusdam tragici poëtæ marginibus contineri non posse, atque in tergum chartæ damnosâ loquacitate redundare.

v. 10. *tondeat ante comas*] Abradat pilos exstantes, læviget libellũ.

v. 12. *littera pacta*] Infixa. Sic Virgilius Epigrammate quodam ad Venerem:

Non ego thure modò, aut PACTA tua templa tabella
Ornabo ——

Nec aliter accipiendum reor illud Propertii Eleg. 18. lib. 3.

Ergo qui PACTAS in fœdera ruperit aras.

v. 18. *Sicut erit*] Non explicitum, sed obstrigillis clausum, & sigillo munitum. Notatu digna sunt, quæ sequuntur: *nullus defluat indè color.* Dum enim volumen temerè aperitur, color paulatim atteritur, & diluitur. Horatius Epist. 13. l. 1.

Ut

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primùm Nympham largâ donate salute,
Atque hæc submisso dicite verba sono:
Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, &, accipias munera parva, rogat.
Teque suis jurat caram magis esse medullis:
Sive sibi conjux, sive futura soror;
Sed potiùs conjux. hujus spem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.

ELE-

OBSERVATIONES.

Ut proficiscentem docui te, sæpe, diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vinni.

v.19. *Illa mihi referet*] Epistolâ scilicet missâ.

v.21. *Nympham*] Hæc lectio præferenda vulgatæ *meritam*, cum proximè conjugii mentio fiat: ΝΥΜΦΗ etenim Græcis nupta dicitur. Ita locutus & Ovidius Epist. Penelopes:

Grata ferunt NYMPHÆ pro salvis dona maritis.

ubi satis clarè vides uxores designari.

v. 22. *submisso dicite verba sono*] Veteres pavidissimo, tenuique murmure solitos fuisse vota concipere, diximus ad Catullum carm. 63. Bene igitur Tibullus, qui Neæræ matrimonium optabat, mandat Musis, ut submissa voce de hoc puellæ verba faciant.

v.23. *vir quondam, nunc frater*] Optimè Lipsius hunc locum explicavit, nec ideò tamen curiosorum hominum linguas penitùs obstruxit. Quomodò, inquiunt *τὸ frater* concubinum significare valeat, si poëta vocat Neæram castam? at quæ viro concumbit, casta profectò vocari nequit. Næ illi oscitanter Tibullum legerunt, qui supra Eleg. 7. l. 1. auream illam aniculam, cujus filiâ potiebatur, hoc pacto alloqui non dubitavit:

Sit modò casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Casta nostro est, quæ cæteris amatoribus exclusis, uni sibi noctis copiam facit. Eadem Elegiâ v. 81. *Ne sævo sis casta metu.* Eleg. 3. ejusdem libri: *At tu casta precor maneas.* Valeant ergo nugatores.

ELEG.

ELEGIA II.

Mandat, quomodò mortuus condi sepulcro velit, ubi elegantissimè ossilegium describit.

QUi primùm caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem;
Vivere & ereptâ conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostro
Ingenio. *FRANGIT fortia corda dolor.*
Hæc mihi verba loqui pudor est, vitæque fateri
Tot mala perpessæ tædia nota meæ.
Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super-nigra favilla-teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.

Sed

OBSERVATIONES.

ELEG. II. v. 6. *Ingenio*] Nativam cujusque vim & facultatem, Latini scriptores *ingenium* appellant. Plautus Truculento Act. 4. sc. 3.

—— *qui improbus est, sive subbibit,*
Sive adeò caret temeto, tamen ab INGENIO est improbus.

Quod etiam ad res inanimas transfertur. Petronius Satyr. *Crines INGENIO suo flexi, per totos sese humeros effuderant.* idest crispi suapte naturâ. Apulejus lib. 9. Asini aurei; *Interdum acerrimo gravique odore sulphuris juvenis inescatus atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat: utque est INGENIUM vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovebat.*

v. 8. *tædia nota*] Placet lectio Achillis Statii *tædia nata*.

v. 9. *Ergo ego cum tenuem*] A ritibus funerum exponendis consultò manum abstineo, id enim plerique viri famâ eruditionis nobiles abundè præstiterunt.

v. 10. *super-nigra favilla-teget*] Hyperbaton pro *superteget*.

Sed veniat caræ matris comitata dolore;
 Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque; rigatæ,
 Perfusæque pias ante liquore manus:
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
 Incinctæ nigrâ candida veste legant.
Et primùm annoso spargant collecta Lyæo,
 Mox etiam niveo fundere lacte parent:
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
 Atque in marmoreâ ponere sicca domo.

Illic,

OBSERVATIONES.

v. 14. *Mœreat hæc genero*] Sic Latinè dicimus *alicui mœrere*. Exempla obvia.

v. 21. *carbaseis humorem tollere ventis*] Hæc omnium Codd. MSS constantissima scriptura, ut Statius testatur, & confirmat Scaliger. Sed alter sicco pede locum prætetit, alter malè interpretatur: quid enim frigidius excogitari potuit, quàm *ossa in linteo ventilari solita, ut exsugeretur humor, quo sparsa erant?* Nostro tempore ab oleribus ita guttas excutiunt coqui. Nullum prætetea idoneum auctorem producit, quo sententiam suam tueatur, sed quasi ex tripode ac lauro consulentibus responsa daret, sibi credi jubet. Spero me verissimam explicationem allaturum, faveant modò lectores candidi. *Venti carbasei* sunt byssina lintea tenuissima, instar nebulæ præferentia. Manus dabit, qui meminerit elegantissimorum versuum Publii Syri Mimographi apud Petronium Arbitrum:

Æquum est induere nuptam VENTUM TEXTILEM?
Palam prostare nudam nebula linea?

Fortè alius quispiam observaverit, cui gloriam suam non inviderim.

v. 22. *domo*] Nescio an Pedo Albinovanus Elegiâ de morte Drusi *domum* hac ipsâ notione usurpaverit. Hi sunt versiculi:

Claudite jam, Parcæ, nimiùm reserata sepulcra:
Claudite. plus justo Jam DOMUS ista patet.

idest tumulus Augustæ familiæ. Quamquàm & pro familiâ ipsâ Parcis nimiùm obnoxiâ rectè accipi posse lubens fateor. Huc pertinet elegans Inscriptio, quæ apud Reine-

Illic, quas mittit dives Panchaja, merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria:
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera causam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
LYGDAMVS. HIC. SITVS. EST. DOLOR. HVIC. ET. CVRA. NEAERAE.
CONIVGIS. EREPTAE. CAVSA. PERIRE. FVIT.

ELE-

OBSERVATIONES.

nesium legitur classe 14. n. 16. Est autem hujusmodi:

V. F.
M. AMNOLVS. PONTICVS.
SIBI. ET. SABINAE.
DOCTA LYRA GRATA ET GESTV FORMOSA PVELLA
HIC IACET AETERNA SABIS HVMATA DOMO.
CVIVS FATALES PENSARE OPTAVERAT HORAS
PONTICVS HVIC CONIVX VLTIMA DONA TVLIT.

Item vetustissimum Distichon Patavii tumulo Antenoreo insculptum ad D. Laurentii:

EXPVLIT EVGANEOS PATAVINAM CONDIDIT VRBEM
QVEM TENET HIC HVMILI MARMORE CAESA DOMVS.

V. 27. *mortis demonstret littera causam*] In cippo sepulcrali causam incidebant, quâ quis diem supremum obiisset. Ovidius Epist. Phyllidis:

Inscribere meo CAUSA invidiosa sepulcro:
Aut hoc, aut simili carmine notus eris:
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem:
Ille neci CAUSAM præbuit, ipsa manum.

Albinovanus ad Liviam: CAUSAQUE *dicemur nos tibi, Druse, necis.* Obierat enim Drusus pro patriâ pugnans adversus Germanos.

ELEGIA III.

Ad Neæram : *se nihil aliud umqnam optavisse, quàm ut ejus conjugio frueretur ; sed vota perdidisse.*

QUid prodest cælum votis implesse, Neæra ?
  Blandaque cum multâ thura dedisse prece ?
Non ut marmorei prodirem è limine tecti
  Insignis clarâ, conspicuusque domo :
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
  Et magnas messes terra benigna daret :
Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,
  Inque tuo caderet nostra senecta sinu
Tunc, cum permenso defunctus tempore lucis
  Nudus Lethæâ cogerer ire rate.
Nam grave quid prodest pōdus mihi divitis auri,
  Arvaque si findant pinguia mille boves ?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis
  Tænare sive tuis, sive Caryste tuis ?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,

Au-

OBSERVATIONES.

ELEG. III. v. 5. *renovarent*] Verterent ad novam sationem.. Ovidius 1. Metamorph.

Nec RENOVATUS ager gravidis canebat aristis.

v. 10. *Nudus Lethæa*] Propertius Eleg. 16. l. 3.

NUDUS ab inferna, stulte, vehere RATE.

Cæterùm hic poëta usus est numeris paulò asperioribus, ob iteratam geminationem caninæ litteræ.

v. 15. *nemora in domibus*] Fidem excedunt, quæ narrat Svetonius de

Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidia est. *FALSO plurima vulgus amat.*
NON opibus mentes hominum, curaeque levantur,
Nam fortuna suâ tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neaera,
At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si pro dulci reditu quaecumque voventur
Audiat aversâ non meus aure Deus:
Nec me regna juvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.

Haec

OBSERVATIONES.

de Neronis aedibus & viridariis, in ejus vitâ cap. 31. Postquàm enim de vestibulo immensae domus, & amplitudine stagni lectorem admonuit, haec addit: *Rura insuper arvis atque vineis, & pascuis silvisque, varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum*. subaudi *fuerunt*.

v.20. *Falsò*] Injuriâ: non enim divitiae aut honores bona sunt ab hominibus tantoperè expetenda, si quidem fortunae imperio subiecta, horae momento saepe dilabuntur. Adde metus, insomnia, satietatem, quae potentibus & locupletibus, magis quàm pauperibus & humilibus nocere solent. Nota vim, & proprietatem adverbii *falsò*. Crisp. Sallustius initio Belli Jugurthini: FALSO *queritur de natura sua genus humanum, quòd imbecille, atque aevi brevis, forte potiùs, quàm virtute regatur*. Italicè redderes: *A torto si lamenta &c.*

v.22. *sua tempora lege regit*] Sapienter Seneca Tragicus Thyeste ch. 3.

Quem dies vidit veniens superbum,

 Hunc

Hæc alii cupiant: liceat mihi paupere cultu
Securo carâ conjuge posse frui.
Adsis, & timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas conchâ Cypria vecta tuâ.
Aut si fata negant reditum, tristesque sorores,
Stamina quæ ducunt, quæque futura neunt:
Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignavâ luridus Orcus aquâ.

ELEGIA IV.

Narrat se somniantem à Phœbo admonitum de Neæræ pactæ sibi conjugis perfidiâ; itemque doctum, quibus artibus eam flectere posset.

DIi meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit extremâ proxima nocte quies.
Ite procul, vanum falsumque avertite visum:
Desinite in vobis quærere velle fidem.
Di-

OBSERVATIONES.

Hunc dies vidit fugiens jacentem. Parciùs igitur insolescant divites, humanæ inconstantiæ memores.

v. 33. *Saturnia*] Juno Lucina matrimonii præses.

v. 36. *neunt*] Placet Heinsii conjectura *canunt*, sed in textum recipere non ausim.

v. 38. *ignava*] Cœnosâ, tardeque fluente.

ELEG. IV. v. 2. *extrema nocte*] Cum, cibo concocto, abeunt crassiores imagines, & *somnia* videntur *pituita purgatissima*, ut loquitur Persius 2. Sat. Ovidius Epistolâ Herûs:

Namque sub Auroram, jam dormitante lucerna,
SOMNIA quo cerni tempore vera solent.

Tertullianus lib. de Anima cap. 48. *Certiora, & colatiora SOMNIARI affirmant sub EXTREMIS NOCTIBUS.* lege reliqua.

v. 6.

Divi vera monent: venturæ nuntia sortis
  Vera monent Thuscis exta probata viris.
SOMNIA fallaci ludunt temeraria nocte,
  Et pavidas mentes falsa timere jubent.
At natum in curas hominum genus, omina noctis
  Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, utcumque est, sive illi vera moneri.
  Mendaci somno credere sive volent:
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
  Et frustra immeritum pertimuisse velit.
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
  Nec læsit magnos impia lingua Deos.
Jam nox æthereum nigris emensa quadrigis
  Mundum, cæruleo laverat amne rotas;

Nec

OBSERVATIONES.

v. 6. *Thuscis exta probata viris*] Aruspicinâ maximè illustres fuerunt Etrusci, quin etiam omni superstitione laborantes. Tanaquil vocatur à Livio l. 1. Historiarum *perita, ut vulgò Etrusci, cælestium prodigiorum mulier*. Sed audiendus M. Tullius, qui 1. lib. de Divinatione rem ita declarat. *Etrusci autem, quòd religione imbuti studiosiùs, & crebriùs hostias immolabant, EXTORUM cognitioni se maximè dediderunt: quòdque propter aeris crassitudinem de cælo apud eos multa fiebant, & quòd ob eamdem causam multa insitata partim ex cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum, pecudumve conceptu & satu, portentorum exercitatissimi interpretes extiterunt.*

v. 8. *falsa timere jubent*] Vide quæ observ. ad Eleg. 3. l. 2. Propertii v. 8.

v. 13. *Lucina*] Ridiculi sunt, qui Lunam intelligunt. nihil enim ad rem. Junonem Lucinam precatur poëta, ut quandoquidem ea nuptiis contrahendis præfecta sit, Neæræ coniugium sibi conservet, nec patiatur mala somnia, & spei suæ contraria, vim habere. Seneca Medeâ Act. 1. sc. 1.

Dii conjugales, tuque genialis tori
Lucina custos ——

v. 18. *Mundum*] Ingentia cæli spa-

Nec me sopierat menti Deus utilis ægræ
SOMNUS; sollicitas deficit ante domos.
Tandem cum summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hìc juvenis castâ redimitus tempora lauro
Est visus nostrâ ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longâ cervice fluebant:
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.

Ut

OBSERVATIONES.

spatia: M. Manilius eodem pacto usurpavit initio 1. lib. Astronomic.

Carmine divinas artes, & conscia fati
Sidera diversos hominum variantia casus
Cælestis rationis opus, deducere MUNDO
Aggredior ——

Plinius quoque l. 2. Nat. Hist. c. 1. *MUNDUM, & hoc, quod nomine alio cælum appellare libuit.*

V.23. *Hic*] Adverbium loci, pro adverbio temporis; cum dicere debuerit *tunc*. Ita Virgilius Æneidos 2.

HIC aliud majus miseris, multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.

V.25. *Non illo quidquam formosius*] Dum hos versus attentiùs lego, ad scopulum impingere videor, nulla enim sana sententia ex his elici potest. Scaliger consultò prætcrit, quasi lectorem moraturi non sint. Statius in Pentametro mavult *fuit* pro *videt*, nec tamen aliquid proficit. Ego lubens depono, & peritiori manui committo. Certè latet malignum ulcus, quod Chironis auxilio indigeat.

V.28. *myrtea coma*] Myrti colorem præseferens, qui pannis tingendis etiam adhibitus. Vide Ovidium 3. de Arte v. 181.

V. 29. *qualem præfert Latonia Luna*] Optimè, quia Phœbus Lunæ, sive Dianæ frater: oportuit igitur illi similem esse.

Ut juveni primùm virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas:
Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & Autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla,
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ, fulgens testudine & auro
Pendebat lævâ garrula parte lyra.
Hanc primùm veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti, cum voce locuti;
Edidit hæc tristi dulcia verba modo:

Sal-

OBSERVATIONES.

v. 35. *Ima videbatur*] Palla usque ad talos demissa Deos majorum gentium ornabat: fuit enim index majestatis, & potentiæ. Virgilius de Venere 1. Æneidos: *pedes vestis defluxit ad imos, Et vera incessu patuit Dea*. Propertius de Baccho Eleg. 15. l. 3.

Et feries imos veste fluente pedes.

Valerius Flaccus Mopsum Phœbi filium paterno amictu induit 1. Argonaut.

Hic vates, Phœbique fides non vana parentis
Mopsus: puniceo cui circumfusa cothurno
PALLA imos ferit alba pedes ——

v. 36. *fulgens testudine*] Corticibus marinæ testudinis in tenues laminas dissectis varia opera fingebant artifices. Virgilius 2. Georg.

Nec varios inhiant pulchra TESTUDINE postes.

v. 41. *digiti cum voce locuti*] Cassiodorus Variarum l. 4. Epist. 51. eodem pacto vocat gesticulatorum LOQUACISSIMAS *manus*, LINGUOSOS DIGITOS. Elegantissimè autem vetus poëta de Pantomimo:

Tot linguæ, quot membra viro: mirabilis est ars,
Quæ facit ARTICULOS VOCE silente LOQUI.

v. 42. *tristi modo*] Vel Elegiaco carmine ad res flebiles apto, vel ea narrans, quæ poëtæ displicitura erant.

v. 51.

Salve cura Deûm, casto nam ritè poëtæ
　Phœbusque, & Bacchus, Pieridesque favent.
Sed proles Semeles Bacchus, doctæque sorores
　Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, ævique futuri
　Eventura Pater posse videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates:
　Quodque Deus vero Cynthius ore ferat.
Tantùm cara tibi, quantùm nec filia matri,
　Quantùm nec cupido bella puella viro:
Pro quâ sollicitas cælestia Numina votis,
　Quæ tibi securos non finit ire dies:
Et cum te fusco somnus velavit amictu,
　Vanum nocturnis fallit imaginibus:
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
　Alterius mavult esse puella viri;
Diversasque suas agitat mens impia curas,
　Nec gaudet castâ nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
　Ah pereat, didicit fallere si qua virum!

Sed:

OBSERVATIONES:

v. 51. *Tantùm cara tibi*] Ut perfidiæ crimen vehementiùs appareat, recenset Apollo, quantus amor Tibulli fuerit erga Neæram.

v. 59. *Diversasque suas*] Rectiùs, qui legunt *suis*, & consanguineos puellæ intelligunt, à quibus Tibullo desponsa fuerat. Catul. c. 61.

At tu ne pugna tali cum conjuge virgo;
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.

v. 64.

Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis.
  Tu modò cum multâ brachia tende fide.
Sævus Amor docuit validos tentare labores,
  Sævus Amor docuit verbera sæva pati.
Me quondam Admeti niveas pavisse juvencas,
  Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec citharâ poteram gaudere sonorâ,
  Nec similes chordis reddere voce sonos,
Sed perlucenti cantus meditabar avenâ,
  Ille ego Latonæ filius, atque Jovis.
Nescis quid sit Amor, juvenis, si ferre recusas
  Immitem dominam, conjugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas;
  VINCUNTUR molli pectora dura prece.
Quòd si vera canunt sacris oracula templis,
  Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse.
  Felix hoc. alium desine velle virum.
Dixit, & ignavus defluxit pectore somnus.
  Ah ego ne possim tanta videre mala!
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
  Nec tantum crimen pectore inesse tuo.

Nam

OBSERVATIONES.

v. 64. cum multa brachia tende fide] Obtestando sæpius fidem hominum, & Deorum. Propertius l. 1. Eleg. 18.

Et non ulla meo clamat in ore FIDES.

v. 71. Ille ego] ἐμφατικῶς. quasi dicat: *Quod Phœbum decuit, quem non decet?*

ELEG.

Nam te nec vasti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero.
Nec canis anguineâ redimitus terga catervâ,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram;
Nec te conceptam sæva leæna tulit.
Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis,
Sed culta, & duris non habitanda domus,
Et longè ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

ELEGIA V.

Ad amicos in thermis Etruscis commorantes, ut pro suâ valetudine vota suscipiant.

VOs tenet, Etruscis manat quæ fontibus unda,
Unda sub æstivum non adeunda Canem.
Nunc autem sacris Bajarum maxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit hiems.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam.
Im-

OBSERVATIONES.

ELEG. V. v. 3. *Bajarum maxima*] Caspar Scioppius in Paradoxis litteratiis legit *proxima*, quod valde arridet. Esset simile illi Horatiano Ode 12. l. 1. *PROXIMOS illi tamen occupavit Pallas honores*. Vulgatam lectionem tuetur Scaliger testimonio Martialis, & Sidonii Apollinaris.

v. 5. *nigram denuntiat horam*] Mortis diem. Propertius l. 4. Eleg. 3.

Illa

Immerito juveni parce nocere Dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandæ sacra docere Deæ.
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit.
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.

Nec

OBSERVATIONES.

Illa dies hornis cædem DENUNTIAT agnis.

v. 8. *laudandæ sacra docere Deæ*] Cereris mysteria populo revelare, quod gravissimo supplicio dignum existimabatur. Cur autem *laudandam* vocet, non satis liquidò compertum est mihi. Fortasse laudes dicebantur Cereri à sacerdotibus, quemadmodùm Isidi. vide supra Eleg. 3. l. 1. Adde quòd eadem Ceres, Isis Ægyptiis dicta est, ac sub utroque nomine secubitu à puellis colebatur.

v. 11. *Nec nos sacrilegos*] Lectio valde suspecta. Fuit in antiquis Codd.

Nec nos sacrilegis templis admovimus ægros.

Muto litterulam, & locum sanitati restituo:

Nec nos sacrilegos templis admovimus ægros.

In Æsculapii fano excubabant olim ægroti, ut valetudinem pristinam à Deo reciperent, quam superstitionem ridet Arnobius l. 1. his verbis: *Cum Æsculapium ipsum datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad ipsis superfuit vita, & precibus fatigarent, & miserrimis votis invitarent, nonne alios scimus malis suis commortuos? cruciatibus alios consenuisse morborum? perniciosiùs alios se se habere cœpisse, postquam dies noctesque in continuis precibus, & sanitatis expectatione triverunt? Quid ergo prodest ostendere unum aut alterum forcasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo, & plena sint omnia miserorum, infeliciumque delubra?* Cappadox leno apud Plautum Curculione Act. 2. sc. 1.

Migrare certum est jam nunc è fano foras,
Quando Æsculapii ita sentio sententiam:
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.

Hinc facilis est conjectura, Tibullum quoque idem remedium tentasse, at nullo successu: & propterea conquestus ait, se non ingressum sacraria coinquinatum sacrilegii

legii

Nec nos insanæ meditantes jurgia linguæ
Impia in adversos solvimus ora Deos.
Et nondum cani nigros læsere capillos,
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem primò nostrum videre parentes,
[Cum cecidit fato Consul uterque pari.]
Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis,
Et modò nata malâ vellere poma manu?
Parcite pallentes umbras quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus,
Cum mea rugosâ pallebunt ora senectâ,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear æstu;
Languent ter quinos sed mea membra dies.

At.

OBSERVATIONES.

legii labe. Frustra enim sacrilegi Deorum opem implorant, quorum sacra compilaverunt. Exstat elegans Æsopi Apologus in hanc sententiam: Κόραξ νοσῶν ἔφη τῇ μητρί. Μῆτερ εὔχου τῷ Θεῷ, καὶ μὴ θρήνει. Ἡ δ' ὑπολαβοῦσα ἔφη· τίς σε, ὦ τέκνον, τῶν θεῶν ἐλεήσει; τίνος γὰρ κρέας ὑπὸ σοῦ γε οὐκ ἐκλάπη; *Corvus ægrotans ait matri: Mater precare Deum, nec lamentare. Ea verò respondit, dixitque: quis Deorum, ô fili, miserebitur tui? cujus enim tu carnes non es furatus?*

Nec te moveat, lector ingenue, geminatio epitheti, quando & *Virgilius* 6. Æneidos ita cecinit: *Lucent genialibus alteis Aurea fulcra toris*. & Catullus: *Cui dono lepidum novum libellum?*

V. 18. *Cum cecidit fato*] Spurius versiculus, de quo consule nostra Prolegomena cap. 5. Imò & præcedentem delendum autumo, ubi τὸ *primò* Gallicâ nive frigidius. Profectò alienum hoc distichon totam sententiam interrumpit.

V. 28. *Languent ter quinos*] Supra

Eleg.

At vobis Thuscæ celebrantur numina lymphæ,
Et facilis lentâ pellitur unda manu.
Vivite felices, memores & vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mista mero.

ELEGIA VI.

Mœrore confectus, quòd puella sua pactam sibi fidem violaverit, curas ebrietate abigere statuit, sed amore impellente sæpius ad querelas relabitur.

CAndide Liber ades: sic sit tibi mystica vitis,
Sic ederâ semper tempora vincta feras.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem;
Sæpe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho,
Et nobis pronâ funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores:
Fulserit hìc niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem.

Aut

OBSERVATIONES.

Eleg. 5. l. 2. *jaceo cum saucius annum.*
v. 32. *seu nos fata fuiße velint*] Albinovanus Elegiâ in obitum Mœcenatis:
Mollibus ex oculis aliquis tibi decidet humor,
Cum dicar subita voce FUISSE tibi.

ELEG. VI. v. 10. *Neve neget quisquam m. d. s. c.*] Horatius Ode 35. l. 1.

Aut si quis vini certamen mite recuset,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fulvas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & majora valet; sed poscite Bacchi
Munera; quem vestrûm pocula sicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illos,
Qui se, quique unà vina jocosa colunt.
Jam venit iratus nimiùm nimiumque severis:
Qui timet irati Numina magna, bibat.
Quales his pœnas qualis quantusque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul à nobis hic sit timor: illaque, si qua est,
Quid valeat læsi sentiat ira Dei.

Quid

OBSERVATIONES.

l. 1. ad Fortunam:

Te spes, & albo rara fides colit
Velata panno, NEC COMITEM ABNEGAT,
Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

v. 17. *Hæc Amor, & majora valet*] Idest Bacchum gestis æquat, superatque.

v. 18. *pocula sicca*] Cyathi mero exhausti.

v. 25. *illaque si qua est*] Non hæc ad Agaven referenda, ut malè Scaliger censet, cui adstipulatur Douza pater, sed ad Neæram. Sequitur enim: *Quid precor ah demens?* Ma edixerat poëta puellæ perfidæ, sed statim eum pœnituit maledictorum, ex amantium consuetudine. Idcircò abstinet à nomine, utiturque imperfectâ oratione, quasi lingua nō auderet apertè conviciari. Hoc debuerant Critici animadvertere, nec solùm in voculis emen-

Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
Aëriæ & nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei supereſt tibi cura, Neæra,
Sis felix, & ſint candida fata tua.
At nos ſecuræ reddamus tempora menſæ.
Venit poſt multas una ſerena dies.
Hei mihi, *DIFFICILE eſt imitari gaudia falſa,*
Difficile eſt triſti fingere mente jocum.
Nec bene mendaci riſus componitur ore,
Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant.
Quid queror infelix? turpes diſcedite curæ,
Odit Lenæus triſtia verba pater.
Gnoſſia, Theſêæ quondam periuria linguæ
Fleviſti ignoto ſola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.

Vos

OBSERVATIONES.

emendandis, & MSS. inculcandis cum faſtidio lectoris inhærere.

v. 30. *Sis felix*] Catul. c. 67. *SITIS FELICES & tu ſimul, & tua vita.*

v. 31. *reddamus tempora*] Multis exantlatis laboribus, reliquum temporis genio, & jucundæ comeſſationi debetur: quamobrem poëta noſter verbo *reddendi* elegantiſſimè uſus eſt. Martialis pariter Epig. 49. l. 1.

Non impudenter vita; quod reliquum eſt, petis,
Cum fama, quod ſatis eſt, habet.

v. 36. *Nec bene ſollicitis*] Hinc videtur derivaſſe, quæ ſcribit Plinius Junior Oratione ad Trajanum: *Aliud SOLICITUDINIS, aliud ſecuritatis ingenium eſt; alia triſtium inventio, alia gaudentium. Neutrium ſimulationes expreſſerint. habent ſua VERBA miſeri, ſua VERBA felices.*

Vos ego nunc moneo: *FELIX*, *quicumque dolore*
Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blandâ sordida lingua fide.
Et si perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem,
Nulla fides inerit. *PERJURIA ridet amantum*
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror? ite à me seria verba precor.
Quàm vellem tecum longas requiescere noctes,
Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida, nec meritò nobis inimica; merenti
Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.
Najada Bacchus amat. cessas ô lente minister?

Tem-

OBSERVATIONES.

V. 43. *Vos ego nunc moneo*] Sermonem vertit ad convivas, veluti dicat. Monuit puellas Catullus, ne virorum juramentis fidem haberent, proposito exemplo Thesei; ego vicissim viros admoneo, ut sibi caveant à muliercularum levitate, proposito exemplo Neæræ.

V. 48. *Junonemque suam*] Infra l. 4. carm. 13.

Hæc tibi sancta TUÆ JUNONIS numina juro,
Quæ sola ante alios est mihi magna Deos.

V. 52. *seria verba*] Tristia, & lamentabilia.

V. 55. *merenti Perfida*] Mihi de te optimè merito. v. Indicem verbo *merere*.

V. 57. *Najada Bacchus amat*] A Nymphis enim educatus fuit, quod poëticum figmentum innuit merum aquâ diluendum esse. Meleager in Anthologia.

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος,
νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δὲ νιν εἴργης
μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

E

Temperet annosum Martia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostræ convivia mensæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam totâ suspiria nocte.
Tu puer i, liquidum fortiùs adde merum.
Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

AL-

OBSERVATIONES.

E cinere ut Bacchum Nymphæ cepere sorores,
Membraque lavarunt fonte perennis aquæ,
Junctus amicitia est Nymphis. Si forte repellas,
Natum de flammis experiere Deum.

& Phavorinus apud Stobæum serm. 112. Καθάπερ φησὶν ὁ Πλάτων ἐπὶ τοῦ μιγνυμένου πρὸς ὕδωρ ἀκράτου, μαινόμενον θεὸν ἑτέρῳ θεῷ νήφοντι σωφρονίζεσθαι. *Quemadmodum Plato inquit de vino aquæ miscendo: insanientem Deum ab alio Deo sobrio TEMPERARI.*

Ibid. *cessas ó lente minister?*] Virgilius 6. Æneidos ex ore Sibyllæ:

— *CESSAS in vota, precesque*
Tros, ait, Ænea, CESSAS? —

v.62. *fortiùs*] Adverbium est, ut cuivis manifestum.





ALBII TIBULLI
EQUITIS ROMANI

variorum Carminum Liber, vulgò Elegiarum IV.

CARMEN I.

Laudat Messalam ab animi prudentiâ, & rebus bello gestis: eumque toto illustrem orbe futurum vaticinatur.

TE, Messala, canam. Quamquàm me cognita virtus
Terret, ut infirmæ nequeant subsistere vires,
In-

OBSERVATIONES.

CARM. I. v. 1. *cognita virtus*] Robur & fortitudo animi, cujus ego probè sum conscius. Virgilius 5. Æneidos v. 455. citatus à Nonio Marcello:

Tum pudor incendit VIRES, & conscia VIRTUS.

At ibi contrariâ sententia est, cognoscit enim Entellus fortissimus pugil se magnis viribus Dareti præstare: Tibullus autem se nervorum succisorum esse, imparemque laudibus Messalæ. Utrobique tamen *virtus* pro vigore accipitur.

v. 4.

Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua, te præter, chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint:
Est nobis voluisse satis. Nec carmina parva
Respueris; etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera cælo
Erigoneque, Canisque, neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides Deus ascensurus Olympum
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis;

Par-

OBSERVATIONES.

V. 4. *conditor*] Apud poëtas nonnumquàm *condere est immortalitati consecrare*. Propertius Eleg. 1. l. 2.

Nec mea conveniunt duro præcordia versu.
Cæsaris in Phrygios CONDERE nomen avos.

V. 5. *te præter*] Mira laus à facundiâ, & bonis artibus. Paria Livius de M. Tullio Histor. l. 120. cujus fragmentum debemus Rhetori Senecæ Suasor. 6. *Si quis tamen virtutibus vitia pensaris, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.*

V. 6. *dictis ut non majora supersint*] Polyænus Petronianus ad mulierem pulcherrimam describendam ita gradum facit: *Nulla vox est, quæ formam ejus possit comprehendere, nam quidquid dixero, minus erit.*

V. 9. *Cres*] Quis hic fuerit, neque scimus, neque multùm interest an sciamus. V. Scaligerū ad Eusebii.m pag. 17. Si fas est in re dubiâ divinare, à Cretensibus hospitio exceptum Apollinem existimaverim, cum propter interfectos Cyclopas, à Jove cælo pulsus aberrabat. *Cres* numero multitudinis facit *Cretes*. Ovidius Amorum 3. Eleg. 10.

Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes.

V. 10. *puro cælo*] Sereno, etenim nubilis noctibus astra non apparent.

V. 12. *Alcides Deus*] Ne putes otiosum esse τὸ *Deus*, nam significat Herculis ἀποθέωσιν, qui antea mortalis fuerat. vide Ovid. citat. 9. Metamorph.

V. 13. *Læta*] Hilaris Molorchi

Parvaque cælestes pacavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Indè alios, aliosque memor componere versus.
Alter dictet opus magni mirabile mundi,
Qualis in immensum desederit aëra tellus,
Qualis & in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris quà surgere nititur aër,
Huic & contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cælo.
At quodcumque meæ poterunt audere Camœnæ,
Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, ultra,
Sive minus (certèque canēt minus) omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi nomine charta:
Nā, quāquàm antiquæ gentis superant tibi laudes,
Non tua majorum contenta est gloria famâ,
Nec

OBSERVATIONES.

tecta introivit, non indignatus hospitis paupertatem. De hac magni Herois comitate, atque opum contemptu Evander apud Virgil. 8. Æneidos:

— hæc, inquit, limina victor
ALCIDES subiit, hæc illum regia cepit.
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo, rebusque veni non asper egenis.

V. 15 *inaurato cornu*] Talis veterum elegantia in ornandis victimis. Valerius Flaccus 1. Argonaut.

— dabit AURATIS & CORNIBUS igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent.

V. 20. *pontus confluxerit*] Genesis cap. 1. *Dixitque Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unū.*

V. 28. *superant*] Pro supersunt. Ovidius 1. de Arte versu penult.

Pars SUPERAT cœpti, pars est exhausta laboris.

v. 46.

Nec quæris, quid quâque index sub imagine dicat:
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quàm tibi majores, majus decus ipse futurus.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Æterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undiq; quique canent vincto pede, quiq; soluto.
Queis potius certamen erit, sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te majora gerit castrisve, forove?
Nec tamen hinc, aut hinc tibi laus majorve, minorve:
Justa pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illâ,
Qualis, inæquatū si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu judicis ira

Sit

OBSERVATIONES.

v. 46. *judicis ira*] Judices irasci flagitium est, tunc etenim videntur homines, non scelera, odisse. Claudianus de Mallii Theodori Consulatu sapientissimè:

Quin etiam sontes expulsa corrigis IRA,
Et placidus delicta domas, nec dentibus umquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
Qui fruitur pœna, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi; cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ. Diis proximus ille est,
Quem ratio, non IRA movet ——

Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos, aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvæ magnum decus urbis Ulyssem;
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurreret horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Quà maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis:
Non valuit Lotos cœptos avertere cursus:
Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos,
Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatenque,
Mobilis Artacie gelidos quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes:
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.

Cim-

OBSERVATIONES.

v. 51. *fertilibus horis*] Secum omnia ferentibus, res humanas mutantibus. *Fertilis* à *ferendo*, ut nemo nescit. Ideò Virgilius Eclog. 9.

Omnia FERT ætas, animum quoque ——

idest *aufert*. Contrario sensu Venusinus in A. P.

MULTA FERUNT anni venientes commoda secum.

v. 60. *gelidos*] Quâ ratione Læstrigones antiquissimi Siciliæ populi gelidi vocari queant, equidem ignoro: Sicilia enim regio calida est, utpote in Africam & Meridionalem plagam conversa. Locus igitur cubat in mendo, & fortasse ita legendus:

Mobilis Artacie gelida quos irrigat unda.

v. 70.

Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Queis numquam candente dies apparuit ortu,
Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit ut inferno Plutoni subdita regna
Magna Deûm proles levibus discurreret umbris:
Præteriitque citâ Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis
Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Cum canibus rapidas inter freta serperet undas:
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non Amor, & fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Fi-

OBSERVATIONES.

v. 70. *Illum inter geminæ*] Occasione arreptâ videor mihi pretium operæ facturus, si lectoribus meis indicavero, quomodò censeam scribendos tres Virgilii versus ex 3. Æneide, hactenus pessimè interpunctos, & pejùs intellectos. Hi verò sunt, maximèque ad Tibullum pertinent:

Contra, jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter (utramque viam leti, discrimine parvo)
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.

Haud facile cogitatu est, quantam lucem afferat Virgilio parenthesis illa. Sed malo doctos viros judicium ferre de hisce nugis, quàm ipse meam diligentiam venditare. Quid verò turbatius, quàm vulgata scriptura?

Contra, jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.

Certè hic locus Grammaticis molestiam sæpe creavit. Sat scio.

v. 77. *fecunda arva*] Notum est Calypso ex Ulysse filium Ausonem enixam, quamobrem suspicor sub hac *arvorum* translatione obscœ-
num

Finis & erroris miseri Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia major.
Nam te non alius belli tenet aptiùs artes,
Quà deceat tutam castris prædúcere fossam:
Qualiter adversos hosti defigere cervos:
Quemve locũ ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit, & arduus hosti,
Laudis & assiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem meliùs, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equũ celeremve arcto compescere fræno
Possit, & effusas tardo permittere habenas?
Inque vicem modò directo contendere passu,
Seu libeat curvo meliùs contendere gyro?
Quis parmâ, seu dextra velit, seu læva tueri,
Sive hâc, sive illac veniat gravis impetus hastæ,
Amplior, aut signata citá loca tangere funda?

Jam

OBSERVATIONES.

num aliquid lateri, quod poëta honesto verborum circuitu velaverit: cum potissimùm præcesserit mentio de amore. Lucretius l. 4.

Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat ARVA.

Quem imitatus Maro Georgicon 3.

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus
Sit genitali ARVO, & sulcos oblimet inertes.

V. 97. *signata loca*] Oculis notata: Nos Itali vocamus *il bersaglio*. Citat Virgilius 5. Æneidos de cursu certantibus: *simul ultima SIGNANT*; ubi Servius: *insinuant*. in-

Jam simul audacis veniant certamina Martis,
Adversisque parent acies concurrere signis,
Tunc tibi non desit faciem cōponere pugnæ:
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo:
Seu libeat duplicem, seu junctum cernere Martem,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex gemini victoria casus.

At

OBSERVATIONES.

inquit, *& notantes ultima spatia, id est finem, aviditate vincendi, & deest versu. ut Cicero:* notat & DESIGNAT oculis.

V. 100. *faciem componere pugnæ*] Exercitum ad prælium instruere.

V. 101. *quadratum acies consistat in agmen*] Antiquis temporibus ratio aciei disponendæ simplicissima hæc fuit, ut scilicet copiæ omnes unà stipatæ incederent quadratâ figurâ, & rectis frontibus. Observandum tamen est τὸ *consistat*, quod videtur magis pertinere ad expectationem hostis, quàm ad ipsam manuum commixtionem. Neque Tibullus his versibus triplicem instructionem exercitus innuere voluit, ut quidam falsò arbitrati sunt: *duplex* enim, & *juncta* pugnæ facies, nihil aliud sunt, quàm species *quadrati agminis* vel in geminum cornu leviter flexi, vel conjunctim in hostem immissi, cum esset munus Imperatoris alterutrum eligere. Clarius adhuc rem enodare contendam: Castris motis, ducis jussu legiones omnes in unum confluebant, deinde uti opus fuisset, vel collectæ usque ad pugnam procedebant, vel ante novo quodam ordine disjungebantur.

V. 104. *Dexter uti lævum*] Non dissimulabo legendum videri superiori versu:

Seu libeat junctum, duplicem seu cernere Martem.

vulgata enim lectio maximè sententiam implicat, quæ talis est: Cum geminum cornu Romanorum in geminum hostium impetum facit, tunc noster miles, qui dextro latere dimicat, sinistras adversariorum copias lacessit; contra, qui sinistro præliatur, dexteras concutit, atque ita duplex victoria de gemino inimicorum casu, seu lapsu, refertur. Hæc, spero, tam dilucida nunc erunt, *quàm Solis radii, olim cum sudum est, solent*.

v. 107.

At non per dubias errant mea carmina laudes,
Nam bellis experta cano. teſtis mihi victæ
Fortis Japidiæ miles: teſtis quoque fallax
Pannonius, gelidas paſſim disjectus in Alpes:
Teſtis Arupinis & pauper natus in armis,
Quem ſi quis videat vetus ut non fregerit ætas,
Terna minùs Pyliæ miretur ſæcula famæ.
Namque ſenex longæ peragit dum ſæcula vitæ,
Centum fecundos Titan renovaverit annos,
Ipſe tamen velox celerem ſuper edere corpus
Audet equũ, validiſque ſedet moderator habenis.
Te duce non aliàs converſus terga domator
Libera Romanæ ſubjecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris, majora peractis
Inſtant, compertũ eſt veracibus ut mihi ſignis,
Queis Amithaonius nequeat certare Melampus.
Nam modò fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem
Indueras, oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis,

Et

OBSERVATIONES.

v. 107. *bellis experta cano*] Ita ſupra Eleg. 8. l. 1.

Non ſine me eſt tibi partus honos, Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani litora Santonici.

v. 110. *natus in armis*] Ut Caligula, *qui cognomen caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Imò verſiculi, imperante mox eo divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant:*

In caſtris NATUS, patriis nutritus IN ARMIS
Jam deſignati principis omen erat.

Suetonius in ejus vita c. 8. & 9.

v. 113. *Namque ſenex longæ*] Hunc verſum reperi in editione Scaligeri, ſed Tibulli non eſt, ac meo periculo delendus.

v. 125.

Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus:
Quin rapidum placidis etiam mare cõstitit undis,
Ulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas:
Quin largita tuis sunt multa silentia votis.
Jupiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit, & cælo vicinum liquit Olympum,
Intentâque tuis precibus se præbuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit: abditus aris
Lætior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis insistere rebus
Incipe: non iidem tibi sint, aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris:
Nec fera te Tyrio tellus obsessa colono:

Nec

OBSERVATIONES.

v. 125. *Et fera discordes*] Oportuit Jovem surdastrum esse, ut enim preces Messalæ audiret, cuncta siluerunt, & ipse domum suam reliquit, auresque intendere necesse habuit. Quamobrem Elias Regum 3. c. 18. subsannat sacerdotes Baal *dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.*

v. 139. *latis audax Hispania terris*] Pomponius Mela l. 2. de situ orbis cap. 46. *Ipsa* HISPANIA, inquit, *nisi quà Gallias tangit, pelago undique incincta est: ubi illis adhæret maximè angusta, paulatim se in nostrum mare, & Oceanum extendit, magis magisque latior ad Occidentem abit, ac fit ibi LATISSIMA.*

v. 140. *Nec fera te Tyrio*] Ab Hispaniâ opportunè transit in Africam, quæ ab illâ interfluente Gaditano freto solùm disjungitur, ubi Herculis columnæ. Dido regina cum magnâ Tyriorum manu

in

Nec quà vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus Cyri dementia Gindes,
Ardet Arecteis aut unda perhospita campis.
Nec quà regna vago Tomyris finivit Araxe,
Impia nec sævis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus:
Quàque Hebrus, Tanaisque Getas rigat, atque Magynos.
Quid moror? Oceanus ponto quà continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto Mundi pars altera Sole.
Nam circumfuso consistit in aëre tellus,

Et

OBSERVATIONES.

in eam regionem venit, atque ibi Chartaginem condidit. v. Virgil. 1. Æneidos.

v. 142. *Cyri dementia Gindes*] Rem enarrat Seneca l. 3. de irâ c. 21. *Hic iratus fuit genti, & ignotæ, & immeritæ, sensuræ tamen: Cyrus flumini. Nam cum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occasionibus sunt, GINDEN latè fusum amnem vado transire tentavit: quod vix tutum est, etiam cum sensit æstatem, & ad minimum deductus est. Ibi unus ex iis equis, qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehementer commovit regem. juravit itaque amnem illum regiis equis meatum auferentem, eò se redacturum, ut transiri calcarique etiam à feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, & tamdiù assedit operi, donec C. & LXXX. cuniculis divisum alveum in CCC. & LX. rivos dispergeret, & siccum relinqueret, in diversum fluentibus aquis. Periit itaque & tempus, magna in vanis rebus jactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.* Totum loqum libenter transscripsi, ut commodis lectoris inservirem. Si cui otium est, adeat Herodotum in Clio.

v. 143: *Ardet Arecteis*]. De hoc versu consule Scaligeri notas.

v. 161.

Et quinque in partes totus diſponitur orbis.
Atque duæ gelido vaſtantur frigore ſemper:
Illic & denſâ tellus abſconditur umbrâ,
Et nulla incœpto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget denſam in glacièque, nivemque:
Quippe ubi non umquam Titan ſuperegerit ortus.
At media eſt Phœbi ſemper ſubjecta calori,
Seu propior terris æſtivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo preſſo tellus conſurgit aratro,
Nec frugem ſegetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arva Deus, Bacchuſve, Cereſve,
Nulla nec exuſtas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter poſita eſt, interque rigentes,
Noſtraq; & huic adverſa ſolo pars altera noſtro,
Quas ſimilis utrimque tenens vicinia cæli
Temperat, alter & alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tēpora vertitur ānus,
Hìc & colla jugo didicit ſummittere taurus,
Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos,
Ton-

OBSERVATIONES.

v.161. *properat*] Virgilius Æneidos 1. v. 749.

Quid tantùm Oceano PROPERENT ſe tingere Soles
HIBERNI —

v. 170. *per tempora vertitur annus*] In quatuor tempeſtates dividitur, cum ſub zonâ torridâ perpetua ſit æſtas, ſub rigentibus verò perpetua hiems. Ovidius 1. Metamorph. v. 116.

Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hiemes, æſtuſque, & inæquales autumnos,
Et breve ver, ſpatiis exegit quatuor

Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære:
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: æterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes:
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupoque:
Nunc desiderium superest; nam cura novatur,
Cum memor anteactos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis;

Non

OBSERVATIONES.

tuor annum.

V. 173. *seges annua*] Supra Eleg. 1. l. 2.

Deponit flavas ANNUA terra comas.

idest, quæ seritur quotannis, & opere agresti exercetur.

V. 191. *spolierque relictis*] Male Scaliger interpretatur, Tibullum ære alieno obstrictum à creditoribus spoliari: non enim hoc ex verbis poetæ elici potest, sed, non cessaturum se à laudibus Messalæ canendis, etiamsi spolietur, quod non accidit tamen. vide Prolegomena.

v. 198.

Non te deficient nostræ memorare Camœnæ.
Nec solùm tibi Pierii tribuentur honores:
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Vel parvum Ætnææ corpus committere flammæ.
Sum quodcumque, tuum est. nostri sit parvula cura,
Sit tibi quanta libet, si sit modò, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.
Quod tibi si versus noster notusve, minusve,
Vel bene si notus, summo vel inerret in ore:
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea tunc tumulus cũ texerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen mutata figuram;
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus:

Si-

OBSERVATIONES.

v. 198. *Sum quodcumque tuum est*] Subaudi *munus*. Propertius Eleg. 15. l. 2.

Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.

Horatius Ode 3. l. 4. ad Melpomenen:

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

v. 201. *Meleteas chartas*] Homericum poëma. v. Indicem.

v. 209. *pecoris sim gloria taurus*] Ovidius 1. de Arte v. 289.

Fortè sub umbrosis nemorosæ vallibus Idæ
Candidus armenti GLORIA TAURUS erat.

V * Cum

Sive ego per liquidum volucris vehar aëra pennis:
In quemcumque hominẽ me longa receperit ætas,
Incœptis de te subtexam carmina chartis.

CARMEN II.

** De Sulpitia Calendas Martias, qui mos matronarum erat, celebrante.*

OBSERVATIONES.

* Cum superiora exarassem, opportunè venit ad manus meas *Bibliotheca Latina veterum scriptorum*, libellus utilissimus *Jo: Alberti Fabricii* viri litterarum bono nati: quem dum attentiùs evolvo, in hæc verba incidi, quæ leguntur cap. 14. l. 1. pag. 251. ubi de Albio Tibullo: *Librum quartum excepto jam dicto in Messalam Panegyrico Barthius LIX. 16. suspicatur esse non Tibulli, sed Sulpitiæ, ejusque mariti Caleni. Sulpitiæ etiam tribuit doctissimus Broukhusius.* Hic vehementer admirari cœpi novæ huius opinionis insolentiam, & mecum ipse cogitare, quibus potissimùm argumentis id sibi persuaserint, cæterisque persuadere conati fuerint homines tanti judicii. Nec enim præsto erant Barthii Adversaria, & Broukhusii Commentarios in Tibullum nondum aspexeram. Sed fucum fecit acutissimis Criticis, ut ego quidem existimo, locus Martialis Epig. 35. l. 10. ubi poëta Hispanus castos amores Caleni & Sulpitiæ miris laudibus extollit, simulque carmina ejusdem Sulpitiæ elegantiæ ac pudicitiæ nomine commendat. En tibi versus:

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ;
Scyllam, Biblida nec fuisse credit:
Sed castos docet & pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque:
Cujus carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Ægeriæ jocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior, & pudica Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpitiam Phaon amaret.
Frustra, namque ea nec Tonantis uxor,

Non

Non Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

Verùm hæ deliciæ mulieris nobilissimæ temporum injuria olim interciderunt: quemadmodùm & L. Arruntii Stellæ Patavini lusus in Columbam, qui tantoperè ab eodem Valerio Martiali pluribus in locis laudantur. Dolendum est valde, nostri temporis eruditos viros quadam libidine ac scabie laborare, antiquorum scripta modò ad unum, modò ad alterum auctorem referendi, & de singulis trepide nimis ac molestè dubitandi. Qui tamen dolor levior fa ie fit, si ad alios quosdam mentem animi convertas, qui non ita pridem ore durissimo, atque insigni stupore pronunciare non sunt veriti, omnia veterum monumenta, præter pauca, quæ ipsi pro arbitrio excipiunt, ante aliquot sæcula à callidis hominibus fuisse conficta, & progenuinis divendita. Quâ quidem opinione (si tamen huiusmodi vanissima capita id sentiunt, quod efficiunt, & non potius turbis & dissidiis excitandis, malo dæmone instigante, maximè student) nihil dementius, absurdius, detestabilius excogitari potest: nihil quod ad subvertendam Historiarum veritatem, Ecclesiæ pacem tollendam, litteris universis caliginem offundendam breviori compendio conducat Sed è semita in viam redeamus, unde nos impurissimorum hominum infelicia, & nescio an magis ridenda, vel cavenda mendacia longè deflexerant. Jam primum omnium satis constat, Sulpitiam poëtica facultate illustrem Domitiani temporibus floruisse, idque citati Martialis testimonio. At Sulpitia nostra vixit Augusto rem Romanam gubernante, quod pluribus argumentis evincere parati sumus. Etenim carm 8. huius quarti libri fit mentio Messalæ, quem omnes norunt Equitis nostri patronum fuisse: de Tibulli autem ætate neminem arbitror dubitare. Deinde Cerinthus mollissimus & pulcherrimus adolescens, quem Sulpitia mirificè diligebat, notatur ab Horatio Sat. 2. l. 1. hoc pacto:

Desine matronas sectarier: unde laboris
Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus,
Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos,
Sit licet hoc CERINTHE tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius persæpe togatæ.

ubi velim advertas τὸ *tuum* accipiendum non esse de ipsius adolescentis femore, at potius de Sulpitiæ, quo tamen Cerinthus potiebatur, & idcircò *suum* appellare poterat. Cum enim Horatius matronarum amores præ tutioribus contemnat, debuit matronæ, non pueri, exemplum adhibere. Id clarius est, quàm ut verbis meis indigeat. Non aliâ ratione locutus est Catullus carm. 66.

Egregium narras mira pietate parentem,

Qui ipse SUI nati minxerit in gremium.

idest nurum suam constupraverit, quæ tamen filii thalamis debebatur. Nec ipse Tibullus Eleg. 10. l. 1. ad puerum infidelem:

Blanditiasne MEAS alii tu vendere es ausus?

Tune alii demens oscula ferre MEA?

idest blanditias & oscula mihi debita: non autem illa, quibus poëta puerum demulcebat. Hinc liquidò apparet, amores mutuos Cerinthi & Sulpitiæ rem fuisse totâ urbe notissimam, & multorum jocis petitam. Quamobrem Sulpitia inquit carm. 7.

—— mea gaudia narret,

Dicetur si quis non habuisse sua.

Fortasse patritia hæc mulier filia fuerit Servii Sulpitii Jurisconsulti, cujus ad Ciceronem exstant epistolæ. Id videtur ipsa non obscurè innuere carm. 10. ubi Cerinthum suum amicè objurgat:

Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo

Scortum, quàm Servî filia Sulpitia.

En gloriatur de patre suo clarissimo viro, & summis Reipublicæ muneribus functo. Ratio temporum unicè convenit. His omnibus adde, M. Fabium Quintilianum lib. 1. c. 11. imitatum videri lepidum hoc distichon è carmine 2.

Illam quidquid agit, quoquo vestigia movit,

Componit furtim, subsequiturque decor.

Verba Fabii sunt: *Neque enim gestum Oratoris COMPONI ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes FURTIM DECOR ille discentibus traditus PROSEQUATUR*. Quis neget hæc inde planissimè adumbrata? ut ait Douza filius. At Fabium eloquentissimū Rhetorem puduisset veteris adhuc feminæ phrasibus uti, multoque verisimilius est à Tibullo magni nominis poëtâ sumere voluisse.

Nec audiendus Caspar Barthius, qui carmina illa, in quibus laudatur Sulpitia, Caleno eius conjugi tribuit; videbat enim homo eruditus contra honestatem esse, probam & modestam feminam à se ipsâ laudari. Sed inane hoc perfugium est: si quidem Valerius Martialis in præcitatis versiculis de Musis Caleni omnino silet. Quomodò autem Sulpitiæ liber *castos & pios amores* doceret, si de furtivis amplexibus identidem tractaret? At carm. 5. hujus libri hæc leguntur:

Mutuus adsit amor, tua per dulcissima furta,

Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.

& passim alia, quæ ad amatorem potius, quàm ad conjugem pertinent. Ulteriùs Barthium interrogarem, cur Calenus uxorem proprio nomine appellet, & Sulpitiæ maritum supposito, nempe *Cerinthi*? Numquid pudebat mulierem

im-

imparis conjugii ? nihil minùs. Audi verba ipsius:

Sed peccasse juvat: vultus componere famæ
Tædet. cum digno digna fuisse ferar.

Deinde cur Tibullus noster Ele. 2. l. 2. de quâ, ut puto, controversia nulla est, Cerinthi natalem celebrat? An ille alter est Cerinthus? Hujusmodi numerus Tibullo frequens in libris præcedentibus...

Deinde cur Tibullus noster Ele. 2. l. 2. de quâ, ut puto, controversia nulla est, Cerinthi natalem celebrat? An ille alter est Cerinthus? gerræ maximæ. Quod autem ait idem Barthius, omnia quæ in quarto libro continentur, præter Panegyricum Messalæ, Caleno & Sulpitiæ tribuenda esse, in eo quoque falsus deprehenditur; carmen enim 13. præter omnem dubitationis aleam, à Tibullo conscriptum fateri oportet. Quò enim illa spectant:

Nunc licet è cælo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Venus?

Hæc sufficere poterant ad veritatis defensionem, nisi aliud argumentum superesset maximè idoneum, styli nempe similitudo. Pauca de plurimis excerpere juvat, reliqua studiosi lectores ipsi per se colligēt. Carm. 2. l. 4.

Illius ex oculis, cum vult exurere Divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

dixerat superiùs Eleg. 5. l. 2.

Acer Amor fractas utinam tua tela sagittas &c.

Carm. 2. l. 4.

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros.

At Eleg. 6. l. 2.

Illi selectos certent prœbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Carm. 2. l. 4.

Cultor odoratæ dives Arabs segetis.

Hujusmodi numerus Tibullo frequens in libris præcedentibus:

Qui maris, & tristes ferre potest pluvias.
Ante sacras lino tecta fores sedeat.
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Servare? frustra clavis inest foribus.
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Plena coronato stare boves capite.
Cantat, & appulso tela sonat latere.
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Annua constructo serta dabit tumulo.
Abdita quæ senis fata canit pedibus
Troica qui profugis sacra vehis ratibus
Et madefacta meis serta feram lacrymis
Et mea cum muto fata querar cinere.
Junonemque suam, perque suam Venerem.

Carm. 2. l. 4.
Hanc vos Pierides festis cantate Calendis.
At Eleg. 1. l. 3.
Martis Romani festæ venere Calendæ.
Carm. 3. l. 4.
Nec tibi sit duros acuisse in prælia dentes.
At Eleg. 7. l. 1.
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Carm. 3. l. 4.
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
rursus Eleg. 7. l. 1.
Mutuus absenti te mihi servet Amor.
Carm. 3. l. 4.
O pereant silvæ, deficiantque canes!
At Eleg. 3. l. 2.
O valeant fruges, ne sint modò rure puellæ!
Carm. 4. l. 4.
Sancte veni, tecumque feras quicumque sapores,
Quicumque & cantus corpora fessa levant.
At Eleg. 1. l. 2.
Sancte veni dapibus festis ——
Eleg. 8. l. 1.
Illi jucundos primùm matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Carm. 4. l. 4.
Phœbe fave, laus magna tibi tribuetur ——
Eleg. 5. l. 2.
Phœbe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos.
Carm. 5. l. 4.
Qui mihi te Cerinthe dies dedit, hic mihi sanctus.
Duos versus observo paris duritiæ, alterum Eleg. 7. l. 1.
Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus.
alterum Eleg. 5. l. 2.
Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus, &c.
Si quis adhuc peroratâ causâ Tibullo injurius esse mavult, per me quidem licet: ego certè veritatis patrocinium semel susceptum invictus retinebo.



Sul-

SUlpitia est tibi culta tuis, Mars magne, Calēdis:
Spectatum è cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu violente caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum vult exurere Divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim, subsequiturque decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Urit, seu Tyriâ voluit procedere pallâ,
Urit, seu niveâ candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olētibus arvis

Cul-

OBSERVATIONES.

CARM. 2. v. 1. *tibi culta*] Honori tuo videlicet. Infra carm. 6. ad Junonem:

Tota TIBI est hodie, TIBI se lætissima compsit.

Terentius. Heautontimor. Act. 2. sc. 2.

Sine auro tum ornatam; ita uti quæ ornantur SIBI.

v. 4. *Ne tibi miranti*] Tanta est pulchritudo Sulpitiæ, ut si propiùs eam spectes, remissis digitis præ stupore, hastam effluere necesse sit. Ovidius Epist. Paridis v. 251.

Dum stupeo visis, (nam pocula forte tenebam)
Tortilis è digitis excidit ansa meis.

v. 10. *veneranda*]. Vide quæ observav. ad Eleg. 8. l. 1. v. 56.

v. 15. *Sola puellarum*] Ita locutus Catull. carm. 1.

Jam tum, cum ausus es unus Italorum.

V 4. CARM.

Cultor odoratæ dives Arabs segetis:
Et quascumque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos Pierides festis cantate Calendis,
Et testudineâ Phœbe superbe lyrâ.
Hoc solenne sacrū multos consummet in annos;
Dignior est vestro nulla puella choro.

CARMEN III.

Sulpitia conqueritur Cerinthum suum studio venationis abesse.

PArce meo juveni, seu quis bona pascua campi,
Seu colis umbrosi devia montis aper.
Nec tibi sit duros acuisse in prælia dentes.
Incolumem custos hunc mihi servet Amor!
Sed procul abducit venandi Delia curâ.
O pereant silvæ, deficianteque canes!
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
Claudentem teneras lædere velle manus?

Quid-

OBSERVATIONES.

CARM. III. v. 3. *Nec tibi sit duros*] Subaudi *potestas*. Horatius Sat. 5. l. 1.
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.
Propertius Eleg. 8. l. 2.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis.
Ubique Ἐλλειπτικῶς.

v. 5. *Delia*] Diana venationis Dea, non Delia Tibulli amica. Virgil. Eclogâ 7.
Setosi caput hoc apri tibi, DELIA, parvus,
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.

v. 19.

Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
  Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat Cerinthe vagari,
  Ipsa ego per montes retia torta feram:
Ipsa ego velocis quæram vestigia cervi,
  Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi tunc placeant silvæ, si lux mea tecũ
  Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
  Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper.
Tunc sine me sit nulla Venus; sed lege Dianæ
  Caste puer castâ retia tende manu.
Et quæcumque meo furtim subrepit amori,
  Incidat in sævas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
  Et celer in nostros ipse recurre sinus.

CARMEN IV.

Ad Phœbum, ut Sulpitiam ægrotantem saluti restituat.

HUc ades, & teneræ morbos expelle puellæ,
  Huc ades intonsâ Phœbe superbe comâ.
Cre-

OBSERVATIONES.

v. 19. *Tunc sine me*] Libentiùs legerem: *Nunc sine me*. Ait nempe Sulpitia: Quandoquidem tecum esse non possum, nulla saltem tecum sit.

v. 21. *furtim subrepit*] Verbum insidiarum. Catul. carm. 76.

Siccine SUBREPSTI mî, atque intestina perurens,
Mi misero eripuisti omnia nostra bona?

CARM. IV. v. 1. *morbos expelle*] Græ-

Crede mihi propera, nec te jam Phœbe pigebit
Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color;
Et quodcũque mali est,& quidquid triste timemus
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte veni,tecumque feras quicumque sapores;
Quicumque & cantus corpora fessa levant.
Neu juvenem torque, metuit qui fata puellæ,
Votaque pro dominâ vix numeranda facit.
Interdum vovet, interdum quòd langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba Deos.
Pone metum Cerinthe, *Deus non lædit amantes.*
Tu modò semper ama, salva puella tibi est.
Nil opus est fletu, lacrymis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est: te solum candida secum
Cogitat, & frustra credula turba sedet.
Phœbe fave: laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.

Jam

OBSERVATIONES.

Græcis Phœbus est θεὸς ἀλεξίκακος, Deus malorum depulsor, Latinis averruncus.

v.9. *sapores*] Herbarum succi. Non alio nomine mustum appellavit Eleg. 8. L. 1.

Illi jucundos primùm matura SAPORES.
Expressa incultis uva dedit pedibus.

v.20. *credula turba sedet*] Aut circa lectulum ægrotantis, aut in ædibus Deorum, preces pro dominâ fundens, ut sic ab illâ gratiam ineat, sed frustra: nam tibi, ô Cerinthe, totum animum addixit.

CARM.

Jam celeber, jam lætus eris, cum debita reddet
Certatim sanctis lætus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba Deorum:
Optabunt artes & sibi quisque tuas.

CARMEN V.

Sulpitia Cerinthi natalem celebrat.

QUi mihi te Cerinthe dies dedit, hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias, juvat hoc, Cerinthe, quòd uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, tua per dulcissima furta,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo,
Magne Geni cape thura libens, votisque faveto,
Si modò, cum de me cogitat, ille volet.

Quòd

OBSERVATIONES.

CARM. V. v. 2. *inter festos semper habendus erit*] Virgilius 5. Æneidos:

Jamque DIES, ni fallor, adest, quem SEMPER acerbum,
SEMPER honoratum (sic Dii voluistis) HABEBO.

V. 10. *volet*] Efflictim deperibit. Supra Eleg. 3. l. 2.

Nullus erat custos, nulla exclusura VOLENTES
Janua ——

Martialis Epig. 59. lib. 11.

Cum me VELLE vides, tentumque, Telesphore, sentis,
Magna rogas ——

V. 13.

Quòd si fortè alios jam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis injusta Venus; vel serviat æquè
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva:
Sed potiùs validâ teneamur uterque catenâ,
Nulla queat posthac quam soluisse dies.
Optat idem juvenis quod nos, sed tutiùs optat,
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu natalis quoniam Deus omnia sentis,
Annue; quid refert clamne, palamve roget?

CARMEN VI.

Ad Junonem pro mutuis amoribus Cerinthi, & Sulpitiæ.

NAtalis Juno sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu.
Tota

OBSERVATIONES.

v. 13. *vel serviat æquè*] Simile desiderium Phædriæ apud Terent. Eun. Act. 1. sc. 2.
— *O Thais Thais, utinam esset mihi*
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem ac mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem!
Qui enim contemnere incipit, amoris vinculo solutus videtur.

v. 17. *tutiùs optat*] Ad fugiendam invidiam, cui procul dubio esset obnoxius, si vulgo innotesceret eum amoribus patritiæ feminæ detineri.

CARM. VI. v. 1. *Natalis Juno*] Ut maribus nascentibus Genium, sic mulieribus Junonem adesse vana sibi persuasit antiquitas. vide interpretes ad illud Maronis Eclogâ 4.
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

v. 9.

Tota tibi eſt hodie, tibi ſe lætiſſima compſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.
Illa quidem ornandi cauſas tibi, Diva, relegat;
Eſt tamen, occultè cui placuiſſe velit.
At tu ſancta fave, ne quis divellat amantes;
Sed juveni quæſo mutua vincla para.
Sic bene compones; ulli non ille puellæ
Servire, aut cuiquam dignior illa viro.
Nec poſſit cupidos vigilans deprendere cuſtos,
Fallendique vias mille miniſtret Amor.
Annue, purpureâque veni perlucida pallâ.
Ter tibi fit libo, ter, Dea caſta, mero.
Præcipit & natæ mater ſtudioſa, quod optat,
Illa aliud tacitâ jam ſua mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ,
Nec, liceat quamvis, ſana fuiſſe velit.
Sit juveni grata, adveniet cum proximus annus.
Hic idem votis jam vetus eſſet amor.

CAR-

OBSERVATIONES.

v. 9. *Sic bene compones*] Metaphora ducitur à gladiatoribus, qui *componi* dicebantur, cum ſimul pugnabant. Petronius pariter de re amoris: *Ego ſic jam paria COMPOSUERAM, ut ſi depugnandum foret, ipſe cum Quartilla conſiſterem, Aſcyltos cum ancilla, Giton cum virgine.*

v. 15. *Præcipit & natæ*] Dictat filiæ genitrix voti formulam, & rationem: illa tamen aliud ore, aliud mente precatur.

v. 16. *Jam ſua*] Quæ propter ætatem jam poſſit natare ſine cortice, ſui juris & arbitrii facta.

v. 18. *ſana*] Cupidinis laqueo expedita. Ovid. Remed. Amoris:
Diſcite SANARI, per quem didiciſtis amare.

v. 20. *jam vetus eſſet amor*] Scaliger teſtatur ita ſcriptum exſtare in ve-

CARMEN VII.

Sulpitia de honesto Cerinthi amore.

TAndem venit Amor, qualem texisse pudori,
Quàm nudasse alicui sit mihi, fama, magis.
Exorata meis illum Cytherea Camœnis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.
Exsolvit promissa Venus. mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse sua.
Non ego signatis quidquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quàm meus ante, velim.
Sed peccasse juvat; vultus componere famæ
Tædet. cum digno digna fuisse ferar.

CAR-

OBSERVATIONES.

veteri libro, sed sententia sit obscura. Melius vulgati Codd.

Sit juveni grata: adveniet cum proximus annus
Hic idem votis jam vetus adsit amor.

Cupit novellum amorem lapsu temporis veterem, ac firmiorem fieri.

CARM. VII. v. 5. *mea gaudia narret*] Ostendit se rumores nihili facere, quandoquidem ii solùm aliena gaudia reprehendere solent, qui suis potiri nequeunt; & est modus irridendi.

v. 8. *ne legat id nemo*] Iterata negatio pro simplici. Virgilius Eclogâ 5.

— nulla neque amnem
Gustavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Propertius Eleg. 14. l. 2.

Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras.

v. 10. *cum digno digna fuisse ferar*] Similia Horatius. Carm. 1. Ode 27. ad Opuntiæ Megillæ fratrem:

— Quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus; ingenuoque semper
Amore PECCAS —

Ovidius quoque ad gustum poëtæ nostri Epistolâ Helenæ:

Illa bene erravit, culpamque auctore redemit.

CARM.

CARMEN VIII.

Dolet Sulpitia, quòd sibi rus eundum sit natali Messalæ.

INvisus natalis adest, qui rure molesto,
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellis,
Atque Eretino frigidus annus agro?
Jam nimiùm Messala mei studiose quiescas,
Non tempestivæ sæpe propinque viæ.
Hìc animum, sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamvis non finis esse meo.

CARMEN IX.

Tibullus ad Messalam de Sulpitiâ.

SCis iter ex animo sublatum triste puellæ,
Natali Romæ jam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi fortè venit.

CARM.

OBSERVATIONES.

CARM. VIII. v. 7. *Hìc animum, sensusque meos*] Euclio ille avarissimus apud Plautum Aulul. Act. 2. sc. 2. simile quiddam experiri fatetur:

Nunc domum properare propero: nam egomet sum hìc, ANIMUS domi est.

Sanè amantibus, & avaris ex æquo convenit,

CARM.

CARMEN X.

Sulpitia de nimiâ Cerinthi securitate conqueritur.

GRatum est, securus multum quòd jā mihi de me
  Permittis subitò, ne malè inepta cadam.
Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo
  Scortum, quàm Servî filia Sulpitia.
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
  Ne credam ignoto, maxima causa, toro.

CARMEN XI.

Sulpitia ægrotans ad Cerinthum.

EStne tibi Cerinthe tuæ placiture puellæ,
  Qui mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
  Optarim, quàm te si quoque velle putem.
Ah mihi quid prosit morbos evincere, quòd tu
  Nostra potes lento pectore ferre mala?

CARM.

OBSERVATIONES.

CARM. X. v. 1. *Gratum est*] Dictum εἰρωνικῶς; re verâ enim Sulpitiæ displicebat ea Cerinthi securitas, quam contemptus filiam existimabat.

v. 3. *cura togæ*] Togatæ ac libertinæ mulieris.

v. 4. *Servî filia Sulpitia*] Loquitur de se ipsâ, ut de tertiâ personâ.

v. 5. *Solliciti sunt pro nobis*] Rivales tui me pluris faciunt, quàm tu, diligentius enim observant, quid agam.

Ibid. *illa*] Nimirùm *Sulpitia*. persistit in commutatione personæ.

v. 6. *maxima caussa*] Hæc ad ipsum Cerinthum, casu vocandi. Primus omnium Scaliger hujus Epigrammatis sententiam probè assecutus est.

CARM.

CARMEN XII.

Eadem ad eumdem.

NE tibi sim, mea lux, æquè tam fervida cura,
Ut videor paucos ante fuisse dies,
Si quidquam totâ commisi stulta juventâ,
Cujus me fatear pœnituisse magis,
Hesternâ quàm te solum quòd nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

CARMEN XIII.

Tibullus amicæ pollicetur se ab ejus amore numquam discessurum.

NUlla tuum nobis subducet femina lectum:
Hoc primùm jūncta est fœdere nostra Venus.
Tu mihi sola places, nec jam, te præter, in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam posses uni mihi bella videri!
Displiceas aliis, sic ego tutus ero.
Nil opus invidiâ est, procul absit gloria vulgi:
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
Quà nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atrâ
Lumen, & in solis tu mihi turba locis.

Nunc licet è cælo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Venus.
Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ sola ante alios est mihi magna Deos.
Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.
Juravi stultè; proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audaciùs ures:
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Jam faciam quodcũque voles:tuus usque manebo,
Nec fugiam notæ servitium dominæ.
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras;
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

CARM.

OBSERVATIONES.

CARM. XIII. v. 13. *Nunc licet è cælo*] Idem ferè sentiebat Cephalus Ovidianus l. 7. Metamorph. Ejus verba sunt ad Phocum:

Cum me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea manè videt pulsis Aurora tenebris:
Invitumque rapit. liceat mihi vera referre,
Pace Deæ, quòd sit roseo spectabilis ore,
Quòd teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quòd alatur aquis; ego Procrin amabam,
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.

v. 15. *Hæc tibi*] Fortasse: *Per tibi*, quod sensus videtur postulare.

v. 17. *Quid facio demens*] Virgilius Ecloga 2. *Eheu quid volui misero mihi?*

Ibid. *mea pignora cedo*] Si quidem puellæ timorem juramento adimo, qui solus eam poterat in officio continere.

v. 19. *fortis*] Idest superba, & nihil non in amantem sibi permittens. Supra Eleg. 5. l. 1.

At mihi nunc longe gloria FORTIS abest.

v. 23. *Sed Veneris sanctæ*] Ubi tu immodicè sævies, ego, quod unicum auxilium mihi relictum est, ad Veneris templum supplex confugiam, & religione me tutabor.

CARM.

CARMEN XIV.

De infamia suæ puellæ.

RUmor ait crebrò nostram peccare puellam:
 Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine ficta dolore.
 Quid miserum torques rumor acerbe? tace.

OBSERVATIONES.

CARM. XIV. v. 4. *Quid miserum torques*] Ovidius aperte in hanc sententiam Amorum 3. Eleg. 14.

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recusem,
 Sed ne sit MISERO scire necesse mihi.

FINIS.



Nonnulli Codices duo Epigrammata Tibullo adscribunt, quæ inter Priapeja leguntur. Horum alterum oculis tuis expono, pudice lector; alterum incipiens: Quid hoc novi est? quid ira nuntiat Deûm? *ob profligatam argumenti nequitiam consultò subduco. Satius enim est malè mereri de litteris, quàm de moribus.*

VIllicus ærarî quondam, nunc cultor agelli;
Hæc tibi Perspectus templa Priape dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse velis:
Improbus ut si quis nostrum violarit agellum,
Hunc tu, sed taceo: scis puto, quod sequitur.



SEX. AURELII PROPERTII UMBRI LIBRI IV.



SEXTI AURELII PROPERTII

UMBRI MONO'BIBΛΟΣ, seu vulgò ELEGIARUM

LIBER I.

OBSERVATIONES.

* MONO'BIBΛΟΣ] Hunc genuinum titulum quarti libri Propertiani fuisse censet Justus Lipsius Var. Lect. l. 1. c. 16. quòd nimirùm tres priores nugas tantum & amores contineant, ultimus ille materiam singularem, & graviorem. Ego tamen cum Josepho Scaligero crediderim primo libro tribuendum, id suadentibus Martialis Apophoretis, in quibus cuidam Disticho hujusmodi lemma præfigitur, *Propertii monobiblos*; ipsum vero Distichon tale est:

CYNTHIA *facundi carmen juvenile PROPERTI.*
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Adde quòd vicissim & in prioribus gravia tractantur, ut l. III. Eleg. V. VII. IX. XVI XX. & in quarto levia, ut Eleg. III. V. VII. VIII. Quamobrem Lipsii ratio nulla est. Primus autem liber diverso quodam ab aliis genio, & charactere conscriptus videtur, cum in eo poëta Umber polisyllabis vocibus Pentametrum versum frequentius claudat, more Græcorum: in cæteris rariùs.

ELEGIA I.

Ad Tullum; *se Cynthiæ amore primùm captum fatetur, adversùs quem remedia quærit.*

CYnthia prima suis miserum me cepit ocellis,
  Contactum nullis ante cupidinibus,
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus,
  Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Do-

OBSERVATIONES.

ELEG.I.v.1. *me cepit ocellis*] Venusta phrasis, & ingenio Propertii dignissima. Ducitur verò metaphora ab aucupibus, qui pedicis, laqueis, visco instructi incautis alitibus insidiantur. Hujus generis locutiones non semel invenias apud probatos Latinæ linguæ scriptores. Elegantissime Phædrus Augusti libertus fab. 5. l. 4.

Quidam decedens tres reliquit filias:
Unam formosam, & OCULIS venantem viros.

Quod ab illis Plautinis desumptum apparet Mil. Glor. Act. 4. sc. 1.

Viden' tu illam OCULIS venaturam facere, atque aucupium auribus?

licet eorum sententia non ad allicientem feminam, sed ad explorantem pertineat. Hujusmodi oculos recte quis vocet *fascinantes*. Virgilius Ecl. 3.

Nescio quis teneros OCULUS mihi fascinat agnos.

Amor enim quoddam genus est veneficii.

v.3. *dejecit lumina fastus*] Fortasse Propertius eâ corporis pulchritudine præditus erat, ut mulierum imperio parere dedignaretur: multoque præstabilius judicabat rogari, quàm rogare. Notum illud Juvenal. de puero ministrante Sat. 5.

---- sed forma, sed ætas
Digna supercilio ----

Quò spectant illa Catulli carm. 60. v. 136.

Sordebant tibi villicæ,
Concubine, hodie, atque heri.

& magis Tibulli carm. 5. l. 4. de Cerintho formoso juvene, quem Sulpitia depetibat:

Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna SUPERBA tibi.

Constat certe, Propertium feliciter sæpenumerò cum amore pugnasse,

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo vivere consilio;
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Cum tamen adversos cogor habere Deos.
Minalion nullos fugiendo, Tulle, labores,
Sævitiam duræ contudit Iasidos;
Nam modò Partheniis amens errabat in antris,
Ibat.

OBSERVATIONES.

se, donec à Cynthia victus est. Horus Mathematicus ita ipsum alloquitur Eleg. 1. l. 4.

Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.

v. 5. *castas odisse puellas*] Quæ idcircò minus obsequentes amantibus. Non placet Barthius, qui τὸ *castas puellas* de Musis dictum accipit, quasi Propertius amore interveniente poëticis deliciis nuncium remisisset: contrarium enim ipse nos docet Eleg. 1. l. 2. ubi materiam carminum suorum ex amoribus potissimum deductam apertè fatetur. Musis autem adeò integram virginitatem videtur negare Eleg. 21. ejusdem libri, ubi sic ad Cynthiam:

Nec tu virginibus reverentia moveris ora;
Hic quoque non nescis quid sit amare chorus.
Si tamen Oeagri quædam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.

v. 6 *nullo vivere consilio*] Seneca interpres esto in ipso vestibulo libri de vitâ beatâ: *Quamdiu quidem*, inquit, *passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum & clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur VITA inter errores, brevis, etiamsi dies noctesque bonæ menti laboremus.* At in hujus bonæ mentis sacrarium serò se recepit Propertius, postquàm ætatem cessando, & scortando exegerat. v. Eleg. ult. l. 3. Amorem *sine consilio esse* testis fuerit servulus ille frugi apud Terent. Eunucho; nihil igitur mirum, si ejus auditores temeritatem & inconstantiam vivendi è cæco magistro quotidie discant. Vide adagium, *nullo scopo jaculari*.

v. 7. *toto non deficit anno*] Ita dixit, quomodò alibi: *tota nocte receptus: tota nocte hospitium paravit: totas expectat in horas*, & si qua sunt alia.

v. 12.

Ibat & hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam;
Tantùm in amore preces, & benefacta valent!
In me tardus Amor non ullas cogitat artes:
Nec meminit notas, ut priùs, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:
En agedum dominæ mentem convertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.

Tunc

OBSERVATIONES.

v. 12. *videre feras*] τὸ *videre* significat hoc loco formidinem, quâ concutimur ad aspectum rei tristis, & metuendæ. Ita Virg. 3. Æneid.

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quàm semel informem vasto VIDISSE sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.

& infra:

Vix ea fatus erat, summo cum monte VIDEMUS
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum ——

& 5. Æneid.

Quid si quis cestus, ipsius & Herculis arma
VIDISSET, tristemque hoc ipso in litore pugnam?

& 6. Æneid.

Cocyti stagna alta VIDES, Stygiamque paludem:

frustra igitur sunt, qui hunc locum, quasi dubiæ sanitatis, tentantes, *ferire* supponebant.

v. 17. *in me tardus Amor*] Aut valde me fallit animus, aut hæc est verissima poetæ sententia: Ignavus Cupido, licet me usu mancupioque suum habeat, tamen circa me inaniter cunctatur, nec novam sibi prædam quærit, ad alios proficiscens. vide Eleg. 9. l. 2. simul Ovid. Amor. 2. Eleg. 9.

v. 21. *mentem convertite*] infra Eleg. 15. *Quarum nulla tuos potuit CONVERTERE mores.*

v. 31.

Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cytæinis ducere carminibus.
Et vos, qui serò lapsum revocatis, amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sævos patiemur & ignes:
Sit modò libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Quà non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore desit Amor.
Hoc, moneo, vitate malū. sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quòd si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

ELEGIA II.

Pluribus exemplis Cynthiam dehortatur à nimio formæ cultu.

QUid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coâ veste movere sinus?

Aut

OBSERVATIONES.

v. 31. *vos remanete*] Sumpsit Ovidius de remedio Amor.
Si quis amat, quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, & vento naviget ille suo.
At si quis malè fert indignæ regna puellæ,
Ne pereat, nostræ sentiat artis opem.

ELEG.

Aut quid Orontea crines perfundere myrrhâ?
  Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu,
  Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ est.
  NUDUS Amor formæ non amat artificem.
Aspice quos summittit humus formosa colores,
  Et veniant ederæ sponte suâ meliùs:
Surgat & in solis formosiùs arbutus antris,
  Et sciat indociles currere lympha vias.

Li-

OBSERVATIONES.

ELE. II. v. 6. *nec sinere in propriis*] Bona membrorum appellat, quæ Ovidius 2. de Arte corporis bona vocavit:

Ingenii dotes corporis adde BONIS.
Forma BONUM fragile est.

porrò in hanc sententiam scripsit Tibullus Eleg. 10. l. 1.

Almonui quoties, auro ne pollue formam!
Sæpe solent auro multa subesse MALA.

i. e. illepida, invenusta, quæ idcircò auro & gemmis teguntur, ne spectatoribus nauseam creent, aut saltem emptoribus minùs probari possint. V. Lucianum in Amoribus, ubi ad rem plurima.

v. 7. *medicina figuræ est.*] Eâ formâ per te polles, ô Cynthia, ut quidquid conferas ad illam expoliendam, potiùs dehonestet. Huc loci revoco Plautina illa Mostell. Act. 1. Sc. 3.

PHIL. Cedo cerussam. SC. quid cerussa opus est? PHIL. nam qui malas oblinam.
SC. Una opera ebur atramento candefacere postules. & infra:
PHIL. Tum tu igitur cedo purpurissam. SC. non do. scita es tu quidem,
Nova pictura interpolare vis opus lepidissimum.

v. 9 *colores*] Eâ ratióne hîc posuit colores pro floribus, quâ l. 2. Eleg. 20. odores pro unguentis:

Spirabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.

odores enim facere, quid aliud est, quàm unguentariam exercere, myropolam agere?

v. 12. *indociles*] Quas ipsa suâ spon-

Litora nativis pellucent picta lapillis;
Et volucres nullâ dulciùs arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Thelayra soror:
Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamîa rotis.
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgò conquirere amantes;
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis:
Uni si qua placet, culta puella sat est.

Cum

OBSERVATIONES.

sponte didicit, nullo doctore.

V. 13. *Litora nativis &c.*] Pulchrè Juvenalis 3. Satyrâ:

— quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?

quæ fortasse hausit ab Ovidio l. 3. Metamorph.

— in extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla: simulaverat artem
Ingenio natura suo. nam pumice vivo,
Et levibus tophis NATIVUM duxerat arcum.
Fons sonat a dextra tenui pellucidus unda,
Margine gramineo patulos succinctus hiatus.

V. 19 *falso candore*] Arte quæsito. v. Eleg. 22. l. 3. Contra Terentius Eunucho, Act. 2. Sc. 3. PAR. *quid tua isthæc?* CH. *nova figura oris.* PAR. *papæ!* CH. *COLOR VERUS, corpus solidum, & succiplenum.*

V. 24. *illis ampla satis &c*] Bonos mores ad veram pulchritudinem comparandam magis prodesse, quàm corporis cultum, & muliebres munditias, veterum Socrati-

Cum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopêa lyram:
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

Elegia III.

Narrat se Cynthiam dormientem reperisse, sed excitare non ausum esse.

Qualis Theseâ jacuit cedente carinâ
Languida desertis Gnossia litoribus:
Qualis & accubuit primo Cepheïa somno,
Libera jam duris cotibus Andromede:

Nec

Observationes.

ticorum opinio fuit.

v. 30 *quæque Venus &c.*] In quibus modestia, & venustas pariter collucerit. Non abit Petronius Arbiter, ubi de puero Gitone: *multaque alia moderationis, verecundiæque VERBA, quæ formâ ejus egregiè decebant* facit etiam Catul. c. 60. *neque te VENUS negligit.* Tibullus quoque Sulpitiam laudans: *Illam quicquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim, subsequiturque decor.*

ELEG. III. v. 1. *Qualis Thesea*] Usus est hac fabularum congerie Sulmonensis poëta Umbri nostri perpetuus æmulator, Amorum 1. Eleg. 10.

QUALIS ab Eurota Phrygiis avecta carinis
Conjugibus belli caussa duobus erat:
Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
Callidus in falsa lusit adulter ave:
Qualis Amymone siccis errabat in agris,

Cum

Nec minùs assiduis Edonis fessa choreis
  Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
  Cynthia, non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
  Et quaterent serâ nocte facem pueri.
Hanc ego, nondũ etiam sensus deperditus omnes,
  Molliter impresso conor adire toro.
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
  Hàc Amor, hàc Liber, durus uterque Deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
  Osculaque, admotâ sumere & arma manu:
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
  Expertæ metuens jurgia sævitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

Et

OBSERVATIONES.

Cum premeret summi verticis urna comam:
Talis eras.

V. 10. *quaterent facem*] Catul. c. 60. *manu Pineam QUATE tædam.* & hoc est ventilare. Propertius ipse l. 4. Eleg. 3. *Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.*

V. 11. *nondum etiam sensus &c.*] Modica enim ebrietas libidinem excitare solet, immodica obruere. Audi Ovid. de remed. Amor.

Vina parant animos Veneri, nisi plurima sumas,
Ut stupeant multo corda sepulta mero.
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat: si qua est inter utramque, nocet.

V. 14. *durus uterque Deus*] Imperiosus, & cui dicto audientem esse oporteat. Hinc Ovid. *Nox, & Amor, vinumque nihil moderabile suadent; Illa pudore vacat, Liber, Amorque metu.* & Juven. Sat. 6. *quid enim Venus ebria curat?*

V. 21.

Et modò solvebam nostrá de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus:
Et modò gaudebam lapsos formare capillos;
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus:
Omniaque ingrato largibar munera Somno,
Munera de prono sæpe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam.
Donec diversas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis reppulit è foribus.

Nam-

OBSERVATIONES.

v.21. *corollas*] Et hoc argumentum temulentiæ. Valerius Maximus l. 6. c. 9 ita describit Polemonem Xenocratis auditorium intrantem: *vino gravis, unguentis delibutus, fertis capite redimito*. Multa exempla hujus consuetudinis passim auctores suppeditant.

v. 24. *furtiva poma*] Scio disputatum olim ad Lipsii mensam (ut ipse refert Antiq. Lectionum l. 3.) quænam essent poma ista, de quibus ebriolus noster lepidè meminit. Antonius Deinius unus ex convivis, vir elegantis ingenii, nequitiam hìc latere suspicatus est: à quo tamen, si fas, longe dissentio; adverto etenim sequens distichon scholion esse præcedentis versiculi:

Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono sæpe voluta sinu.

Quid aliud, amabo, hæc *munera*, quàm poma ipsa in arbore nata, ob rotundam figuram nullo negotio decurrentia? Catullus adstipula-

Namque ubi longa meæ consumpsti tẽpora noctis
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes!
Nam modò purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus & Orpheæ carmine fessa lyræ.
Interdum graviter mecum deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras.
Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis,
Illa fuit lacrymis ultima cura meis.

ELE-

OBSERVATIONES.

latur, neque ampliùs dubio locum relinquit c. 64.

Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio.
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decursu.

en liquidissimè asserta nostra sententia. At, nescio quo pacto, elegantioris litteraturæ studiosos jam pridem invasit pessimum vitium, ambigua omnia in deteriorem partem trahendi.

v. 35. *injuria*] Q.d. ad me demum confugis, postquàm tibi alterius fruendæ copia non est facta.

v. 37. *meæ consumpsti tempora noctis*] Conqueritur Cynthia desertum à Propertio vadimonium, quod in certam noctẽ promiserat.

v. 41. *purpureo f. st. somnum*] Non erat hoc vilium ancillarum, ut innuit Horatius Ode 18. l. 2.

Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ PURPURAS clientæ.

v. 46. *ultima cura*] Gravissima. Ita Eleg. 5. hujus libri:

Infelix! properas ULTIMA nosse mala.

& Horatius citatus Ode 16. l. 1.

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ULTIMÆ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus —

Elegia IV.

In Bassum, quòd se à Cynthiæ amore abducere conaretur.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
  Mutatum dominâ cogis abire meâ?
Quid me non pateris, vitæ quodcumque sequetur
  Hoc magis assueto vivere servitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
  Spartanæ referas laudibus Hermionæ,
Et quascumque tulit formosi temporis ætas,
  Cynthia non illas nomen habere sinat:
Ne dum, si levibus fuerit collata figuris,
  Inferior duro judice turpis eat.
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
  Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
  Gaudia sub tacitâ dicere veste libet.

Quò

OBSERVATIONES.

ELEG. IV. v. 14 *Gaudia sub tacita &c.*] Quid sit *dicere gaudia*, plurimi quærunt, nemo explicat. Nonnulli audacissimâ mutandi libertate legunt *ducere*, atque ita nodum Gordium gladio scindunt. Ego verò vulgatam lectionem tueor, idem ubique facturus, nisi contumax aliquod ulcus conjecturæ medicinâ tolli postulet. *Dicere gaudia* germana locutio est illi Catullianæ c. 73. *si quis delicias DICERET*; quòd autem his turpiculis verbis nefas fuerit extra cubiculum uti, disertè indicat Juven. Sat. 6.

—— non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud:
Ζωὴ ϗ ψυχή. modò sub lodice relictis

Uteris

Quò magis & nostros cõtendis solvere amores,
Hòc magis acceptâ fallit uterque fide.
Non impunè feres: sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post hæc committet Cynthia, nec te
Quæret; erit tanti criminis illa memor.
Et te circùm omnes alias irata puellas
Differet. heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo graviùs tentatur Cynthia damno,
Quàm sibi cum rapto cessat amore Deus;
Præcipuè nostri. maneat sic semper, adoro:
Ne quidquam ex illâ, quod querar, inveniam.

ELE-

OBSERVATIONES.

Uteris in turba? —— quæ ad explicandam Propertii mentem unicè faciunt; audis enim mollissima verba: *vita & anima*; audis *lodicem*, seu vestem stragulam, sub quâ deliciæ relinquendæ. Accedat Ovidius Amor. 3. Eleg. 14.

Est qui nequitiam locus exigat: omnibus illum
Deliciis imple: sit procul indè pudor.
Hinc simul exieris, lascivia protinus omnis
Absit, & in lecto crimina pone tuo.

En tibi, *crimina in lecto ponere*, *sub lodice relinquere*, *gaudia dicere sub tacita veste*.

ELEGIA V.

Galli dementiam irridet, qui amorem Cynthiæ sibi efflagitaret.

INvide tu tandem voces compesce molestas;
  Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis insane? meos sentire furores?
  Infelix! properas ultima nosse mala:
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
  Et bibere è totâ toxica Thessaliâ.
Non est illa vagis similis collata puellis:
  Molliter irasci non sciet illa tibi.
Aut si fortè ausis non est contraria nostris,
  At tibi curarum millia quanta dabit!
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.
  Illa feros animis alligat una viros.
Ah mea contemptus quoties ad limina curres,
  Cum tibi singultu fortia verba cadent:
Et tremulus mœstis orietur fletibus horror,
  Et timor informem ducet in ore notam:
Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti,
  Nec poteris qui sis, aut ubi, nosse miser.

Tum

OBSERVATIONES.

ELEG. V. v. 8. *Molliter irasci non sciet*] Ita crudelissimus expilator Siciliæ Verres, *numquam* (si Tullio credimus Act. in eum 7.) *est cuiquam mediocriter minatus.*

v. 17. *fugient tibi verba querenti*] Pari modulo Ovid. Eleg. 7. l. 3. ex Ponto:

VER-

Tum grave servitium nostræ cogere puellæ
Discere,& exclusum quid sit abire domum.
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.
NESCIT Amor priscis cedere imaginibus.
Quòd si parva tuæ dederis vestigia culpæ,
Quàm citò de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore

Al-

OBSERVATIONES.

VERBA mihi desunt eadem tam sæpe roganti.
Id autem de se miratur Flaccus Od. 1. l. 4.
Cur facunda parùm decoro
Inter verba cadit lingua silentio?
V. 18. *aut ubi*] Si quidem amantes animo illuc feruntur, quò corpore nequeunt. Alcesimarchus apud Plaut. Cistell. Act. 2. Sc. 1.
——feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo: ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.
& Q. Catullus vetus poëta citatus ab Agellio l. 19. c. 9.
Aufugit mi animus: credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit: sic est, perfugium illud habet.
Quid si non interdixem, ne illum fugitivum
Mitteret ad se intro, sed magis ejiceret?
Ibimu' quæsitum. verùm, ne ipsi teneamur
Formido. quid ago? da Venus consilium.
V. 25. *Quod si parva &c.*] Id est, si homines, qui multum sapientiæ tuæ tribuunt, notaverint ex aliquo inditio vel minimo, te descendisse ad amatoriam levitatem. Nam, ut scitè Horat. Epod. 11.
Amantem & languor, & silentium
Arguit, & latere petitus imo spiritus. Quæ autem hìc Propertius vocat *vestigia*, inferius Eleg 18. appellat *signa*:
An quia parva damus mutato signa calore?

 v. 30.

Alter in alterius mutua flere sinu.
Quarè, quid possit mea Cynthia, desine Galle
Quærere. non impunè illa rogata venit.

Elegia VI.

Excusat se Tullo, quòd implicatus amoribus cum eo maritimum iter aggredi nequeat.

Non ego nunc Adriæ vereor mare noscere tecū
Tulle, neque Ægæo ducere vela salo:
Cum quo Riphæos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias;
Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
Mutatoque graves sæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta Deos:
Illa meam mihi jam se denegat: illa minatur,
Quæ solet irato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis.

Ah

OBSERVATIONES.

v. 30. *mutua flere sinu*] Simile quiddam legitur in fragmentis Petronii:

Naufragus ejecta nudus rate, quærit eodem
Percussum telo, cui sua fata legat.
Grandine qui segetes, & totum perdidit annum,
In simili DEFLET tristia fata SINU. &c.

ELEG. VI. v. 7. *argutat noctibus ignes*] Præter solitum blanda est: vehementiùs amorem suum querelis, & suspiriis ostentat, si fortè queat me detinere. Puto autem *arguare* idem prorsus esse ac *crepare*. Horat. Sat. 3. l 2. *Si quid Stertinius veri crepat.* Epist. 7. l. 1. *Sulcos, & vineta crepat mera.*

v. 24.

Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere divitias:
Ut mihi deductâ faciat convitia puppi
Cynthia, & insanis ora notet manibus:
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis jura refer sociis.
Nam tua non ætas umquam cessavit amori:
Semper at armatæ cura fuit patriæ.
Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Afferat, & lacrymis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit Fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis quà tendit Jonia, seu quà
Lydia Pactoli tingit aratra liquor:
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris imperii:

Tum

OBSERVATIONES.

v. 24. *lacrymis omnia nota meis*] Id est, mihi lacrymanti. Amoris incommoda exsequuntur plenissime Plautus Mercatore, Terentius Eunucho, ambo Act. 1. sc. 1. Ex illis pete.

v. 34. *accepti pars e. imp.*] Olim suspicabar hic legendum: *& accepto*

Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

Elegia VII.

Ad Ponticum Poëtam: fore ut aliquandò amans effe-ctus molles Elegos Heroicis carminibus anteferat.

DUm tibi Cadmææ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ:
Atque (ita sim felix) primo contendis Homero.
Sint modò fata tuis mollia carminibus:

Nos,

OBSERVATIONES.

propar eris imperio, idest magnitudine animi amplitudinem provinciæ, ad quam gubernandam missus es, exæquabis. Deinde mutatâ sententiâ eò recidebam, ut putarem Propertium τὸ *pars* usurpasse pro *particeps*, at nullâ scriptorum auctoritate firmare poteram opinionem meam: nisi quòd sciebam veteres Jureconsultos eodem pacto *damnas* pro *damnatus* frequenter dixisse, Terentium verò Eunuch. Act. 5. sc. 6. *satias* pro *satietas*. At hæc levia & futilia mihi videbantur. Tandem lux oborta est dubitanti, cum enim Virgilio forte fortuna manum admovissem, ad illum versiculum 7. libri Æneidos deveni:

PARS mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

nimirùm *initium fœderis*. Tunc animadvertere cœpi locum Propertii simillimum esse; si quidem Augustus Cyzicenis populi Romani *sociis*, ob gravia in Rempublicam peccata, libertatem ademerat, eoque Tullum cum imperio miserat, ut rectè observavit Boxhornius. Quamobrem Tullus erat *accepti imperii pars*, idest initium; & primus moderator Cyzicenorum, post amissam ab illis libertatem. Cæterùm apparet Cyzicenos Romano imperio jam pridem subiectos fuisse, antequàm scilicet Mithridatico bello libertate donati essent, poëta enim ita superius:

Et vetera oblitis jura refer sociis.

Cur *vetera jura*, & cur *obliti socii*? Quia olìm in potestate Romanorum, à quâ propter merita soluti fuerant, & in quam postea Cæsar Augustus illos redegerat.

ELEG.

Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quærimus in dominam.
Nec tantùm ingenio, quantùm servire dolori
Cogor, & ætatis tempora dura queri.
Hic mihi cõteritur vitæ modus, hæc mea fama est,
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctæ solum placuisse puellæ,
Pontice, & injustas sæpe tulisse minas.
Me legat assiduè post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.

Te

OBSERVATIONES.

ELEG. VII. v. 5. *nos, ut consuemus*] Ita festivissimus Anacreon:

Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης,
Ὁ δ' αὖ Φρυγῶν ἀϋτάς
Ἐγὼ δ' ἐμὰς ἁλώσεις.
Thebana bella cantas,
Phrygumque dicit alter:
Meas at ipse clades.

v. 7. *servire dolori cogor*] Nec ideò scribimus, quòd speremus opus nostrum valde probatum iri lectoribus, at potius ut curas amoris leniamus. Propertium imitatus videtur Franciscus Petrarca cultissimus poëtarum Italorum (nel Sonetto *S'io avessi pensato* p. 2.)

E certo ogni mio studio in quel tempo era
Pur di sfogare il doloroso core
In qualche modo; non d'acquistar fama.
Pianger cercai; non gia del pianto onore.

Ante utrumque verò Theocritus Idyllio 11. sic eleganter:

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον ἐμὶν δοκεῖ, οὔτ' ἐπίπαστον,
Ἢ ταὶ Πιερίδες ——
Nullum adversùs amorem exstat aliud remedium,
O Nicia, nec utiliter aliquid inungi aut inspergi posse videtur,
Præterquam Pierides ——

v. 9. *Hic mihi conteritur v. m.*] Hoc in stadio currimus, hac in palæstrâ luctamur. Infra Eleg. 11. l. 3. *Quæque TERUNT fastus, Icarioti, tuos:* idest, quæ imitantur asperum & severum vivendi modum, quo usa es, ó Penelope Icarii filia, marito absente.

v. 14. *prosint illi c. n. m.*] Sapienter Tibull. Eleg. 6. l. 3.

—— *felix quicumque dolore*

Al-

Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros evoluisse Deos.
Longè castra tibi, longè miser agmina septem
Flebis in æterno surda jacere situ:
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere sæpe poëtam:
Tunc ego Romanis præferar ingeniis.
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro:
Ardoris nostri magne poëta jaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu;
SÆPE venit magno fœnore tardus Amor.

ELE-

OBSERVATIONES.

Alterius disces posse carere tuo.
& Demea Terentianus Adelph. Act 2. sc. 4.

Inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Hoc facito, hoc fugito, hoc laudi est, hoc vitio datur.

quibus consonat Cicero Philipp. 2 initio: *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere.*

v. 18. *surda*] Id est muta, κωφὰ-χωστικῶς. vel absurda & κακόδοξα. Idem El. 3. l. 4. *Omnia SURDA tacent.* & Eleg. 5. eiusd. lib. *Ipsius sibi sit SURDA sine arte lyra.*

v 25. *cave nostra tuo c. c f*] Similis comminatio Catulli ad Calvum c. 50. *precesque nostras, Oramus, CAVE despuas.*

v. 26. *magno fœnore*] Menander in Thesauro apud Stobæum serm. 61. poetæ nostro præivit his versiculis:

Τῆς οὐσίας ὅσοις μὲν ἂν πρὸ ὥρας ἔχειν νέοις αὐτοῖσι· τοῦτο προσήκει ποιεῖν. οἱ δ' εἰς τὸ γῆρας ἀναβολὰς ποιούμενοι οὗτοι προσαποτίνουσιν ἐρᾶν, ΤΟΚΟΥΣ.

Quibus opes sunt ampliores
Juvenibus adhuc, amori indulgere jubeas:
Qui verò ad senectutem rem differunt,
Illi insuper solvunt longi temporis USURAM.

Hujusmodi senem amore insanientem graphicè describit lepidissimus.

Te-

ELEGIA VIII.

Expostulat primò cum Cynthia, prætorem quemdam in Illyriam proficiscentem secuturâ: deinde lætatur, quòd eam à proposito precibus, & blanditiis averterit.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelidâ vilior Illyriâ?
Et tibi jam tanti, quicumque est, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti?
Fortis & in durâ nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcare pruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,

Et

OBSERVATIONES.

Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem &c.

lege reliqua.

ELEG. VIII. v. 5 *Tune audire potes*] Poteris sanè, ó Properti, dummodò libidini suæ morem gerat; etenim feminæ,

justa pericli
Si ratio est, & honesta, timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum est conscendere NAVIM;
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer:
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. illa maritum
Convomit, hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

Juvenal. Sat. 6. v. 96.

v. 8.

Et sit iners tardis navita Vergiliis!
Ne tibi Tyrrhenâ solvatur funis arenâ,
Neve inimica meas elevet aura preces.
Et me defixum vacuâ patiatur in orâ
Crudelem infestâ sæpe vocare manu.
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates.
Sed quocumque modo de me, perjura, mereris,
Sit Galatea tuæ non aliena viæ:
Ut te felici prævecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos æquoribus.
Nam me non ullæ poterunt corrumpere, de te
Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam: licet Atraciis considat in oris,
Et licet Eleis, illa futura mea est.

Hic

OBSERVATIONES.

v. 8. *insolitas nives*] Quas Romæ numquam experta fueris, ubi aër tepidus & mitis.

v. 14. *infesta manu*] Genis interdolendum laceratis. supra Eleg 6 — *& insanis ora notet MANIBUS*.

v. 15. *tales subsidere ventos*] Qui nunc mare possident, & navigantibus viam intercludentes, desiderio meo favent. Quid sit in hoc loco *subsidere* Virgil. explicabit 7. Æneid.

Cum VENTI posuere, omnisque repentè RESEDIT
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.

v. 17. *quocumque modo*] Infra Eleg. 19. l. 5.

Qualiscumque mihi tuque puella vale.

v. 21. *corrumpere*] Allicere, atque à fide, quam tibi debeo, avertere. Ovid. Amor. 2. Eleg. 4. *CORRUMPOR utraque*.

v. 29.

Hic erit, hìc jurata manet. rumpantur iniqui.
Vicimus: assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor;
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego, & per me carissima Roma
Dicitur: & sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocumque modo maluit esse mea:
Quàm sibi dotatæ regnum vetus Hippodamîæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo:
Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.

Nunc

OBSERVATIONES.

v. 29. *falsa gaudia*] Vide quæ annotavimus ad Eleg. 3. l. 3. Tibulli. v. 20.

v. 41. *Sunt igitur Musæ*] Tibull. Eleg. 6. l. 1. *SUNT numina amanti*. Statius Papinius Soteria pro Rutil. Gallico: *ESTIS io superi*. Antiquorum autem ea fuit levitas, & desultoria pietatis ratio, ut pro arbitrio numina statuerent, pro arbitrio tollerent. Si quid ex animi sententiâ evenisset, id ope Deorum se consecutos existimabant, ut hìc Propertius, & reliqui citati: si verò novum occurrisset infortunium, vel Deos incusabant quasi auctores, vel omnino esse negabant. Exempla dabo utriusque insaniæ. Prioris. Virg. Eclog. 5.

Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater,

à quo Tibull. Eleg. 4. l. 1.

Crudeles Divi! serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.

Hæc

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.
Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducet amores.
Ista meam norit gloria canitiem.

ELEGIA IX.

Pontico insultat, amore, quem antea contempserat, deflagranti.

DIcebam tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuò libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellæ,
Et tibi nunc quovis imperat empta modo.

Non

OBSERVATIONES.

Huc spectant verba Corn. Taciti lib. 1. Historiarum: *Nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus, magisve justis judiciis approbatum est, non esse curæ Deis securitatem nostram: esse ultionem.* Posterioris. Calvus in Epigrammate:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo. quis putet ESSE Deos?

Ovid. Amorum 3. Eleg. 3:

ESSE Deos credamne? fidem jurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.

Idem Eleg. 9. ejusd. libri.

Cum rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos ESSE putare Deos.

Vide Annæum Senecam de Providentiâ. Claudianum lib. 1. in Rufinum.

ELEG. IX. v. 4. *empta*] Ancillam loco dominæ habes. Hujusmodi fatuos Romani per sannam *ancillariolos* appellabant. Martialis Epig. 58. l. 12.

Ancillariolum tua te vocat uxor, at ipsa
Lecticariola est. estis, Alauda, pares.

O par conjugum elegans! alter verbere sectis corporibus mirum in modum afficiebatur: altera vices marito rependens, amplexus suos

in

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere, quos juvenes quæque puella domet.
Me dolor, & lacrymæ meritò fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nūc misero prodest grave dicere carmē,
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero:
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.
I quæso, & tristes istos depone libellos,
Et cane quod quævis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.
Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Hæc est venturi prima favilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernæ vincula nosse rotæ:
Quàm pueri toties arcum sentire medullis,
Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus Amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Ut non alternâ presserit ille manu.
Nec te decipiat, quòd sit satis illa parata;
Acriùs illa subit, Pontice, si qua tua est.

Quip-

OBSERVATIONES.

in crucem mittebat, ut cum Petronio loquar. quid enim aliud servi lecticarii, quàm cruciarii meri?

v. 26. *acriùs illa subit*] Ovidius & in Artibus:

l. 10. Metamorph. de Apolline amante:

— *longaque alit assuetudine flammas.*

Exc

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor;
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas aufuge blanditias.
Illis & silices, & possunt cedere quercus:
Ne dum tu possis spiritus iste levis.
Quare, si pudor est, quamprimùm errata fatere:
Dicere quo pereas sæpe in amore juvat.

ELEGIA X.

Gratum se profitetur Gallo, quòd ab eo sacris Cupidinis adhibitus fuerit: præcipit deinde, quibus artibus amorem servet.

O Jucunda quies, primo cum testis amori
Affueram vestris conscius in lacrymis!
O

OBSERVATIONES.

Fac tibi consuescat: nihil assuetudine majus.
Profectò exitiale videtur, cum periculis familiariter jocari.

V. 29. *donec manus attigit ossa*] Non est novum à poëtis *manum*, & dexteram usurpari pro cædis instrumento. Sufficiat unus Virgilius, qui 1. Æneid.

— mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?

& 2. *— & si fata fuissent*
Ut caderem, meruisse MANU.

sed cesso à re vulgari.

V. 32. *spiritus iste levis*] Talis versiculus Ovidii Amor. 2. El. 15.
Et peragam partes annulus ille viri.

V. 34. *Dicere quo pereas*] Vel quòd abscondito vulneri nulla medicina possit adhiberi, & ideò retegendum sit: vel quòd Amor mitius agat cum humilibus, & se victos fatentibus. Tibull. Eleg. 9. l. 1.

Desine dissimulare: Deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.

Vide

O noctem meminisse mihi jucunda voluptas
O quoties votis illa vocanda meis!
Cum te complexâ morientem, Galle, puellâ
Vidimus, & longâ ducere verba morâ,
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cælo Lunaруberet equis:
Non tamen à vestro potui secedere lusu;
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solùm vestros didici reticere dolores:
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.
Possum ego divisos iterũ conjungere amantes,
Et dominæ tardas possum aperire fores,
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec levis in verbis est medicina meis.

Cyn-

OBSERVATIONES.

Vide ibi observationes nostras.

ELEG. X. v. 12. *lætitiæ*] Honeste hoc nomine rem Veneris obnubit. Sic Eleg. 5. l. 2. ubi de lascivis picturis:

Ah gemat in terris, ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita LÆTITIA.

& infra Eleg. 19.

—— inter nos LÆTEMUR amantes.

Eadem ratione nos Itali dicimus; *vivere allegramente, darsi bel tempo.*

v. 17. *curas sanare recentes*] Non item putridas, & ulcerosas. Ovid. de remed. Amoris:

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

v. 18. *in verbis*] In consiliis meis. Cæterùm an sit aliqua vis in verbis certâ quadam formulâ pronunciatis, disputat luculenter Cælius Rhodiginus l. 16. Antiq. Lect. c. 14.

Z v. 20.

Cynthia me docuit ſemper quæcumque petenda,
Quæque cavenda forent. nonnihil egit amor.
Tu cave ne triſti cupias pugnare puellæ,
Neve ſuperba loqui, neve tacere diù:
Neu, ſi quid petiit, ingratâ fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,
Nec meminit juſtas ponere læſa minas.
At quò ſis humilis magis, & ſubjectus amori,
Hòc magis effectu ſæpe fruare bono.
Is poterit felix unâ remanere puellâ,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

ELEGIA XI.

Ad Cynthiam Baiis immorantem, ne peccet.

ECquid te mediis ceſſantem, Cynthia, Baiis,
Quà jacet Herculeis ſemita litoribus,

Et

OBSERVATIONES.

v. 20. *nonnihil egit amor*] Ideſt, mederi didici ægrotando.

v. 23. *ingrata fronte*] Ore duro, ut loquuntur optimi auctores.

v. 24. *pro vano cadant*] Id eſt, ne tibi nullius pretii videantur blandi ſermones, & vernilis adulatio. Hac ipsâ notione Lucret. l. 5. in calce:

Pellis item CECIDIT, veſtis contempta ferina.

v. 30. *Qui numquam vacuo*] Qui dominæ ſemper præſto erit, qui ejus gratiam omnibus officiis promereri non deſinet. Ovid. 2. de Arte:

Te ſemper videat, tibi ſemper præbeat aurem:
Exhibeant vultus noxque dieſque tuos.

O amantes capite minuti, & ad opus damnati!

ELEG.

Et modò Thesproti mirantem subdita regno,
Et modò Misenis æquora litoribus,
Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit è nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrinâ cymba moretur aquâ:
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in undâ
Alternæ facilis cedere lympha manu:
Quàm vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam:
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse Deos.
Non quia perspectâ non es mihi cognita famâ,
Sed quòd in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timentis erit.
An mihi sit major caræ custodia matris,

Aut

OBSERVATIONES.

ELEG. XI. v. 5. *memores ah ducere noctes*] Tempori tribuit, quod est personæ. Ita supra Eleg. 6.

Tum tibi si qua mei veniet non IMMEMOR hora.

v. 7. *hostis*]. Rivalis, quicum simultates asperrimæ. Ovid. Amorum 1. Eleg. 9. ubi militi amantem comparat:

Mittitur infestos alter speculator in hostes:

In rivale oculos alter, ut HOSTE, tenet.

& noster l. 2.

Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ.

v 21. *custodia matris*] Fuit enim apud matrem educatus Propertius,

 quod

Aut sine te vitæ cura sit ulla meæ?
Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ:
Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis:
Quidquid ero, dicam: Cynthia causa fuit.
Tu modò quamprimùm corruptas desere Bajas;
Multis ista dabunt litora dissidium:
Litora, quæ fuerant castis inimica puellis.
Ah pereant Bajæ crimen Amoris aquæ!

ELEGIA XII.

Dolet absentiam Cynthiæ.

QUid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quòd faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
Quantùm Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostrâ dulcis in aure sonat.
Olim

OBSERVATIONES.

quod manifestum fit legenti Eleg. 1. l. 4.

v.23. *Tu mihi sola domus*] Hinc Ovidius Epistolâ Medeæ:

Deseror (amissis regno, patriaque, DOMOQUE)
Conjuge, qui nobis omnia SOLUS erat:

ELEG.XII. v.2. *Quòd faciat nobis*] Quòd licet malis rumoribus flagrem, tamen infamiæ patiens pedem ab urbe non efferam.

v.3. *illa*] Cynthia mea. Tibullus pariter Eleg. 6 l. 3.

— ILLAQUE, si qua est,
Quid valeat læsi sentiat ira Dei.

v.6. *dulcis in aure sonat*] Bibliorum interpretem profanis litteris eruditum fuisse, cum ex aliis novimus, tum ex locorum collatione

Olim gratus eram. non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiæ fuimus. num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis dividit herba jugis?
Non sum ego qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primùm longas solus cognoscere noctes
Cogor, & ipse meis auribus esse gravis.
Felix qui potuit præsenti flere puellæ.
NONNIHIL aspersis gaudet Amor lacrymis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mî neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est;
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

OBSERVATIONES.

ne fateri necesse est. Omissis pluribus fidem fecerit locus Cantici Canticorum 2. 14. *SONET vox tua in AURIBUS MEIS: vox enim tua DULCIS*. Nonne pura puta Propertiana phrasis? Scio quid objicere: valeant homines ἄμουσοι, de genere Thracum; at istis non scribo.

v. 10. *dividit*] Subaudi, amantes.

v. 16. *Nonnihil aspersis*] Imò, ut verè Virgilius 10. Eclogâ:

Nec LACRYMIS crudelis AMOR, nec gramina rivis,
Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Sed elegantissimè Franciscus Petrarca, qui nominis immortalitatem debet carminibus vernaculo idiomate conscriptis (nel Son. 73. p. 1.) ex ore Cupidinis:

Forse non avrai sempre il viso asciutto,
Ch'io mi pasco di lagrime, e tu'l sai.

ELEGIA XIII.

Ad Gallum, quòd tandem à vulgivagâ Venere ad stabilem amorem se recepisset.

TU, quod sæpe soles, nostro lætabere casu
 Galle, quòd abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces;
 Fallere te numquàm, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
 Certus & in nullo quæris amore moram:
Perditus in quadam tardis pallescere curis
 Incipis, & primo lapsus abire gradu.

Hæc

OBSERVATIONES.

ELEG. XIII. v. 8. *lapsus abire gradu*] Vulgati libri nullo probo sensu *adire*. sed hæc optima lectio Sumitur autem à luctatoribus, qui tum *gradu abire* dicebantur, cum vi adversarii obnitentis compulsi de loco cedebant. Eadem metaphorâ usus est M. Cicero lib. 1. de Officiis: *Fortis verò & constantis est non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de GRADU dejici, ut dicitur.* At *Crotoniatem Milonem, cum constitisset, nemo vestigio educebat*, ut ait Plinius l. 7 c. 20. Gallus igitur, qui sæpiuscule cum amore compositus, firmo genuum robore palmam retulerat, tandem fessis viribus, è statu depulsus procubuit. Huc pertinet lepidum somnium Anacreontis, quod propter singularem lepôrem adscribere non gravabo.:

Ἐδόκουν ὄναρ τροχάζειν
Πτέρυγας φέρων ἐπ' ὤμων,
Ὁ δ' Ἔρως, ἔχων μόλυβδον
Περὶ τοῖς καλοῖς ποδίσκοις
Ἐδίωκε, καὶ κιχάνει.
Τί θέλει ὄναρ τόδ' εἶναι;
Δοκέω δ' ἔγωγε πολλοῖς
Ἐν ἔρωσι με πλακέντα,
Διολισθάνειν μὲν ἄλλους,
Ἑνὶ τῷδε συνδεθῆναι.

Videbar in quiete
Huc cursitare, & illuc:
Humeros amictus alis
Amor, sed impeditus

Plum-

Hæc erit illarum contempti pœna doloris:
Multarum miseras exiget una vices:
Hæc tibi vulgares istos compescet amores;
Nec nova quærendo semper amicus eris.
Hæc ego non rumore malo, non augure doctus;
Vidi ego: me quæso teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere verbis,
Et quæ deindè meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros.
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Æmonio Salmonida mistus Enipeo
Tænarius facili pressit amore Deus:
Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetæis gaudia prima jugis.
Una dies omnes potuit præcurrere amantes:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus,
Nec finet abduci. te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Jove digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu: gratior una tribus
Illa sit Inachiis & blandior Heroinis,

Illa

OBSERVATIONES.

Plumbo pedes tenellos,
Me persequens prehendit.
Sibi somnium quid hoc vult?
Mihi quidem videtur
Me plurimos amores
Fugisse jam implicatum:
Hærere in hoc sed uno.

Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu verò quoniam semel es periturus amore,
 Urere: non alio lumine dignus eras.
Quæ tibi sit felix, quoniam novus incidit error:
 Et quodcumque voles, una sit ista tibi.

ELEGIA XIV.

Ad Tullum: amorem divitiis omnibus præstare.

TU licet abjectus Tiberinâ molliter undâ,
 Lesbia Mentoreo vina bibas opere:
Et modò tam celeres mireris currere lintres,
 Et modò tam tardas funibus ire rates:
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
 Urgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori.
 NESCIT Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
 Seu facili totum ducit amore diem:
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,

Et

OBSERVATIONES.

34. *non alio lumine dignus*] Tibul. Carm. 6. l. 4.

--- ulli non ille puellæ
Servire, aut cuiquam DIGNIOR illa viro.

ELEG XIV. v. 5. *Et nemus omne*] Subaudi, *ut*. Et miraris, ut nemus omne silvas intendat. Defectum hujus particulæ observare est Eleg. 2. hujus libri:

Aspice quos summittit humus formosa colores:
Et veniant ederæ sponte sua melius.

sic enim explico: & aspicias velim, ut ederæ per se felicius nascantur. Quod Critici non videntes, varia importunè commenti sunt.

v. 15.

Et legitur rubris gemma sub æquoribus:
Tunc mihi cessuros spondent mea gaudia reges,
Quæ maneant dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas Heroum infringere vires:
Illa etiam duris mentibus esse dolor:
Illa neque Arabium metuit conscendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro:
Et miserum toto juvenem versare cubili;
Quid relevant variis serica textilibus?

Quæ

OBSERVATIONES.

v. 13. *Tunc mihi cessuros*] Hæc felicium amatorum insania est, ut omnia putent infra fortunam suam. Phædromus Plautinus Curcul. Act. 1. sc. 3.

Sibi sua habeant REGNA REGES, sibi divitias divites,
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia:
Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suum est.

Et in fine Scenæ:

PLAN. *Facito ut memineris, tene etiam, priusquam hinc abeo, savium.* PHÆD. *Si quidem hercle mihi REGNUM detur, nunquam id potius persequar.*

v. 15. *Nam quis divitiis*] V. Tibul. Eleg. 1. l. 1. v. 63.

v. 18. *duris mentibus*] Seria persequentibus, & fruge Socratica imbutis. Andreas Alciatus Emblemate 198.

Immersus studiis, dicendo & jure peritus,
Et maximus libellio,
Helianiram amat, quantum nec Thracius unquam
Princeps sororis pellicem.
Pallada cur alio superasti judice Cypri?
Num sat sub Ida est vincere?

Ut plurimum tamen amor bonarum artium pravi Cupidinis vires retundit. V. Lucianum Dialogo Veneris, & Cupidinis, editionis Basiliensis Tomo 1. pag. 205.

v. 22. *textilibus*] Id Propertius ait de morbis animi, quod antea Lucretius dixerat de corporis ægritudine l. 2.

Nec calidæ citius decedunt corpore febres,

Quæ mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

Elegia XV.

Perfidiam Cynthiæ criminatur.

SÆpe ego multa tuæ levitatis dura timebam;
Hac tamen exceptâ, Cynthia, perfidiâ.
Aspice me quanto rapiat Fortuna periclo;
Tu tamen in nostro lenta timore venis:
Et potes externos manibus componere crines,
Et longâ faciem quærere desidiâ.
Nec minùs Eois pectus variare lapillis,
Ut formosa novo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat æquoribus.
Multos illa dies incomptis mœsta capillis
Se-

OBSERVATIONES.

febres,
TEXTILIBUS si in picturis, ostroque rubenti
Jactaris, quàm si plebeja in veste cubandum est.

ELEG. XV. v. 6. *longa faciem q. d.*] Tempus terere speculum consulendo. Terent. Heautonti. Act. 2. sc. 2. —— *nosti mores mulierum;*
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est ——

v. 8. *Ut formosa novo*] Aptè adhibita comparatio; quid enim quærebat Cynthia ornatu novo, nisi novum amatorem? Contra citat: Terent. Antiphilam pudicam virginem ita describit:
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla mala re esse expolitam muliebri.

v. 11. *incomptis mœsta capillis*] Doloris præsentissimum signum, ornamenta & munditias negligere: præ-

Sederat, injusto multa locuta salo:
Et quamvis numquam posthac visura, dolebat
Illa tamen longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Nec sic Æsonidem rapientibus anxia ventis,
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Æmonio tabuit hospitio.
Conjugis Evadne miseros elata per ignes
Occidit Argivæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.

De-

OBSERVATIONES.

præsertim apud antiquos, quibus consuetudo fuit in funeribus propinquorum, sordidatos in publicum prodire. Cato Uticensis apud Lucanum l. 2. Pharsaliæ, ex quo bella civilia cœperant,

—— nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu.
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mæstamque genis increscere barbam.

& in levioribus affectibus Ovidiana Sappho:

Ecce jacent collo sparsi sine lege CAPILLI,
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
Non Arabo noster rore CAPILLUS olet.

item Laodamia:

Nec mihi pectendos cura est præbere CAPILLOS:
Nec libet aurata corpora veste tegi.

v. 12. *multa locuta salo*] Simile illud Virg. 2. Ecl.

Montibus & silvis studio jactabat inani.

Et nostri Eleg. 18. præsentis libri:

Et quodcumque mei possunt narrare dolores,

Cogor

Desine jam revocare tuis perjuria verbis
  Cynthia, & oblitos parce monere Deos.
Audax ah nimiùm nostro dolitura periclo,
  Si quid fortè tibi durius inciderit.
Multa priùs vasto labentur flumina ponto,
  Annus & inversas duxerit ante vices:
Quàm tua sub nostro mutetur pectore cura,
  Sis quodcumque voles, non aliena tamen:
Quamque mihi viles isti videantur ocelli,
  Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
  Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem?
  Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te cogebat multos pallere colores,

Et

OBSERVATIONES.

Cogor ad argutas dicere solus aves. Ejusdem porrò insaniæ videtur queri *ad rupes*, *ad nemora*, *ad mare*, *ad simulacra*, & hujusmodi res inanimas.

v. 30. *vices*] Tibul. Eleg. 4 l. 1.

ANNUS agit certa lucida signa VICE.

v. 34. *perfidia*] Mendacium. Ità usurpatur à Catullo c. 63.

Carmine, PERFIDIÆ quod post nulla arguet ætas.

v. 37. *contra magnum Solem*] Quia Sol omnia cernere credebatur, eumdemque factorum humanorum testem, ac vindicem esse putabant. Homerus Iliad. γ. ubi Agamemnon Deos testes invocat:

Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Sol qui cuncta audis, quique omnia conspicis unus.

Æschylus in Prometheo:

Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ

Voco videntem cuncta Solis circulum.

indè fabulati sunt, ab eo proditum Martis, & Veneris adulterium. v. Ovid. Metamorph. l. 4.

v. 40.

Et fletum invitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moriturus amantes:
O nullis tutum credere blanditiis!

ELEGIA XVI.

Januam cujusdam mulieris turpitudinem suam conquerentem inducit.

Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis
Janua Tarpejæ nota pudicitiæ,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrymis humida supplicibus:
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis
Pulsata indignis sæpe queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ

Sem-

OBSERVATIONES.

v. 40. *Et fletum invitis*] Lacrymarum potentes mulierculæ modò illas emittunt, modò revocant, ut libuerit. Egregiè Juvenalis Sat. 6. de uxore maritum fallente:

Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque expectantibus illam,
Quo jubeat manare modo ——

Vide quæ observamus ad Eleg. 22. l. 3. v. 26.

v. 42. *O nullis tutum*] Nam, ut ait Phædrus fab. 19. l. 1.

Habent insidias hominis BLANDITIÆ mali.

Hujusmodi erant fraudes tyrannorum, de quibus Plinius Junior panegyr. Trajani: *Omnes*, inquit, *ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te CREDITUM est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quàm BLANDITIÆ principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos, quàm propitios habere?*

ELEG.

Semper, & exclusi signa jacere faces.
Nec possum infamis dominæ defendere noctes:
Nobilis obscœnis tradita carminibus.
Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ,
Turpior & sæcli vivere luxuriâ.
Has inter graviùs cogor deflere querelas
Supplicis à longis tristior excubiis.
Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Argutâ referens carmina blanditiâ:
Janua vel dominâ penitùs crudelior ipsâ,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur numquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis & in tepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem,
Fri-

OBSERVATIONES.

ELEG. XVI. v. 10. *nobilis*] Derivatur à *nosco*, & in utramque partem accipitur. quamobrem dicimus *nobilem artificem*, *civitatem*, *meretricem*, *latronem*, ut quisque maximè præcellit virtute, vel vitio. M. Tullius l. 2. de officiis. *Testis est Phalaris, cujus est præter cæteros NOBILITATA crudelitas*. Lucilius Satyr. l. 7.

Phryne NOBILIS illa.

Terent. Eunucho Act. 5. sc. 7.

Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum NOBILITAS Flagitiis ——

v. 19. *meos admittis amores*] Me amantem. Harum verò locutionum seges uberrima in Propertio.

v. 21. *nullane finis*] Horatius ad Canidiam Epod. 17.

Quæ FINIS? aut quod me manet stipendium?

v. 23. *Me mediæ noctes*] Infra Eleg. 22. l. 2.

MEDIÆ nequeunt te frangere NOCTES.

v. 24.

Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos numquam miserata labores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cavâ mea vocula rimâ
Percussas dominæ vertat in auriculas!

Sit

OBSERVATIONES.

v. 24. *me dolet*] *Hoc ineptum*, ait Scaliger, & supponit *dolas*. at, pace tanti viri velim dixisse, ineptissima correctio est. Primum enim novum non est, *dolere* usurpatum ab optimis scriptoribus pro *miserari*. Cicero ad Atticum l. 8. Epist. 2. *Quàm à nostro amico factum est: cujus ego vicem DOLEO.* plura exempla possem afferre, sed in re tam tritâ pudet morari. Deinde solent poetæ rebus inanimis miserationem tribuere. Quis hoc neget? Prodeat in scenam Maro Ecl. 10.

Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ:
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt saxa Lycæi.

En audis lacrymantes arbores, montes, lapides. Ovidius Epistolâ Ariadnæ:

Interea toto clamanti litore, Theseu,
Reddebant nomen concava saxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat.
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.

Tendo ulterius. Cælo tribuitur luctus ab eodem Ovidio Epist. Herûs.

Me miseram quanto planguntur litora fluctu,
Et latet obscura condita nube dies!
Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Mersaque roratis nata fleatur aquis.

Soli, a Tibullo Eleg. 5. l. 2.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.

& clarius ab ipso Propertio Eleg. 3. l. 3.

Solis & atratis luxerit orbis equis.

Quin etiam Divi mortalium fata miserantes inducuntur. Tiberinus apud Pedonem Albinovanum: Venus apud Ovidium de morte Tibullii: Hercules apud Virg. l. 10. Æneid. in cæde Pallantis. Quod si omnia huc pertinentia colligere vellem, paginæ citiùs me deficerent. At quorsum hæc? inquies. Ut evincam hanc esse Propertii mentem: amantem illum, de quo

lo-

Sit licet & ſaxo patientior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior, & chalybe:
Non tamen illa ſuos poterit compeſcere ocellos,
Surget & invitis ſpiritus in lacrymis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto,
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu ſola mei tu maxima cauſa doloris,
Victa meis numquam janua muneribus.
Te non ulla meæ læſit petulantia linguæ,
Quæ ſolet iratus dicere trita loco:
Ut me tam longâ raucum patiare querelâ
Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi ſæpe novo deduxi carmina verſu,
Oſculaque impreſſis nixa dedi gradibus.

An-

OBSERVATIONES.

loquitur, apud noctem, ſidera, & ventum ipſum reperiſſe clementiam, adeò ut cuncta doleant miſerias ejus: unam januam immobilem, duram, obſtinatam expertum eſſe. nam ſubdit:

Tu ſola humanos numquam miſerata labores.

v. 29. *patientior*] Durior. Tibul. Eleg. 2 l. 3 *non hæc PATIENTIA noſtro ingenio.* id eſt durities.

v. 38. *dicere trita loco*] Quæ vulgò irati dicere ſolent. *Loco*, eſt opportunè, tempeſtivè, aptè. Sic Dionyſius Cato in diſtichis de moribus l. 2.

Inſipiens eſto, cum tempus poſtulat, aut res;
Stultitiam ſimulare LOCO ſapientia ſumma eſt.

Terentius verò Adelph. Act. 2. ſc. 2.

Pecuniam in LOCO negligere maximum interdum eſt lucrum.

Denique Horatius Ode 12. l. 4. ad Virgilium.

Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem:
Dulce eſt deſipere in LOCO.

v. 42. *Oſculaque impreſſis*] Argumentum obſequii oſculum. Quamobrem Tibul. Eleg. 5. l. 1. *Et dare ſacratis OSCULA liminibus.*

v. 44.

Ante tuos quoties verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?
Hæc ille, & si quæ miseri novistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominæ vitiis, & semper amantis
Fletibus, æternâ differor invidiâ.

ELEGIA XVII.

Naufragium à se deprecatur.

ET meritò, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor alcyonas:
Nec mihi Cassiope solitò visura carinam,
Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quinetiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.
Aspice quàm sævas increpat aura minas.
Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?
Hæccine parva meum funus arena teget?

Tu

OBSERVATIONES.

v. 44. *occultis vota tuli manibus*] Morem precantium intelligo, qui manus velamine obvolvebant, quas idcircò poëta *occultas* appellat. Virg. 7. Æneid. in oratione Ilionei:

——ne temne, quòd ultro
Præferimus MANIBUS vittas, &
verba precantum.

Ovid. de Arte amandi:

Audierat laurumque MANU, vittasque ferentem
Pro nata Chrysen non valuisse sua.

ELEG. XVII. v. 8. *parva meum funus arena teget*] Cadavera ejectorum ad litus, solenni funere destituta, arenâ condi solebant à prætemavigantibus. Architas Tarentinus apud Horat. Ode 28. l. 1.

At tu nauta vagæ ne parce malignus ARENÆ

Tu tamen in melius sævas converte querelas,
Sat tibi sit pœnæ nox, & iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicumque rates, & vela paravit
Primus, & invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius dominæ pervincere mores?
Quamvis dura, tamen rara puella fuit:
Quàm sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere, & optatos quærere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelirent fata dolorem,
Ultimus & posito staret amore lapis:
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter & tenerâ poneret ossa rosâ:

Illa

OBSERVATIONES.

Ossibus, & capiti inhumato
Particulam dare ——

v.9 *in melius*] Tibul. Eleg.4. l.3.

Hæc Deus IN MELIUS crudelia somnia VERTAT.

v. 11. *mea fata*] Me vitâ functum, corpus meum exanime.

v.12. *ossaque nulla*] Gracilia, deminuta. Supra Eleg. 5.

Aut cur sim toto corpore NULLUS ego.

v.20. *ultimus lapis*] Cippus sepulcralis.

v.21. *donasset funere crines*] Hinc Phædra illa impudica, & calumniatrix apud Senec. Trag. Hippolyto Act. 5.

Placemus umbras. capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

v.22. *poneret ossa rosa*] Collocaret in floribus. Juven Sat.7.

Dii majorum umbris tenuem, & sine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver.

Nec solum prope tumulum, vel in sarcophago sternebantur flores, at etiam quà pompa funeris ducebatur, large spargi soliti fuerunt. Auctor Plinius l.21.c.3. ubi de Scipione: *Nec erat in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus,*

ac

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
  Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos æquoreæ formosa Doride natæ
  Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
  Mansuetis socio parcite litoribus.

ELEGIA XVIII.

Nemoribus, & saxis dolores suos manifestat.

HÆc certè deserta loca, & taciturna querenti,
  Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impunè dolores,

Si

OBSERVATIONES.

ac fumus elocavit, quæque præferebatur, flores è prospectu omni sparsit. Causam verò satis idoneam huius elegantis consuetudinis ex ipso Plinio videor subodorari, qui procemio ejusdem libri sic ait: *Flores odoresque in diem gignit* (natura) *magna, ut palam est, admonitione hominis, quæ spectatissimè florent, celerrime marcescere.* Job in sacris c. 14. humanam vitam comparat flori: *Qui quasi flos egreditur, & conteritur.*

v. 23. *clamasset pulvere nomen*] Supremum VALE dixisset. Hinc funera *conclamata*. Exempla obvia.

ELEG. XVIII. v. 2. *Zephyri possidet aura nemus*] Pari verbo usus est Ovidius l. 1. Metamorph. ubi varias ventorum regiones describit:

His quoque non passim mundi fabricator HABENDUM
  Aëra permisit; vix nunc obsistitur illis,
Cum sua quisque regant diverso flamina tractu,
  Quin lanient mundum. tanta est discordia fratrum.
Eurus ad Auroram &c.

Sed pressius Propertii vestigiis insistit vulgatus Bibliorum interpres Jobi modò citati c. 3. v. 6. *Noctem illam tenebrosus turbo POSSIDEAT.*

v. 3. *impunè*] Etenim si hoc fieret præ-

Si modò sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primùm repetã, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modò felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?
An nova tristitiæ causa puella tuæ?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæva tamen venerit ira mea:
Ut tibi sim meritò semper furor, & tua flendo
Lumina dejectis turpia sint lacrymis.

An

OBSERVATIONES.

præsente Cynthia, omnino periculosum foret. Infra Eleg. 13. l. 2.

Assiduæ multis odium peperere querelæ.

v. 5. *Unde tuos primùm*] Dido apud Virgilium l. 4. *Quæ quibus anteferam?* Uberiùs autem Papinius hanc dubitationem adhibet, sed in re dissimili, Silv. l. 2. carm. 1.

Jamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
O meritò dilecte puer, primordia quærens,
Distrahor. hinc anni stantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox &c.

Cui Lucanus, vel quisquis est auctor, præivit Panegyrico ad Calpurn. Pisonem:

UNDE priùs cœpti surgat mihi carminis ordo,
Quosque canam titulos dubius feror. hinc tua, Piso,
Nobilitas, veterisque citant sublimia Calpi
Nomina Romanas inter fulgentia gentes:
Hinc tua me virtus rapit, &c.

v. 9 *quæ te mihi carmina mutant?*] Num in te Jambos vibravi, quibus meritò irata sis? v. Catull. carm. 36. Horat. Ode 16. l. 1.

v. 13. *debet*] Citatus Horatius Ode 14. l. 1.

—— Tu, nisi ventis
DEBES ludibrium, cave.

v. 21.

An quia parva damus mutato ſigna calore?
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis teſtes, ſi quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.
Ah quoties teneras reſonant mea verba ſub umbras,
Scribitur & veſtris Cynthia corticibus!
An tua quòd peperit nobis injuria curas,
Quæ ſolùm tacitis cognita ſunt foribus?
Omnia conſuevi timidus perferre ſuperbæ
Juſſa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo, Dii, vivi fontes, & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies.
Et quodcumque meæ poſſunt narrare querelæ
Cogor ad argutas dicere ſolus aves.
Sed qualiſcũque es, reſonant mihi Cynthia ſilvæ,
Nec deſerta tuo nomine ſaxa vacant.

ELEGIA XIX.

Etiam morte obitâ ſe Cynthiam amaturum.

NOn ego nunc triſtes vereor, mea Cynthia, manes,

Nec

OBSERVATIONES.

v. 21. *teneras ſub umbras*] Umbris tribuit, quod eſt foliorum.

23. *An tua quòd peperit &c.*] Pudetne te mihi cauſam fuiſſe dolendi? & idcircò conſcientiâ criminis territa, vereris ad me accedere? at ego vix memini, quas acceperim injurias.

Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne fortè tuo careat mihi funus amore.
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeò leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundæ conjugis heros
Non potuit cæcis immemor esse locis:
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic quidquid ero, semper tua dicar imago:
TRAJICIT & fati litora magnus amor.
Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argivis Dardana præda viris,
Quarum nulla tuâ fuerit mihi, Cynthia, formâ
Gratior, & tellus hoc ita justa sinat:
Quamvis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrymis ossa futura meis:

Quæ

OBSERVATIONES.

ELEG. XIX. v. 11. *tua dicar imago*] Umbra tibi fidelis.

v. 16. *tellus justa*] Reddit enim accepta cum fœnore. Virg. 2. Georgic.

Fundit humo facilem victum JUSTISSIMA TELLUS.

Est autem perpetuum epitheton.

v. 18. *Cara tamen lacrymis o. f. m.*] Hæc est, nisi fallor, poëtæ sententia: Quamvis, ó Cynthia, fatorum imperio ad ultimam senectutem sis perventura, quâ ætate nullum aut quæ pulchritudinis vestigium exstabit, sed arida ossa vix tenui tegentur cute: ego tamen apud inferos desiderium tuum ægrè patiens, osculis & lacrymis te longo post tempore advenientem accipiam. Adde, quòd imagines mortuorum osseæ fingebantur. Ovidius in Ibin:

Insequar & vultus OSSEA FORMA tuos.

Et

Quæ tu viva meâ possis sentire favillâ.
  Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quàm vereor, ne te contempto, Cynthia, busto
  Abstrahat à nostro pulvere iniquus Amor,
Cogat & invitam lacrymas siccare cadentes!
  Flectitur assiduis certa puella minis.
Quarè dum licet, inter nos lætemur amantes.
  NON satis est ullo tempore longus amor.

ELEGIA XX.

Gallum admonet exemplo Hylæ, ut formosum puerum sibi dilectum cautè custodiat.

HOc pro continuo te, Galle, monemus amore:
  Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti;
  Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Est

OBSERVATIONES.

Et facit locus elegans Petronii Satyr. *Potantibus ergo, & accuratissimas nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam semel iterumque abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:*

Heu heu nos miseros, quàm totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

v. 19. *Quæ tu viva mea p. s. f.*] τὸ *viva* casus est rectus numeri singularis, & ad Cynthiam pertinet, non ad ossa. Id vult Propertius: Utinam, ô Cynthia mihi superstes futura, pari pietate funus meum prosequare! Utinam talia de me sentias, qualia ego de te!

ELEG. XX. v. 4. *Crudelis Minyis dix. Asc.*] Mirum sanè, quantùm hic versus torserit ingenia eruditorum. Vulgati codices habebant

Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
  Thiodamantêo proximus ardor Hylæ.
Hunc tu, sive leges umbrosæ flumina silvæ,
  Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes:
Sive Giganteâ spatiabere litoris orâ,
  Sive ubicumque vago fluminis hospitio:
Nympharum cupidâ semper defende rapinâ;

Non

OBSERVATIONES.

duxerit; quod mendum Chironiâ manu feliciter sustulit Josephus Scaliger, & reposuit *dixerit*, idest testis fuerit. Porrò non dissimili ratione Tibullus Eleg. 6. l. 3. ita cecinit:

Fulserit hic niveis Delius alitibus.

pro *fulgeat.* Idem verò poëta regiones & maria testes producit stipendiorum, quæ sub Messalæ imperio miles fecisset, Eleg. 8. l. 1.

Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici.

Et Catullus pariter phasellum laudaturus, utitur testimonio montium & urbium carm. 4.

Amastri Pontica, & Cythore buxifer,
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima
Ait phasellus ——

Rutgersius variarum Lectionum l. 3. c. 8. conjungit τὸ *crudelis* cum præcedenti versiculo, idque epitheton *fortunæ* adjungit: rectè, an minùs, non disputo. Ego tamen Ascanio flumini attribuo, qui *crudelis* vocari potuit ob raptum apud se Hylam Herculis delicias. Juvat poëta ipse, qui postea *indomitum* appellat. Legendus Valerius Flaccus l. 3. ubi dolentes Argonautas hoc infortunio describit.

v. 6. *ardor*] Puer delicatus, τὰ παιδικά. Obscœnos istos magni Herculis amores exagitat Prudentius lib. 1. contra Symmachum v. 116.

HERCULEUS mollis pueri famosus amore
ARDOR, & in transtris jactata efferbuit ARGO.
Nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
Concubitus, & HYLAN pereuntem quærere cælebs.

v. 7. *Hunc tu*] Malim *Huic tu* cum Lipsio, & quarto ab hinc versu:

Nympharum cupidas semper defende rapinas.

Ut illud notissimum: *Solstitium pecori defendite.*

v. 12.

Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin.
Ne tibi sit duros montes, & frigida saxa,
  Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quæ miser ignotis error perpessus in oris
  Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasæ navalibus Argo
  Egressam longè Phasidos isse viam,
Et jam præteritis labentem Athamantidos undis,
  Mysorum scopulis applicuisse ratem.
Hìc manus heroum placidis ut constitit oris,
  Mollia compositâ litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra
  Raram sepositi quærere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres Aquilonia proles,
  Hunc super & Zethes, hunc super & Calais

Oscu-

OBSERVATIONES.

v.12. *Non minor &c.*] Subaudi, quàm fuerit in Bithyniciis Nymphis, à quibus alter Hylas raptus est.

v.16. *fleverat Ascanio*] Ita supra Eleg. 12.
Felix qui potuit præsenti FLERE puellæ.

v. 17. *Namque ferunt*] Rem ab ovo exorditur.

v. 19. *labentem*] Ennius Annal. *LABITUR uncta carina.*

v.29. *Ille sub extrema*] Malè Passeratius intelligit de fratribus alatis, quod omnino pertinet ad puerum ipsum. Lubenter enim manus darem, si Pentametro versu, qui statim sequitur, legeretur:
Hic volucres ramo submovet insidias.
at cum legatur *Et*, non est locus disjunctioni. Sic igitur explico: Dum Hylas Boreadum lascivià in altum attollitur, osculum detrectare cupiens, caput abdit inter alam & cubitum attollentis: tum etiam frondeo ramo oculos & labra procacis impedit, ne propositum perficere queat.

Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere palmis,
Oſcula & alternâ ferre ſupina fugâ.
Ille ſub extremâ pendens ſecluditur alâ,
Et volucres ramo ſubmovet inſidias.
Jam Pandioniæ ceſſet genus Orithyiæ:
Ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryaſin.
Hìc erat Arganti πηγὴ ſub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniaſin:
Quam ſupra nullæ pendebant debita curæ
Roſcida deſertis poma ſub arboribus:
Et circumriguo ſurgebant lilia prato
Candida purpureis miſta papaveribus;
Quæ modò decerpens tenero pueriliter ungui
Propoſito florem prætulit officio:
Et modò formoſis incumbens neſcius undis
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis,
Innixus dextro plena trahens humero.

Cujus

OBSERVATIONES.

V. 41. *incumbens neſcius undis*] Puerili ſimplicitate admiratus in fonte imaginem ſuam. Virgilius 2. Æneid. ludicrum puerorum deſcribens:

ſtupet INSCIA turba,
Impubeſque manus, mirata volubile buxum.

Hæc nos reficiendi animi, & ſtyli exercendi gratiâ ita ſecuti ſumus in Bucolico quodam poëmatio:

Tum canerem liquidi pendentem è margine fontis
Narciſſum, gelida cum ſe miſer arſit in unda:
Ut fruſtra incumbens labiis, & brachia tendens,
Perderet amplexum, & vanæ daret oſcula formæ.
Ah, ne te ſimilis capiat, Rhodomille, cupido,
I procul à ripis. FORMOSOS faſcinat amnis.

v. 47.

Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ
Miratæ solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa, sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, ô Galle, tuos monitis servabis amores,
Formosum Nymphis credere tutus Hylam.

ELEGIA XXI.

Galli bello Perusino interfecti ad viatorem Prosopopœja.

TU, qui consortem properas evadere casum,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te servato possint gaudere parentes,

Hæc

OBSERVATIONES.

v. 47. *Prolapsum leviter*] Valer. Flaccus eleganter lib. octavo:

—— nil umbra, comæque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ:
Illa avidas injecta manus, heu sera cientem
Auxilia, & magni referentem nomen amici
DETRAHIT; adjutæ prono nam pondere vires.

v. 52. *credere tutus*] Parùm sollicitus, nil veritus committere.

ELEG. XXI. v. 5. *Sic te servato*] Magna est parentum in liberos caritas, & idcircò veteres, cui bene vellent, incolumes & superstites filios maximè optabant. Ovidius Epist. Penelopes:

Tres sumus imbelles numero: sine viribus uxor,
Laertesque senex, Telemachusque puer.

Hæc ſoror Acca tuis ſentiat è lacrymis,
Gallum per medios ereptum Cæſaris enſes,
Effugere ignotas non potuiſſe manus:
Et quæcumque ſuper diſperſa invenerit oſſa
Montibus Etruſcis, hæc ſciat eſſe mea.

ELE-

OBSERVATIONES.

puer.
Ille per inſidias penè eſt mihi nuper ademptus,
Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
Dii precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

v. 9. *Et quæcumque ſuper*] Hæc omnia inculcat Gallus commilitoni, ne intumulatus jaceat, cogaturque centum annos errare, antequam cymbâ Charontis ad ulteriorem Erebi ripam tranſvehatur, quod vel pueri norunt ex 6. Æneid. Virgilii. Quamobrem Hector precatur Achillem victorem Iliad. χ.

Σῶμα δ' οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν,
ὄφρα πυρός με
Τρῶες, ϗ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα.

Corpus meum reddas domum ferendum, ut igne me
Trojani, & Trojanorum uxores dignentur mortuum.

quem Homeri locum attigit Virgilius Æneid. 12.

Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mavis,
Redde meis ——

Præcipuè verò cupiebant in patriâ ſepeliri, quod votum frequentiſſimum fuit Ovidio exſulanti. Illum videſis.



ELEG.

ELEGIA XXII.

Ad Tullum de patriâ suâ.

QUalis, & unde genus, qui sint mihi, Tulle, parentes,
  Quæris pro nostrâ semper amicitiâ.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcræ,
  Italiæ duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives:
  (Sit mihi præcipuè pulvis Etrusca dolor:
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo.)
Proxima supposito contingens Umbria campo
  Me genuit terris fertilis uberibus.

SEX.

OBSERVATIONES.

ELEG. XXII. v. 6. *Sit mihi præcipue p. E. d.*] Parenthesis inserta ad significandum vehementem animi mœrorem. Talis illa Catulli carm. 64. *Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris &c.* propiusque ad rem nostram carm. 67. *Quæ væ te, nostro letum miserabile fratri &c.* quam videtur Propertius in animo habuisse, cum hæc scriberet.



ELEG.



SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER II.

Elegia I.

Ad Mœcenatem: *ſe Cynthiæ amoribus irretitum ad carmen Heroicum imparem eſſe.*

QUæritis, unde mihi toties ſcribantur amores,
  Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo,
  Ingenium nobis ipſa puella facit.
Sive togis illam fulgentem incedere Cois,
  Hoc totum è Coâ veſte volumen erit:
Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire ſuperba comis:
Sive lyræ carmen digitis percuſſit eburnis,
  Miramur faciles, ut premat arte manus:

Seu

Seu cum poscentes somnum declinat ocellos,
Invenio causas mille poëta novas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc verò longas condimus Iliadas:
Seu quidquid fecit, sive est quodcūque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quòd mihi si tantum, Mœcenas, fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut cæli Pelion esset iter:
Nō veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coïsse vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorumque minas, & benefacta Marî.
Bellaque resque tui memorarem Cæsaris; & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinā, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ:
Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ,
Et Ptolemææ litora capta Phari:

Aut

OBSERVATIONES.

ELEG. I. v. 24. *Cimbrorumque minas*] Eò dicit, quia populi truces, & nullâ præditi humanitate. V. Florum l. 3. c. 3. Pulchrè Cicero l. 1. Officiorum: *cum Celtiberis, cum CIMBRIS bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur.*

v. 27. *civilia busta*] Sic supra Eleg. ult. l. 1. *Italiæ funera.*

v. 31.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacrâ currere rostra viâ:
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumptâ, & positâ pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.
Sed neque Phlegræos Jovis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus:
Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.
NAVITA de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Nos contra angusto versamus prælia lecto.
QUA pote quisque, in eâ conterat arte diem.

Olim

OBSERVATIONES.

v. 31. *Nilum, cum tractus in urbem*] Id est Nili simulacrum. Sculpebantur enim oppida expugnata, & flumina victarum gentium, currum triumphantis præcessura. V. Ovid. 1. de Arte.

v. 32. *debilis ibat aquis*] More poëtarum fluvio tribuit, quod nonnisi homini convenire potest. Virg. 8. Æneid. *Euphrates ibat jam mollior undis*. id est superbiam missam fecerat. Horatius Od. 9. l. 2. *Medumque flumen gentibus additum Victis, minores volvere vortices.*

v. 38. *ille Menœtiaden*] Post hunc versiculum olim est cum suspicor aliqua deesse, non enim absolvitur sententia. Diligens lector advertat.

v. 46. *Qua pote quisque*] Cicero Tuscul. 1. *bene Græcorum proverbio dicitur: QUAM QUISQUE norit ARTEM, IN HAC se exerceat.* & Horatius Epist. 14. l. 1 *QUAM scit, uterque libens censebo exerceat ARTEM.* vide adagium: *ne sutor ultra* cre-

Laus in amore mori; laus altera, si datur uno
Posse frui. fruar ô solus amore meo!
His saltem ut teneat jam finibus: aut, mihi si quis
Venerit alter amor, acriùs ut moriar.
Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helenâ non probat Iliada.
Seu mihi sint tangenda novercæ pocula Phædræ,
Pocula privigno non nocitura suo:
Seu mihi Circæo pereundum est gramine, sive
Colchis Jolchiacis urat ahena focis:
Una meos quoniam prædata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores,
SOLUS Amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanavit crura Machâon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides:
Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis:
Mysus & Æmoniâ juvenis quâ cuspide vulnus
Senserat, hac ipsâ cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleæ poterit tradere poma manu:
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assiduâ colla graventur aquâ:
Idem

OBSERVATIONES.

crepidam, ne faber ultra malleum.
v. 57. *prædata est femina sensus*] Ovid. Amor. 1. Eleg. 3. *Quæ me nuper PRÆDATA puella est.*

Idem Caucaseâ solvet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet avem.
Non hìc herba valet, non hìc nocturna Cytæis:
Non Perimedeâ gramina cocta manu.
Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen veniant tot mala, cæca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger;
Huic nullum cæli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & subitò mirantur funus amici.
Sic est incautum, quidquid habetur amor.
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero:
Mœcenas nostræ spes invidiosa juventæ,
Et vitæ, & morti gloria justa meæ:
Si te fortè meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna jugis;
Taliaque illacrymans mutæ jace verba favillæ:
Huic misero fatum dura puella fuit.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 79. *mirantur funus*] Subitò exanimatum stupent. Hic semel monebo Propertii studiosum, plurima hujus generis apud hunc poëtam reperiri, quæ à me in posterum prætermittentur.

v. 81. *vitam mea fata reposcent*] Ex disciplina sapientium; nam, ut ait Lucretius l. 3.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

quamobrem crédita oportet repeti, aut citiùs, aut seriùs.

v. 84. *& vitæ, & morti*] Dum enim vivo, te patrono gaudeo: postquam fato cessero, dicar tecum consuevisse, quod mihi gloriosum futurum est. Augustus Imperator in quâdam Epistolâ Horatium sic increpat: *Iratum me tibi scito, quòd*

non

ELEGIA II.

Excusat levitatem suam, quòd positis amoribus rursus navet operam, Cynthiæ mirâ pulchritudine, rarisque dotibus id fieri autumans.

QUi nihilum tibi dicebas jam posse nocere,
Hæsisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.
Liber eram, & vacuo meditabar vivere lecto,
At me compositâ pace fefellit Amor.
Quærebam siccâ si posset piscis arenâ,
Nec solitus ponto vivere torvus aper:
Aut ego si possem studiis vigilare severis.
DIFFERTUR, numquam tollitur ullus amor.
Ac veluti primò taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua, & iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,

Co-

OBSERVATIONES.

non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros infame tibi sit, quòd videaris familiaris nobis esse?

ELE. II. v. 1. *Qui nihilum*] Ex hoc fieri potest non infima conjectura, priorem librum à Propertio scriptum, & editum eo animo, ne ulteriùs pergeret, finemque amatoriis carminibus faceret: sed posteà ipsum mutato consilio in eamdem arenam descendisse.

v. 7. *Quærebam*] Tentabam ἀδυνάτα.

Cognitus Iphicli surripuisse boves:
Quem non lucra, magis Pero formosa coëgit,
Mox Amithaoniâ nupta futura domo.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit;
Lilia non dominâ sint magis alba meâ:
Ut Mæotica nix minio si certet Ibero,
Utque rosæ puro lacte natant folia:
Nec de more comæ per lævia colla fluentes,
Non oculi geminæ sidera nostra faces:
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella:
(Non sum de nihilo blandus amator ego)
Quantùm quòd posito formosè saltat Jaccho,
Egit ut Evantes dux Ariadna choros:
Et quantùm Æolio cum tentat carmina plectro,
Par Aganippææ ludere docta lyræ:

Et

OBSERVATIONES.

v. 27. *formosè saltat*] Magnum libidinis incitamentum saltatio, & quo nullum potentius ad castos etiam animos labefactandos. Hinc Horatius:

Motus doceri gaudet Jonios
Matura virgo, & fingitur artubus
Jam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungui.

& Juvenalis Sat. 6.

Chironomon Ledam molli SALTANTE Bathyllo
Thuscia vesica non imperat, Appula gannit
Sicut in amplexu——

Ovidius quoque, licet magister nequitiarum, idem confiteri non dubitavit de remed. Amoris:

Enervant animos citharæ, cantusque, lyraque,
Et vox, & numeris brachia mota suis.
Illic assiduè ficti SALTANTUR amantes:
Quid caveas actor, quid juvet, arte docet.

Carmen liberum: *Cymbala cum crotalis, pruriginis arma.* quòd autem horum instrumentorum pulsu saltarent meretrices, testis est

ve-

Et ſua cum antiquæ committit ſcripta Corinnæ,
Carminaque æquævis non putat eſſe ſuis.
Num tibi naſcenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum ſternuit omen Amor?
Hæc tibi contulerunt cæleſtia munera Divi,
Hæc tibi ne matrem fortè dediſſe putes.
Non non humani ſunt partus talia dona,
Iſta decem menſes non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis,
Romana accumbes prima puella Jovi,
Nec

OBSERVATIONES.

vetus poëta:

Copa Syriſca caput Graia redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus.

Igitur non immeritò Romanis turpe habitum ſaltare, ut refert Cornelius Nepos in Epaminondâ. V. Saluſt. Catilin. Ciceronem pro Murenâ. Græci verò molliores artem ſaltandi inter liberales numerabant. vide Lucianum Dialogo de hac materiâ. Hæc pluribus proſecutus ſum, ut omnibus notum faciam, me horum poëtarum explicationem non ideò ſuſcepiſſe, ut juventutem corrumperem, digitumque ad lupanar intenderem, at potiùs, ut ex eorum flagitiis aliquid bonæ frugis elicerem, quod juvare legentes poſſet, non perdere. Quis enim, amabò, è religionis veræ cultoribus, choreas probare auſit, cum Ethnici voluptatibus dediti, & quibus anima pro ſale fuit, eas maximè damnent, nec dedecoris expertem judicent, qui hoc libidinis irritamine familiariter utatur?

v. 38. *decem menſes*] Tempus, quo infans in utero matris motatur, menſium decem computabant veteres. Ab exemplis abſtineo, quia infinita. Cenſent aliqui hos menſes fuiſſe Lunares, & breviores, quorum tamen ſententiam evertit Ovidius l. 1. Faſtorum: cum enim cauſas enumeret, quibus permotus Romulus in anno ſuo decem menſes poſuit, hanc etiam adducit:

Quod ſatis eſt, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.

quis autem dicat menſes Romuli fuiſ-

Nec semper nobiscum humana cubilia vises.
Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
Hac ego non mirer si flagret nostra juventus;
Pulchrius hac fuerat Troja perire tibi.
Olim mirabar, quòd tanti ad Pergama belli
Europæ atque Asiæ causa puella fuit.
Nunc Pari tu sapiens, & tu Menelae fuisti:
Tu, quia poscebas: tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro quâ vel obiret Achilles,
Vel Priamus. belli causa probanda fuit.
Si quis vult famâ tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in ante meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret & Eoos, uret & Hesperios.
Cur hæc in terris facies humana moratur?
Jupiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est, longæque manus, & maxima toto
Corpore; & incedit vel Jove digna soror:
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gor-

OBSERVATIONES.

fuisse Lunares? Nonnulli aiunt mares nasci decimo mense, feminas verò nono: sed perperàm, cum ex aliis auctoribus, tum ex hoc Propertii loco, qui loquitur de natali amicæ. Huic errori adstipulati sunt Servius ad illud Maronis:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses,

& Macrobius in Somn. Scipionis l. 1. c. 6. Superest igitur ut dicamus hanc scriptorum computationem intelligi oportere de mense decimo inchoato.

v. 58. *Jove digna soror*] Quam ideircò expulsâ Junone Jupiter uxorem ducat.

ELEG.

Gorgonis anguiferæ pectus operta comis:
Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroinæ,
Centauris medio grata rapina mero:
Mercurio & sanctis fertur Bœbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite jam Divæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare vetustas,
Et si Cumææ sæcula vatis aget!

ELEGIA III.

Amoris puellarum incommoda enumerat.

MUlta priùs dominæ delicta queraris oportet,
Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas:
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede:
Nequidquam perfusa meis unguenta capillis;
Ibat & expenso planta morata gradu.

Nam

OBSERVATIONES.

ELEG. III. v. 2. *sæpe repulsus eas*] *Ire* quandoque pertinet ad fastum, ut supra Eleg. 1. *Gaudet lautatis IRE superba comis:* quandoque ad contemptum, ut hic, & l. 1. Eleg. 4. *Inferior duro judice turpis EAT.* Eleg 9. *I quæso, & tristes istos depone libellos.* infra: *Atdum demissis supplex cervicibus IBAM.*

v. 6. *exp. planta morata gradu*] Delicatè nimis, & muliebri quadam segnitie. Huc pertinet admonitio Tullii l. 1. de Officiis c. 36. *Cavendum est autem ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur &c. Pomparum fercula* dicebantur thensæ, quæ simulacra Deorum sustinebant.

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
  Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas;
  Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tutâ descendis flumine cymbâ,
  Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter sæpe uno mutat præcordia verbo,
  Altera vix ipso sanguine mollis erit.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 8. *Quæ mea non decies*] Inter divinandi peritos non infimum locum obtinebant somniorum interpretes. De his Martialis l. 7. Ep. 55.

Semper manè mihi de me mera SOMNIA narras,
Quæ moveant animum, sollicitentque meum.
Jam prior ad facem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.

idest, dum expiat quæ noctu vidisti. Hi tamen conjectores nihili habiti à prudentioribus. Audi Ennium Telamone:

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos aruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes SOMNIUM:
Non enim sunt ii aut scientia, aut arte divinei:
Sed superstitiosi vates, impudentesque hariolei,
Aut inertes, aut insanei, aut quibus egestas imperat:
Qui sibei semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsei petunt.
De his divitiis sibei deducant drachmam, reddant cætera.

Habemus tamen in sacris litteris, Josephum Jacobi filium, non alia ratione ad summam Ægypti præfecturam pervenisse, quàm interpretatione somniorum Pharaonis. At ille divino spiritu afflabatur: secùs est de istis, quorum fames magistra est. V. Tibul. Eleg. 4. l. 3.

v. 12. *Quid tibi tam parvi*] Simplicitatem puerilem comparat litori leniter fluentis rivuli. Acriter Lactantius Firmianus in hos naturæ inimicos, Divin. Instit. l. 6. c. 23. *Quid enim potest esse sanctum iis, qui ætatem imbecillam, & præsidio indigentem, libidini suæ*

pop:æ

Elegia IV.

Puellæ infideli minatur ultionem.

Hoc verum est, totâ te ferri, Cynthia, Româ,
Et non ignotâ vivere nequitiâ?
Hæc merui sperare? dabis mihi perfida pœnas,
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen è multis fallacibus unam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit:
Nec mihi tam duris insultet moribus, & te
Vellicet. heu serò flebis amata diù.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus;
Si dolor absfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.

Nec

OBSERVATIONES.

populandam, fædandamque substraverint? Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil ampliùs istos appellare possum, quàm impios & parricidas.

ELEG. IV. v. 1. *Hoc verum est*] Seneca Troad. Ch. 2.

VERUM EST, an timidos fabula decipit?

v. 3. *sperare*] Expectare. Juven. Sat. 4. *jam quartanam SPERANTIBUS ægris.* hinc *insperatò*, præter expectationem.

v. 5. *Inveniam tamen*] Timorem incutit puellæ. ita Virg. 2. Ecloga: *INVENIES alium, si te hic fastidit* ——

v. 10. *Si dolor absfuerit*] Imò arctiore nodo astringetur: si quidem, ut est apud Terentium Andriâ: *Amantium iræ AMORIS integratio est.*

v. 15.

Nec tu non aliquid, sed primâ nocte, dolebis;
OMNE in amore malum, si patiare, leve est.
At tu per dominæ Junonis dulcia jura
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verùm etiam instanti læsa repugnat ovis.
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestes,
Nec mea præclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim lædere pollicibus.
Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
Cujus non ederæ circumiere caput.
Scribam igitur, quod non ũquam tua deleat ætas,
Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.

OBSERVATIONES.

v. 15. *Nec tu non aliquid*] Loquitur secum ipse: certò scio te doliturum, ô Properti, cum primùm veteres amores deserueris, at dolor iste non ultra noctem protendetur. Ovid. de remed.

SED tamen est artis strictissima janua nostræ,
Et labor est unus tempora PRIMA pati.

v. 16. *Omne in amore malum*] Nec tantùm in amore, sed in quovis alio rerum genere. Horat. Ode 24. l. 1.

Durum, sed levius fit PATIENTIA
Quidquid corrigere est nefas.

Seneca Epist. 123. *Mecum enim de hoc ipso loquor, quàm nihil sit grave, quod leviter excipias: quam indignandum nihil, nisi ipse indignando adstruas.*

v. 19. *Non solùm taurus*] Idem est, quod Italis: *Ogni biscia ha il suo veleno.*

v. 27. *Scribam igitur*] Poëta minatur ultionem poeticam. Lepidè Horatius Sat. 1. l. 2.

Servius iratus leges minitatur, & urnam:
Canidia Albuti quibus est inimica, venenum:
Grande malum Turius, si quis se judice certet.

Crede mihi, quamvis contemnas murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

ELEGIA V.

Ad Cynthiam: ait se levibus de causis interruptæ fidei suspicionem induci.

NOn ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,
Ad cujus jacuit Græcia tota fores:
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in quâ populus lusit Erichtonius:
Nec quæ deletas potuit componere Thebas,
Phryne tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.

Me

OBSERVATIONES.

Ut quo quisque valet suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit. Unde, nisi intus
Monstratum? ----

v. 30. *hic tibi pallori*] Legimus Lycamben Archilochi versibus amarulentis ad suspendium adactum, eo quòd illi desponsam filiam turpiter negasset. timeantur igitur poetæ.

ELEG. V. v. 8. *Oscula nec desunt qui tibi jure ferant*] Martianus Jurisconsultus l. 1. Digest. tit. 1. *Nonnunquam JUS etiam pro necessitudine dicimus, veluti est mihi JUS cognationis, vel affinitatis.* Et Svetonius ad rem nostram propiùs in Claudio c. 26. *Verùm illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ, per JUS OSCULI. & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo Senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reipublicæ maximè interesset.* Excipiebantur autem consanguinei osculo. Juven. 6. Satyrâ:

Par-

Me juvenum facies pictæ, me nomina lædunt,
Me tener in cunis, & sine voce puer.
Me lædit, si multa tibi dedit oscula, mater:
Me soror, & cum quâ dormit amica simul.
Omnia me lædent, timidus sum; ignosce timori:
Et miser in tunicâ suspicor esse virum.
Felix Admeti conjux, & lectus Ulyssis,
Et quæcumque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet?
Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit castâ turpia visa domo:

Illa

OBSERVATIONES.

Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater OSCULA —

Martialis Epig. 105. l. 11.

Basia me capiunt blandas imitata columbas,
Tu mihi das, aviæ qualia manè soles.

Hinc Biblis Ovidiana, cum fratrem Caunum depereat:

Nec peccare putat, quòd sæpius OSCULA jungat,
Quòd sua fraterno circumdet brachia collo:
Mendacique diù pietatis fallitur umbra.

V. 14. *in tunica suspicor esse virum*] Eò usque zelotypiâ provehor, ut vestes ipsas, quas induis, timeam ne in se aliquid virile contineant. Franciscus Petrarca poëta Florentinus Umbri nostri vestigiis insistens ita cecinit vernaculo idiomate (nel Son. *Amor ch'encende* p. 1.)

Trem'al più caldo, arde al più freddo cielo,
Sempre pien di desire, e di sospetto;
Pur come donna in un vestire schietto
Celi un uom vivo, o sotto un picciol velo.

Similis insania Eleg. 23. infra:

Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras.

V. 19. *Quæ manus obscœnas*] Magnam vim habent ad pudicitiam labefactandam aptis coloribus picta flagitia quod si ad ea considerant-

Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Ah gemat in terris, istâ qui protulit arte
Jurgia sub tacitâ condita lætitiâ.
Non istis olim variabant tecta figuris,
Cum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immeritò velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba Deos.
Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ numquam supra pes inimicus eat?
NAM nihil invitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

ELE-

OBSERVATIONES.

randa oculus jam corruptus accesserit, impudentiæ habenas penitùs laxat. Chærea Terentianus Eunucho Act 3. Sc. 5.

—— virgo in conclavi sedet
Suspectans TABULAM quamdam PICTAM: ibi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaæ misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi, & quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi:
Deum sese in hominem convertisse, & per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ——

Svetonius in Tiberio c. 43. *Cubicula plurifariam disposita TABELLIS ac signis lascivissimarum PICTURARUM & figurarum adornavit, librisque Elephantidis instruxit: ne cui in opera edenda exemplar imperatæ schemæ deesset.*

v. 24. *Jurgia*] Idest semina jurgiorum, hinc enim adulteria, stupra & supplicia hæc admittentibus proposita:

v. 29. *Quos igitur tibi custodes, q. l. p.*] Ita Cæsar l. 1. belli Gallici: *Dumnorigi CUSTODES POSUIT, ut quæ agat, quibuscum loquatur, scire posset.*

v. 32. *Quam peccare pudet*] Ovidius Amor. 3. Eleg. 4.

ST

ELEGIA VI.

Gaudet sublatam legem de maritandis ordinibus, & se non ducturum uxorem Cynthiæ pollicetur.

GAvisa est certè sublatam Cynthia legem,
Quâ quondam edictâ flemus uterque diù,
Ne nos divideret. quamvis diducere amantes
Non queat invitos Jupiter ipse duos.
At magnus Cæsar. sed magnus Cæsar in armis.
Devictæ gentes nil in amore valent.
Nam citiùs paterer caput hoc discedere collo,
Quàm possem nuptæ perdere amore faces,
Aut ego transirem tua limina clausa maritus
Respiciens udis prodita luminibus.
Ah mea tum quales caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia funestâ tristior illa tubâ!

Un-

OBSERVATIONES.

Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est:
Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni velit, illa potest.

ELEG. VI. v. 5. *At magnus Cæsar*] Objectio est.

v. 8. *perdere amore faces*] Sunt, qui legant *prodere*. Ego tamen diversam lectionem sequor, & sic explico: quàm possem inanem sumptum facere iis parandis, quæ pompa nuptialis requirit, puta facibus, coronis, convivio &c. Neve quis hoc temerè dictum putet, affero locum Juvenalis 6. Satyrâ:

Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Caussa, nec est quare cænam, & mustacea PERDAS.
Labente officio crudis donanda —

Quo-

Unde mihi patriis gnatos præbere triumphis?
  Nullus de nostro sanguine miles erit.
Qiòd si Romanæ comitarent castra puellæ,
  Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
  Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places; placeam tibi, Cynthia, solus:
  Hic erit & patrio sanguine pluris amor.
Uxor me numquam, numquam me ducet amica.
  Semper amica mihi, semper & uxor eris.

ELEGIA VII.

Dolet sibi à rivali amicam ereptam, atque in utrosque, propositis antiquorum exemplis, probra ingerit.

ERipitur nobis jam pridem cara puella;
  Et tu me lacrymas fundere, amice, vetas?
Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ.
  Ipsum me jugula, lenior hostis ero.

Pos-

OBSERVATIONES.

Quovis pignore contenderim, nihil magis idoneum produci poss ad hæc enucleanda.

V. 13. *Unde mihi*] Significat se tenui censu esse, veluti diceret: unde mihi patrimonium, quo prolem educem honestè? unde prædia, quæ pertica tristis metata est? V. Eleg. 1. l. 4.

V. 19. *Tu mihi sola places*] Sumpsit Ovidiu 1. de Arte:

Dum licet, & frænis passim potes ire solutis,
Elige cui dicas: TU MIHI SOLA PLACES.

& Propertius fortasse à Tibullo, qui lib. 4. c. 13.

TU MIHI SOLA PLACES, nec jam te præter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.

ELEG.

Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modò dicta mea est?
His olim, ut fama est, vitiis ad prælia ventum est:
His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Grajûm? tu criminis auctor,
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.
Tu rapere intactas docuisti impunè Sabinas:
Per te nunc Romæ quidlibet audet Amor.
Ille etiam abreptâ desertus conjuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugâ tractos in litore Achivos,
Fervere & Hectoreâ Dorica castra face:
Viderat informem multâ Patroclon arenâ
Porrectum, & sparsas cæde jacere comas,
Om-

OBSERVATIONES.

ELEG. VII. v. 10. *Frangere in adversum pocula*] Quoties rixarentur veteres inter cænandum, cyathis & ferculis rem gerebant, utpote armis ad manum. Hinc Horatius ad sodales:

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est ——

Juvenal. 5. Satyrâ de parasito cum servis altercante:

Inter vos quoties, libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.

Valerius Flaccus l. 1. Argonauticon hanc ipsam pugnam Centaurorum describens:

—— *cum signifero cratere minantem*
Non leviore Pholum manus hæc compescuit auro.

denique Propertius iterum Eleg. 6. l. 3.

Cum furibunda mero mensam propellis, & in me
Projicis irata cymbia plena manu.

v. 19. *multa Patroclon arena*] Notat

Omnia formoſam propter Briſeida paſſus.
  Tantus in erepto ſævit amore dolor!
At poſtquàm ſerâ captiva eſt reddita pœnâ,
  Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.
Inferior multò cum ſim, vel Marte, vel armis,
  Mirum ſi de me jure triumphat Amor?
Magni ſæpe duces, magni cecidere tyranni,
  Et Thebæ ſteterunt, altaque Troja fuit.
OMNIA vertuntur, certè vertuntur amores.
  Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota eſt.
Iſte quod eſt, ego ſæpe fui, ſed forſit in horâ
  Hoc ipſo ejecto carior alter erit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
  Illa tamen numquam ferrea dixit, amo.
Ergo jam multos nimiùm temerarius annos,
  Improba, qui tulerim teque, tuamque domum.
Ecquandone tibi liber ſum viſus? an uſque
  In noſtrum jacies verba ſuperba caput?
Penelope poterat bis denos ſalva per annos
  Vivere, tam multis femina digna procis.
Conjugium falsâ poterat differre Minervâ,
  Nocturno ſolvens texta diurna dolo:

Vi-

OBSERVATIONES.

tat corporis proceritatem è ſpatio, quod occupabat. Virg. de Cyclope *jacuitque per antrum immenſum.* Ovidius de apro Calydonio à Meleagro interfecto, 8. Metamorph.

Immanemque feram MULTA tellure jacentem
Mirantes ſpectant ——.

v. 39. *ſalva*] Integrâ caſtitate.

Visura & quamvis numquam speraret Ulyssem,
Illum expectando facta remansit anus.
Nec non exanimem amplectens Briseïs Achillē
Candida vesanâ verberat ora manu.
Et dominum lavit mœrens captiva cruentum,
[Appositum fluviis in Simoënta vadis]
Fœdavitque comas, & tanti corpus Achillis,
Maximaque in parvâ sustulit ossa manu.
Cum tibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamîa toro.
Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis:
Tunc etiam felix inter & arma pudor.
At tu non unâ potuisti nocte vacare
Impia: non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula luxu,
Forsitan & de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te priùs ipse reliquit.
Dii faciant isto capta fruare viro.
Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiæ jam peterentur aquæ:

Et

OBSERVATIONES.

v. 55. *vacare*] Feriari ab impuris amoribus.

v. 58. *Forsitan & de me*] Ex iam antrium consuetudine, qui omnia timent. Ovidius Epist. Penelopes:

FORSITAN & narres, quàm sit tibi rustica conjux,
Quæ tantùm lanas non sinat esse rudes.

Idem Epist. Medeæ:

FORSITAN & stultæ dum te jactare maritæ
Quæris, & injustis auribus apta loqui:
In faciem, moresque meos nova crimina fingas.

v. 71.

Et lectum flentes circumstaremus amici.
Hic ubi tum (proh Dii) perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret navis in Oceano?
SED vobis facile est verba & componere fraudes:
Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quàm citò femineâ non constat fœdus in irâ,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor pueri promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam;
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sic igitur primâ moriere ætate, Properti?
Sed morere; interitu gaudeat illa tuo.

Exa-

OBSERVATIONES.

v. 71. *Quàm citò feminea*] Quàm citò femina irata fidem pactam frangit.

v. 76. *Sanguis erit vobis*] Hoc ironicè intelligendum, ut illud Virgilii 4. Æneid.

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus —

v. 78. *Sed morere*] Dido apud Virg. citatum:

Dixit, & os impressa toro, MORIEMUR inultæ?
SED MORIAMUR, ait —

v. 78. *interitu gaudeat illa tuo*] Theocritus εἰδ. 3.

Κεισεῦμαι δὲ πεσώ, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδοντι,
Ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

Hic nunc exanimis collabor, & esca luporum;
Dulcius hoc omni credo tibi melle futurum.

Attuli versionem Hugonis Grotii, qui sensum, non verba servavit.

Exagitet nostros manes, sectetur & umbras,
Insulteque rogis, calcet & ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Bœotius Æmon
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Quâ sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies: mecum moriaris oportet;
Hoc eodem telo stillet uterque cruor,
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura:
Mors inhonesta quidem; tu moriere tamen.
Sidera sunt testes, & matutina pruina,
Et furtim misero janua aperta mihi:
Te nihil in vitâ nobis acceptius umquam.
Nunc quoque eris, quamvîs sis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si fortè pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis!

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 85. *Sed non effugies*] Virg in Bucolicis: *Numquam hodie EFFUGIES*.

v. 87. *Quamvis ista mihi*] Apparet Propertium imitandi Maronis studiosissimum fuisse, quod planum fit ex hoc Disticho, cujus ideam cognosces in his Virgilianis Æneid. 2.

—— namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem,
Extinxisse nefas TAMEN, & sumpsisse merentis
Laudabor pœnas ——

v. 90. *janua*] Domestica scilicet, clam reserata, ne mater sentiret.

ELEG.

ELEGIA VIII.

Ut puellam ingratam ulciscatur, à canendis amoribus ad Cæsaris victorias narrandas divertere statuit.

NOn ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani mediâ non sine matre duces:
Quàm mihi si mediâ liceat pugnare puellâ,
Mortem ego non fugiam morte subire tuâ:
Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Æmonio jam dare tempus equo.
Jam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.

Quòd

OBSERVATIONES.

ELEG. VIII. v. 1. *Non ob regna.*] Si unquam alias gratias debuit Josepho Scaligero litteratorum familia, hic verò maximè debet; ingenio enim, & industria suâ politissimi auctoris luxata membra concinnavit, & in sedem reposuit. Quis enim ferret monstrum illud Hexastichi, quod post hanc Elegiam proximè sequebatur? Et sunt adhuc, qui Sole meridiano cæcutire malint, aut inventis frugibus glandes comedere? ipsi viderint, me certè convivam non habebunt.

v. 2 *media non sine matre*] Jocastam intelligit, quæ ab Oedipo filio per errorem compressa Etheoclem & Polynicen pepererat; qui posteà mutuis vulneribus conciderunt. V. Statium 11. Thebaidos.

v. 5. *Sed tempus*] Q. d. Sed satis deliravimus, æquum est aliquandò sapere.

Ibid. *aliis choreis*] Non Jonicis, & mollibus, ut hactenus consuevimus, at virilibus & militaribus. Exemplum satis illustre dabit Seneca lib. de tranquillitate animi: *Et Scipio*, inquit, *triumphale illud & militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus; sed ut illi antiqui viri solebant inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum etiam si ab hostibus suis spectarentur.*

Quòd si deficiant vires, audacia certè
Laus erit. *IN magnis & voluisse sat est.*
Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus:
Bella canam, quandò scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili jã carmine: sumite vires
Pierides; magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equites post terga tueri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodò capta manus.
Hæc ego castra sequar vates: tua castra canendo
Magnus ero. servent hunc mihi fata diem.

Ut

OBSERVATIONES.

v. 10. *in magnis & voluisse sat est*] Epitaphium Phaëtontis apud Ovidium 2. Metamorph.

Hic situs est Phaëton currus auriga paterni,
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit AUSIS.

v. 13. *subducto vultu*] Fronte rugosâ & caperatâ.

v. 21. *tellus se subtrahit*] Quia longinqua, & ignota; uti de amplitudine Catullus dixit Carm. 63 *Quacumque opulenta recessit Regia.* & Æneas apud Virgil. *Italiam sequimur fugientem*, quia scilicet infelices Trojani adversis casibus agitati numquam eò se perventuros existimabant.

v. 23. *tua castra canendo Magnus ero*] Q. d. Tu ô Cæsar, & milites tui materiam præbete carminibus meis: ego ad hoc natus sum, ut pugnantium res gestas celebrem potiùs, quàm ipse caput periculis objectem. Sequebantur autem poëtæ magnos duces ad prælium. Audi Claudianum præfat. l. 3. de laudibus Stiliconis:

Ma-

Ut caput in magnis ubi non eſt tangere ſignis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos nunc inopes laudis conſcendere carmen,
Pauperibus ſacris vilia thura damus.
Nondũ etiam Aſcræos norũt mea carmina fontes,
Sed modò Permeſſi flumine lavit Amor.
Scribant de te alii, vel ſis ignota, licebit.
Laudet, qui ſterili ſemina ponit humo.
Omnia, crede mihi, tecum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua tranſibit contemnens oſſa viator,
Nec dicet, cinis hic docta puella fuit.

ELE-

OBSERVATIONES.

Major Scipiades, Italis qui ſolus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non ſine Pieriis exercuit artibus arma:
Semper erat vatum maxima cura duci.

& paulò poſt:

Hærebat doctus lateri, caſtriſque ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

v. 25. *Ut caput in magnis*] Cur, & à quibus Deorum ſtatuæ coronarentur, docet Juſtus Lipſius l. 3. Antiqu. Lectionum. Facit locus Plauti Aſin. Act. 4. ſc. 2. quæ tota facetiis, & lepôre ſcatet:

Tum ſi CORONAS, ſerta, unguenta juſſeris
Ancillam ferre ſuam Veneri aut Cupidini,
Tuus ſervus ſervet, Venerine eas det, an viro.

v. 31. *Scribant de te alii*] Sermonem ad Cynthiam convertit, cui oblivionem & contemptum vaticinatur.

v. 33. *tecum uno munera lecto*] Funereo, cui defuncti cadaver impoſitum cremabatur. Similem ſententiam continet vetus Inſcriptio XXII. apud Reineſium claſſe xviii. Integram adſcribam:

ELEGIA IX.

Vulgatam Cupidinis imaginem laudat, & ad seipsum accommodat.

QUicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amore,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Is primùm vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.

Id-

OBSERVATIONES.

D. M.
QVID SIBI VVLT QVAERIS TELLVS CONGESTA VIATOR:
OSSIBVS HIC VXOR MISCVIT OSSA MEIS.
NOBILIS EVFRONIA FACILIS FORMOSA PVELLA
DOCTA OPVLENTA PIA CASTA PVDICA PROBA.
FORTVNAM MIRARE MEAM: VERVM EXITVS HIC EST
OMNIA MECVM VNO COMPOSVI TVMVLO.
I NVNC ET QVICQVAM VOTIS MELIORIBVS OPTA.
ABSVMIT TECVM SINGVLA SARCOPHAGVS.
HERMODORO PARAGMIO ET EVFRONIAE PARAGMIAE
LIB. CARISSIMIS HERMODORVS
PRAETORIVS NOMENCVLATOR POSVIT.
H. M. H. N. S.

ELEG. IX. v. 1. *puerum.*] Quoniam ad pueriles ineptias paulatim deducit sectatores suos. Venustè Horatius Sat. 3. l. 2. v. 258.
Porrigis irato PUERO cum poma, recusat:
Sume catelle: negat: si non des, optat. AMATOR
Exclusus qui distat? agit ubi secum eat, an non,
Quò rediturus erat non arcessitus, & hæret
Invisis foribus. Nec nunc, cum me vocet ultrò,
Accedam? an potiùs mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? non si obsecret —

v. 4. *Et levibus curis.*] Hoc non obscurè indicare voluerunt antiqui fabulatores Paridis figmento, qui arbiter electus de pulchritudine trium

Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alternâ quoniam jactamur in undâ,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnossia utroque jacet:
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hostem,
Nec

OBSERVATIONES.

trium Deatum, Veneri sevissima; imò & noxia præmia promittenti temerè favit, contemptis opibus, & sapientiâ, quæ Juno & Pallas pollicitæ fuerant. En tibi versus aureos T. Lucretii Cari l. 4. ubi has amatorias nugas elegantissimè irridet:

Labitur interea res, & vadimonia fiunt:
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur, teriturque Thalassina vestis
Assidue, & Veneris sudorem excita potant.
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitra &c.

Sic etiam Dido amore capta omnium obliviscitur, quæ antea pepulerat ad novæ Carthaginis munimentum:

Non cœptæ assurgunt turres, non arma fervuntur
Exercet: portusve, aut propugnacula bello
Tuta parat. pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.

v. 7. *alterna quoniam jactamur i. v.*] Supra Eleg. 7.

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores:
Vinceris, aut vincis; hæc in amore rota est.

Horatius citatus:

— in amore hæc sunt mala, bellum,
Pax rursum. hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, & cæca fluitantia sorte laboret
Reddere certa &c.

v. 8. *ex humero*] Ne obvia sit aspectibus, ut faciliùs incautos feriat.

v. 11. *Ante ferit*] Insidiator est, ex occulto adoritur. Ovid. Amor.

Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago:
Sed certè pennas perdidit ille suas.
Evolat, hei, nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, aliò trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno.
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
Hæc mea Musa levis, gloria magna tua est.
Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ,
Et canit ut soleant molliter ire pedes.

ELE-

OBSERVATIONES.

L. Eleg. 2.

Nam puto sentirem, si quo tentarer AMORE.
An subit, & tacita callidus arte nocet?

V. 19. *tentare*] Ea enim tentamus, ad quæ rudem animum afferimus, Virgilius 1. Ecl.

Non insueta graves TENTABUNT pabula ...

V. 20. *vapulat umbra mea*] Impotentis crudelitatis est in mortuum sævire. Hinc illa permissio desperantis:

Exagitet nostros manes, sectetur & UMBRAS,
Insultetque rogis, calcet & ossa mea.

cui concinit Ovidius l. 4. ex Ponto Eleg. ultimâ:

Quid juvat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

Cæterum locutionem Propertianæ similem observo apud Livium l. 5. Hist. n. 18. editionis Gronov. *Me jam non eundem, SED UMBRAM nomenque P. Licinii relictum videtis: vires corporis affecta, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus.*

ELEG.

ELEGIA X.

In Cynthiæ judicio ait se acquiescere, cui pompam & ordinem sui funeris mandat.

NOn tot Achæmeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Jussit & Ascræum sic habitare nemus,
Non ut Pieriæ quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismariâ ducere valle feras:
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu:
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino;
Non ego sum formæ tantùm mirator honestæ,
Nec si qua illustres femina jactat avos.

Me

OBSERVATIONES.

ELEG. X. v. 10. *Nec si qua illustres*] Erant scilicet Romæ, qui tantummodò cum matronis rem habere vellent, feminas verò tenuioris fortunæ despectas haberent: quasi nobilitas acriores libidini stimulos adderet. Horatius testis locuples hujus dementiæ Sat. 2. l. 1.

—— Sunt qui nolint tetigisse, nisi illas;
Quarum subsuta talos tegat instita veste:

Et portentum illud hominis Tiberius, auctore Cornelio Tacito l. 6. Annalium, *sceleribus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret; nec formam tantùm & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis IMAGINES MAJORUM incitamentum cupidinis habebat.* Huic geminus est locus insignis Quintiliani Declamat. 3. pro milite, qui bello Cimbrico Tribunum C. Marii propinquum sibi turpem vim inferre tentantem interfecerat: *Neque illa libido fuit saltem vitiis usitata; quæ ad obscœnos Veneris impetus formæ cupidine incenditur, sed quidam perditus contumeliæ amor, ac summa flagitiorum voluptas inquinare honesta & hoc ipsum, quod* pri-

Me juvat in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.
Hæc ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula; nam dominâ judice tutus ero.
Quæ si fortè bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.
Quãdocũque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quæ serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompa,
Nec

OBSERVATIONES.

primus ante signa procurrit, quòd veteranos tyro præcedit, quòd redit pulvere & cruore concretus; istud istud, quòd tam vir est. Vulgaria sunt irritamenta cupidinis forma, ætas: singularis res est fortis concubinus.

V. 11. *in gremio d. l. p.*] Hoc est fortasse, quod Horatius deridet l. 1. Sat. 10.

—— Demetri, teque Tigelli
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

V. 12. *Auribus puris*] Cum enim Cynthia poëticâ facultate præcelleret, rectè judicare poterat de carminibus aliorum. *Aures puræ* hoc loco usurpantur pro liquido & defæcato ingenio.

V. 13. *populi confusa valeto Fabula*] Nihil moror, quid populus imperitus, & levissima illiteratorum capita de me sentiant; tu mihi Cynthia theatrum & concio sola futura es. Paria Horatius citi

—— Nam satis est equitem mihi plaudere: ut audax
Contemptis aliis explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quòd
Vellicet absentem Demetrius: aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliusque;
Valgius, & PROBET hæc Octavius optimus, atque
Fuscus, & hæc utinam Viscorum laudet uterque:

Huc pertinent illa vehementissima Ciceronis in Antonium Philip. 2. *Non placet M. Antonio Consulatus meus: at placuit P. Servilio..... placuit Q. Lutatio Catulo...... placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido &c.*

v. 20.

Nec tuba sit fati vana querela mei:
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus: adsint
Plebeji parvæ funeris exsequiæ.
Sat sit, magna mei si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.
Tu verò nudum pectus lacerata sequare,
Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos:

Et

OBSERVATIONES.

v. 20 *vana querela*] Cur *vana*? An quia poëtarum immortale nomen, & idcircò eorum fune a non lugenda? An quia defuncti manes lesso, & lamentationibus revocari non possent? Favet priori explicationi Epitaphium Ennii poëticæ superbiæ plenum:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit. cur? volito vivu' per ora virum.

& Flaccus ad Mæcenatem Ode 20. l. 2.

Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Posteriorem adstruit ipse noster Eleg. 11 l. 4.

Desine Paule meum lacrymis urgere sepulcrum;
Panditur ad nullas janua nigra preces.

Sed altera illa propiùs veritatem accedit.

v. 21. *fulcro st. lectus eburno*] In quo scilicet potentiorum cadavera collocabantur. Svetonius Tranquillus in Julio c. 84. *Intraque LECTUS EBURNEUS, auro ac purpura STRATUS: & ad caput tropæum cum veste, in qua fuerat occisus.*

v. 24. *Plebeji parvæ f. e.*] V. Eleg. 5. l. 4. v. 69.

v. 25. *tres sint pompa libelli*] Consule

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
  Quæ tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus: QVI. NVNC JACET. HORRIDA. PVLVIS
  VNIVS. HIC QVONDAM SERVVS. AMORIS. ERAT.
Nec minùs hæc nostri notescet fama sepulcri,
  Quàm fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, siquando venies ad fata, memento
  Hoc iter: ad lapides cana veni memores.
Interea cave sis nos aspernata sepultos,
  Nonnihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Jussisset quævis de tribus una soror!
Nam quò tam dubiæ servetur spiritus horæ?
  Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Si tam longævæ minuisset fata senectæ
  Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
  Diceret aut, O mors cur mihi sera venis?

OBSERVATIONES.

sule observationes nostras ad carm. 1. Catulli v. 6. ubi pluribus hunc versum explico.

v. 35. *horrida pulvis*] Gelida, vel etiam sparsa. Persius 1. Sat.

Scis comitem HORRIDULUM trita
donare lacerna.

i. e. algentem. Tibul. Eleg. 10. l. 1. *ventis HORRIDA facta coma.* i. e. *dissipata.*

v. 45. *dubiæ horæ*] Nescimus enim quâ manu, vel quâ viâ, sit aditura ultima illa rerum linea. Horat. Ode 13. l. 2.

—— improvisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.

v. 49. *Non ille Antilochi*] Vide Juvenal. 10. Sat. ubi de senectutis damnis, & incommodis.

Ibid. *humari*] Lege meo periculo *humari*, quam lectionem præferunt aliqui Codices. nisi enim Lynceos oculos habeas, humatum cadaver videre non poteris.

Tu tamen amisso nonnumquàm flebis amico;
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, qui niveum quondàm percussit Adonim
Venantem Idalio vertice, durus aper.
Illis formosum lavisse paludibus, illuc
Diceris effusâ tu Venus isse comâ.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes;
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

ELEGIA XI.

Gaudio gestit, quòd amicâ potitus fuerit.

NOn ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnæ Laomedontis opes:
Nec sic errore exacto lætatus Ulysses,
Cum tetigit caræ litora Dulichiæ:
Nec sic Electra, salvum cum aspexit Orestem,
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror:
Nec sic incolumem Minôis Thesea vidit,

Dæ-

OBSERVATIONES.

v. 52. *Fas est præteritos*] At paucissimis feminarum id placet; quæ sæpe adhuc tepente mortui conjugis favillâ, novas nuptias adornant. Vide quàm falsa fuerit Elissa Carthaginis regina, si modò Maronis fabulam admittimus; quæ ita Æneid. 4.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.

Splendida sanè verba, sed nullius ponderis. Lege historiam lepidissimam cujusdam Ephesinæ matronæ apud Petronium Arbitrum. Adi etiam, si vacat & lubet, Septimium Tertullianum l. 1. ad uxorem, ubi secundas nuptias variis rationibus damnat.

ELEG.

Dædaleum lino cum duce rexit iter:
Quanta ego præteritâ collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit,
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi jam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam serò mihi nota fuisset
Conditio! emeritis nunc medicina datur.
Ante pedes cæcis lucebat semita nobis:
SCILICET insano nemo in amore videt.

Hoc

OBSERVATIONES.

ELEG. XI. v. 12. *sicco vilior esse lacu*] Sapit adagium, ut rectè admonuit Scaliger. Jeremias cap. 2. v. 13. *Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Nisi mavis intelligere vas vinarium amplum, quod veteres *lacum* appellabant. Tibullus Eleg. 3. l. 2.

Tu quoque devotos, Bacche, relinque LACUS.

Eleg. 5. ejusdem libri:

Dolia dum, magni deficiuntque LACUS.

Siccum autem fortasse dixerit, quasi exhaustum, vel non imbutum vino. Quemadmodum idem Tibullus Eleg. 6. l. 3.

— *quem vestrum pocula SICCA juvant?*

v. 14. *lenta sedere potest*] Supinorum hominum est *sedere* in alterius periculo. Inde composita *deses, desidia, desidere.* Svetonius Julio c. 4. *Vastante regiones proximas Mithridate, ne DESIDERE in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quò pertenderat, transiit in Asiam.* Tacitus quoque lib. Annal. 13 describit Neronem moriente Britannico *reclinem, & nescio similem*, utpote cujus jussu paratum venenum & propinatum esset.

v. 18. *nemo in amore videt.*] Ex Andriâ Menandri:

Τὸ δ' ἐρᾷν ἐπισκοτεῖ ἅπασιν ὡς
ἔοικε, καὶ τοῖς εὐλόγως
καὶ τοῖς κακῶς ἔχουσι.

Cæterùm Amor tenebras omnibus offundit, etiam illis, qui secundùm

bo-

Hoc sensi prodesse magis. contemnite amantes:
Sic hodiè veniet si qua negavit heri.
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant:
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Hæc mihi devictis potior victoria Parthis,
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.
Magna ego dona tuâ figã, Cytherea, columnâ,
Taleque sub nostro munere carmen erit:
HAS. PONO. ANTE. TVAS. TIBI. DIVA PROPERTIVS. ÆDES.
EXVVIAS. TOTA. NOCTE. RECEPTVS. AMANS.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis,
(Quod, si fortè aliquâ nobis mutabere culpâ)
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

ELE-

OBSERVATIONES.

bonam rationem, & decentur affecti sunt.

v. 23. *Hæc mihi devictis*] Non dubito, quin huc respexerit Claudianus Fescen. de nuptiis Honorii & Mariæ:

Dices, o quoties hoc mihi dulcius,
Quàm flavos decies VINCERE Sarmatas!

Vide Ovid. Eleg. 12. l. 2. Amorum.

v. 32. *Vestibulum jaceam m. a. t.*] Theocritus Idyllio 28 quod *amator infelix* inscribitur, vertente Daniele Heinsio:

—— ille fores pandit, mæstumque cadaver
VESTIBULO videt in medio ——

Lege fabulam Anaxaretes apud Nasonem cit. 14. Metamorph.

ELEGIA XII.

Voluptates suas recenset, & amatoriam vitam cæteris præfert.

O Me felicem! nox ô mihi candida! & ô tu
Lectule deliciis facte beate meis!
Quàm multa appositâ narramus verba lucernâ!
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modò nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunicâ duxit operta moram.
Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit, siccine lente jaces?
Quàm vario amplexu mutamus brachia! quantùm
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non juvat in cæco Venerem committere motu.
Si nescis, *OCULI sunt in amore duces.*

Ipse

OBSERVATIONES.

ELEG. XII. v. 2. *Lectule*] Apud Lucianum in Cataplo lectus & lucerna Megapenthis tyranni certiorem faciunt Rhadamantũ severissimum inferorum judicem de flagitiis domini sui.

v. 8. *lente*] Itali dicerent: *cosi ten'giaci dormiglione?*

v. 10. *Oscula sunt labris n. m. t.*] Poëta non inelegans apud Agellium l. 19. c. 11.

Tum si MORÆ quid plusculæ
Fuisset in coitu OSCULI:
Amoris igne percita (animula)
Transisset, & me linqueret.

v. 12. *Oculi sunt in amore duces*] Neminem ferè poëtarum, vel amœniorum scriptorum invenias, qui non hanc sententiam vel tractarit, vel attigerit saltem. Ego circumcisis pluribus, paucula quædam apponam minùs vulgata. Musæus de amoribus Leãdri & Herûs v. 94.

ὀφθαλμὸς δ' ὁδὸς ἔστι
OCULUS autem via est.

Euripides Hippolyto: ἔρως ἔρως

Ipse Paris nudâ fertur periisse Lacænâ,
  Cum Menelaeo surgeret è thalamo.
Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem
  Dicitur, & nudæ concubuisse Deæ.
Quòd si pertendens animo vestita cubaris,
  Scissâ veste meas experiere manus.
Quin etiam si me ulteriùs provexerit ira,
  Ostendes matri brachia læsa tuæ.

Nec-

OBSERVATIONES.

ὁ κατ' ὀμμάτων στάζεις πόθον. *Amor, Amor, qui per OCULOS desiderium instillas.* Aristoteles l. 9. Ethic. ad Nicomachum: Μὴ γὰρ προησθεὶς τῇ ἰδέᾳ, οὐδεὶς ἐρᾷ. *Nemo enim amore capitur, qui non fuerit ante formâ delectatus.* Plutarchus apud Stobæum serm. 64. ἡ γὰρ ὄψις, λαβὴ τοῦ πάθους ἐστί. *Visus enim veluti ansa est capienti amoris.* Propterea Zaleucus Locrensium legislator oculos erui jusserat ei, qui conjugem alterius corrupisset, veluti præcipua nequitiæ instrumenta. Vide Valer. Maximum l. 6. c. 5. Et magnis laudibus efferendus Scipio Africanus, qui *virginem pulcherrimam, ad cujus aspectum concurrebatur, ad se venit adduci, patrique ejus ac sponso restitui jussit.* verba sunt Sex. Aurelii Victoris libro de viris illustribus. Nec minor Alexander Macedo, qui prælio captam uxorem Darii Persarum regis tam sanctè apud se habuit, ut ne aspicere quidem vellet. Agellius l. 6. c. 8. ex Appione Græco. Q. Curtius l. 4. c. 10. De eodem narrat Plutarchus in vitarum comparatione, quòd cum vidisset mulieres Persicas eximiâ formâ, celsisque corporibus, ita jocatus fuerit: ὡς εἰσὶν μεγάλαι ἀλγηδόνες ὀμμάτων Περσίδες. *Quàm ingentes OCULORUM dolores sunt Persides!* Coronidem imponat his omnibus locus D. Jobi c. 31. *Pepigi fœdus*, inquit, *cum OCULIS meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Dictu mirum. quasi nihil interesset videretne, an cogitaret.

v. 13. *periisse*] Amavisse. Ita Virg. 8. Eclogâ: *Ut vidi, ut PERII.*

v. 17. *pertendens*] Obstinata: libentiùs tamen legerem *prætendens*, i. e. cupiditatem dissimulans, ut mos est feminarum.

Nec dum inclinatæ prohibent te ludere mammæ:
  Viderit hæc si quam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
  Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam hærentes sic nos vincire catenâ
  Velles, ut numquam solveret ulla dies!
Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
  Masculus, & totum femina conjugium.
Errat, qui finem vesani quærit amoris.
  VERUS Amor nullum novit habere modum.
Terra priùs falso partu deludet arantes,
  Et citiùs nigros Sol agitabit equos:

Flu-

OBSERVATIONES.

v. 21. *inclinatæ mammæ*] Aniles & flaccidæ. Lucilius l. 4. Sat.

Nunc censes καλλιπλόκαμον, καλλίσφυρον illam
Non licitum esse uterum, atque etiam inguina tangere MAMMIS.

Callicratidas Atheniensis pæderastes apud Lucianum in Amoribus inter cætera mulierum vitia hoc absque notâ non præterit: πάντα δὲ τὰ ἐντὸς αὐτῆς, γνωριμώτερα τοῦ προσώπου, χωρὶς τῶν αἰωρούμενα προπεπτωκότων μαζῶν, οὓς αἰεὶ περιφέρουσι δεσμώτας. *Omnia autem quæ intra ipsam sunt, cognitu faciliora, quàm facies, usque ad turpiter propendentes istas MAMILLAS, quas semper circumferunt obligatas, ac vinctas.*

v. 22. *peperisse pudet*] Ob rugas uteri. V. Ovid. de Arte l. 3. sub calcem, Martialem Epigrammate 42. l. 3. Huic vitio providebant impiæ mulierculæ, fetus immaturos enecando. Quamobrem Juvenal. Sat. 6.

Sed jacet aurato vix ulla PUERPERA lecto.

v. 28. *totum femina conjugium*] Frigida lectio, & mihi valde suspecta. Existimo fuisse à manu Propertii *notum*, i.e. *notæ fidei*. Vide Plinium l. 10. c. 34. ubi pudicitiam columbarum commendat.

v. 31. *falso partu*] I. e. si tritici semen gremio receperit, aliud frugis genus producet. Quod tamen inter ἀδύνατα locum tueri nequit; si quidem non rarò evenit, ut

Gra-

Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus & sicco gurgite piscis erit:
Quàm possim nostros aliò transferre calores.
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quòd mihi si secum tales concedere noctes
Illa velit, vitæ longus & annus erit.
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte unâ quivis vel Deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero:
Non ferrum crudele esset, neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verreret ossa mare:
Nec toties propriis circũ oppugnata triũphis,
Lassa foret crines solvere Roma suos.
Hæc certè meritò poterunt laudare minores.
Læserunt nullos pocula nostra Deos.

Tu

OBSERVATIONES.

Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles dominentur avenæ.

Nisi dicamus tunc demum id prodigium futurum, quando ubique terrarum evenerit.

v. 33. *ad caput*] Ad fontem. Ita Horat. Ode 1. l. 1.

—— *nunc ad aquæ lene CAPUT sacræ.*

v. 36. *mortuus hujus ero*] Supra Eleg. 19. l. 1.

Trajicit & fati litora magnus Amor.

v. 38. *annus vitæ*] Absolutè pro tempore, ut apud Tibullum Eleg. 4. l. 1.

ANNUS in apricis maturas collibus uvas.

Quod mutuatus Ovidius ita expressit:

Tempus ut extentis tumeat, facit, uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.

 v. 49.

Tu modò, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ.
  Omnia, si dederis oscula pauca, dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
  Quæ passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

ELEGIA XIII.

Rivalem prætorem devovet: Cynthiæ avaritiam, levitatem, fastidium, nimium formæ cultum exagitat: amantes miserrimos dicit: docet, quâ ratione iratæ puellæ flectantur.

PRætor ab Illyricis venit modò, Cynthia, terris,
  Maxima præda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Ceraumo:
  Ah Neptune tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plenâ fiunt convivia mensâ:

Nunc

OBSERVATIONES.

v. 49. *hunc fructum ne desere vitæ*] Voluptatem opinor, sine quâ vitam sibi nullam putabant Epicuri de grege porci. Lucretius eleganter suo more l. 3.

Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant: brevis est hic FRUCTUS homullis:
Jam fuerit, neque post umquam revocare licebit.

v. 52. *calathis*] Calicibus. Virgilius Ecl. 5.

Vina novum fundam CALATHIS Arvisia nectar.

v. 54 *includet fata*] Venustissimè dictum, quasi mortis indagine circumsepti homines ultrà præfinitam diem progredi non possint.

EL EG.

Nunc sine me totâ janua nocte patet.
Quarè, si sapis, oblatas ne desere messes;
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde ubi consumpto restabit munere pauper,
Dic alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro Venus ô succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Jupiter! indignâ merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipsâ tollere dona Tyro.
Atque utinam Romæ nemo esset dives, & ipse
Gra-

OBSERVATIONES.

ELEG. XIII. v. 8. *stolidum pl. v. carpe pecus*] Bacchides Plautinæ hoc nomine appellant Nicobulum & Philoxenum senes domum suam adventantes Act. 5. sc. 2. Satis est mihi locum indicasse.

v. 11. *Cynthia non sequitur fasces*] En tibi similem querelam suavissimi Anacreontis:

Γένος οὐδὲν εἰς ἔρωτα,
Σοφίη τρόπος πατεῖται.
Μόνον ἄργυρον βλέπουσι.
Nobilitas flocci fit in amore,
Sapientia & mores conculcantur.
Solum argentum intuentur.

v. 17. *Semper in Oceanum*] Avarum animal femina, & exuviis amantium gaudens. Eadem habet Juven. 6. Sat. sæpe laudatâ:

Interea cales, & regnas, poscisque maritum
Pastores & ovem Canusinam, ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota.
Quodque domi non est, & habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ cum jam mercator Jason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maximæ rursus
Murrhina, deinde adamas &c.

Gramineâ posset dux habitare casâ!
Numquam venales essent ad munus amicæ,
Atque unâ fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro:
Non quia peccaris, testor te, sed quia vulgò
FORMOSIS levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
Et subitò felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
Arserit & quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros injuria fletus?
An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.
Ah pudeat certè, pudeat: nisi fortè, quod ajunt,

TUR-

OBSERVATIONES.

v. 20. *Graminea casa*] E cespitibus extructâ.

v. 28. *mea regna*] Puellam, amores meos. Infra Eleg. 23.

Ut REGNEM mistas inter conviva puellas

Tibullus Eleg. 10. l. 1.

Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio REGNA superba tuo.

v. 31. *Nullane sedabit*] Numquam contemptus discam contemnere?

v. 33. *abiere dies*] Catul. carm. 60. *Sed ABIT DIES.*

v. 34. *campi*] Subaudi *Martii*, ubi juventus Romana honestis exercitationibus operam dabat. Vegetius de re militari l. 1. c. 10. hujus campi situm describit: *Romani campum Martium Tiberi vicinum delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum, sudorem, pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursusque laborem natando deponeret.*

v. 36. *Turpis Amor surdis a.e.s.*] Verba monentium odio habet.

Ho-

TURPIS Amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modò qui fremitu complevit inani
Actia damnatis æquora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Jussit, & externo quærere in orbe fugam.
Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est;
Illâ, quâ vicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos:
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas.
Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.
Non semper placidus perjuros ridet amantes,
Jupiter, & surdâ negligit aure preces.
Vidistin' toto sonitus percurrere cælo?
Fulminaque ætherea desiluisse domo?

Non

OBSERVATIONES.

Horatius Epod. 11.

Ex quo expedire non amicorum queant
Libera consilia,
Non contumelia graves.

v. 38. *damnatis militibus*] Infra Eleg. 6. l. 4.

Altera classis erat Teucro DAMNATA Quirino.

v. 42. *condidit arma*] Etenim post Actiacam victoriam, terrâ marique pace partâ, Janum Quirini clausit. V. Horatium Ode 15. l. 4. Svetonium in Octavio c. 22. Dionem Cassium l. 53. & 54.

v. 45. *in vanum*] Subaudi *aera*, qui facilè ab obviis corporibus rumpitur. Hinc *vanæ larvæ*, *vana somnia*. Horatius modò cit. Ode 23. l. 3.

—— *An vitiis carentem*
Ludit imago
VANA, quæ portâ fugiens eburna
Somnium ducit? ——

Egregiè verò Dantes Etruscus poëta (nel c. 6. dell' Inf.)

Noi passavam su per l'ombre, ch' adona

La

Non hæc Pleïades faciunt, neque aquosus Orion:
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit & ipse Deus.
Quarè ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.
Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantaleâ movearis flumina forte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim:
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Duriùs in terris nihil est quod vivat amante,
Nec, modò si sapias, quod minùs esse velis.
Quem modò felicem invidiâ admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere è duro corpus juvat, impia, saxo,
Sumere & in nostras trita venena manus:
Nunc licet in triviis siccâ requiescere lunâ,

Aut

OBSERVATIONES.

La greve pioggia, e ponevam le piante
Sopra lor VANITÀ che par persona.

v. 58. *Hoc erit infectas*] Scelus est homicidio non levius.

v. 60 *fractus utroque toro*] i.e. lassus utrâque lecti spondâ. Unicus interpres Ovidius Amorum 3. Eleg. 14.

Cur pressus prior est, interiorque TORUS?

v. 73.

Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo;
Tum flebit, cum mî senserit esse fidem.
Assiduæ multis odium peperere querelæ,
Frangitur in tacito femina sæpe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato:
Aut si quid doluit fortè, dolere nega.
Quin ego deminuo curam, quòd sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.
Quid si jam canis ætas mea caneret annis,

OBSERVATIONES.

v. 73. *dominam mutare*] Josephus Scaliger supponit *domina mutire*; quem tamen frustra esse, vel ex Pentametro liquet.

Tunc flebit, cum mi senserit esse fidem.

quòd scilicet dominam non mutaverim, licet ab eâ indignis modis acceptus.

v. 75. *odium peperere querelæ*] Non abludit Horatius Epist. 17. l. 1. ubi Scævam docet artes, quibus amicitia principum comparatur:

Coram rege suo de paupertate TACENTES,
Plus poscente ferent ——

v. 78. *dolere nega*] Ut Arria illa fortissima Pœti uxor, de quâ Plinius Junior Epist. 16. l. 3. *Præclarum illud ejusdem ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito; addere vocem immortalem ac pene divinam* POETE NON DOLET.

v. 81. *Quid si jam canis*] Hæc videntur diversi argumenti à superioribus, ut pridem suboluit Scaligero. Nec tamen aliquid profeceris, si ab hoc versu novam Eleg. incipias: nec adeò MSS. Codices opem suppeditare possunt, quibus non est cur tantoperè confidant eruditi homines, cum maximam partem barbaro sæculo ab imperitis librariis descripti fuerint. Lector in studiis melioribus occupatus aut dormitat, aut ridet, cum identidem ad has tricas impingit, quæ nostro tempore paginas implent: *Ita Palatinus codex: hæc est scriptura vetusti libri Parisiensis Bibliothecæ: MSS. liber amici mei N. notæ melioris: At Vaticanus antiquissimus*; & alia hujusmodi sine modo. Nihil omnino interest an doctorum conjecturas tempere in

Et faceret ſciſſas languida ruga genas?
At non Tithoni ſpernens Aurora ſenectam,
Deſertum Eoâ paſſa jacere domo eſt.
Illum ſæpe ſuis decedens fovit in ulnis,
Quàm priùs abjunctos ſedula lavit equos.
Illum ad vicinos cum amplexa quieſceret Indos,
Maturos iterum eſt queſta redire dies.
Illa Deos currum conſcendens dixit iniquos,
Invitum & terris præſtitit officium.
Cui majora ſenis Tithoni gaudia vivi,
Quàm gravis amiſſo Memnone luctus erat.
Cum ſene non puduit talem dormire puellam,
Et canæ toties oſcula ferre comæ.
At tu etiam juvenem odiſti me perfida, cum ſis
Ipſa anus haud longâ curva futura die.
Cum tibi nec frater, nec ſit tibi filius ullus,
Frater ego, & tibi ſim filius unus ego.

Nunc

OBSERVATIONES.

textum recipiamus, an verò nugaciſſimorum hominum ſomnia ſæpe inter ſe diſcrepantia mordicus amplectamur. Sed hæc per tranſennam.

v. 82. *faceret ſciſſas*] Pro *ſcinderet*. Memini me legiſſe in Teſtamento ludicro M. Grunnii Corocottæ Porcelli ſimilem locutionem. *Magirus Cocus dixit, Tranſi puer, adfer mihi de culina cultrum, ut hunc porcellum FACIAM cruentum.*

v. 97. *Cum tibi nec frater*] Ovidius Epiſt. Briſeidos hunc locum videtur imitatus:

Tot tamen amiſſis te compenſavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi FRATER eras.

v. 99. *infectos Britannos*] Cæſar l. 5. Belli Gallici: *Omnes verò ſe BRITANNI vitro INFICIUNT, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore ſunt in pugna aſpectu.*

v. 103.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
  Ludis & externo tincta nitore caput.
An si cæruleo quædam sua tempora fuco
  Tinxerit, idcircò cærula forma bona est?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura.
  Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellæ;
  Quæ mentita suas vertit inepta comas.
De me, mî certè poteris formosa videri,
  Mî formosa satis, si modò sæpe venis.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
  Nec nimis ornatâ fronte sedere velis.
Credam ego narranti (noli committere) famæ.
  ET terram rumor transilit, & maria.

ELE-

OBSERVATIONES.

V. 103. *Ut natura dedit*] V. Eleg. 2. l. 1. & quæ ad illam observavimus.

V. 109. *tibi sit custodia lectus*] Commendat Cynthiæ secessum intra domesticos parietes, de quo est doctum Alciati Emblema n. 115.

Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diva premis?
Me sic effinxit Phidias, sexumque referri
Femineum nostra jussit ab effigie:
Quòdque manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Noster infra Eleg. 10. l. 3. *Casta domi persederat uxor.*

V. 111. *noli committere*] Apta parenthesis, velut illa Horatii Sat. 1. l. 2.

Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
Flebit, & insignis tota cantabitur urbe.

ELEG.

Elegia XIV.

Ad Cynthiam rus euntem.

ETsi me invito discedis, Cynthia, Româ,
Lætor, quòd sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nul-

OBSERVATIONES.

ELEG. XIV. v. 3. *castis juvenis corruptor in agris*] Rustici more frugi & pudici, testante ipsomet Juvenale 6. Sat.

Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis. Vivat Gallis, ut VIXIT IN AGRO,
Vivat Fidenis, & agello crede paterno.

sed posteà dubitat;

Quis tamen affirmet nihil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeon' senuerunt Jupiter & Mars?

Quam suspicionem auget Seneca Hippolyto Ch. 2.

Quid deserta petis? tutior aviis
Non est forma locis. te nemore abditum,
Cum Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens Najades improbæ,
Formosos solitæ claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis.
Lascivæ nemorum Deæ,
Montivagique Panes.

Sed re verâ salaces homines fabularum ambagibus tegebant flagitia sua, ut Mars ille Romanæ gentis pater, qui Rheam Silviam constupravit. Lepidè profectò ingeniosissimus poetarum 3. Metamorph. ex ore Junonis in vetulam conversæ, & Semelen alloquentis:

———— opto
Jupiter ut sit, ait, metuo tamen omnia: multi
Nomine Divorum thalamos iniere pudicos.

Nonne Tiberius *in silvis quoque ac nemoribus passim Venereos locos commentus est, prostantesque per antra & cavas rupes, ex utriusque sexus pube Paniscorum & Nympharum habitu?* Svetonius in ejus vitâ c 43.

v. 4. *non sinat esse probam*] Tibullus l. 4.

Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamvis NON SINIS ES-

Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.
Sola eris, & solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, & fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
Fanaque peccatis plurima causa tuis:
Illic assiduè tauros spectabis arantes,
Et vitem doctâ ponere falce comas.
Atque ibi rara feres inculto thura sacello,
Hædus ubi agrestes corruet ante focos.
Protinus & nudâ choreas imitabere surâ,
Omnia ab externo sint modò tuta viro.
Ipse ego venabor: jam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse monere canes:

Non

OBSERVATIONES.

ESSE men.
Ovidius de Sileno:
Nequitia est, quæ te NON SINIT ESSE senem.
v. 19. *pinu*] Pro *pinui*. Catullus de comâ Beronices:
Queis ego pro factis cælesti reddita cætu.
Noster Eleg. 11. l. 1.
Alternæ facilis cedere lympha manu.
Cæterùm Dianæ pinum consecrabant veteres. Horatius Od. 22. l. 3.
Montium custos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto
Diva triformis:
Imminens villæ tua PINUS esto.
Quamobrem venationum Deæ suspendebant ex arbore capita, & cornua ferarum occisarum. Virg. Ecl. 7.
Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Mycon vivacis CORNUA cervi.

v. 21.

Non tamen ut vaſtos auſim tentare leones,
  Aut celer agreſtes cominùs ire ſues.
Hæc igitur mihi ſit lepores audacia molles
  Excipere, & ſtricto figere avem calamo:
Quà formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
  Integit, & niveos abluit unda boves.
Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
  Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec ſolæ poterunt avertere ſilvæ,
  Nec vaga muſcoſis flumina fuſa jugis:
Quin ego in aſſiduâ mutem tua nomina linguâ:
  Abſenti nemo non nocuiſſe velit.

ELEGIA XV.

Apud amicam falſo crimine accuſatus, illi ſe purgat, & accuſatori malè precatur.

QUid fles abductâ graviùs Briſeide? quid fles
  Anxia captivâ triſtiùs Andromachâ?
Quid-

OBSERVATIONES.

v. 21. *Non tamen ut vaſtos*] Venus apud Ovidium 10. Metam. ab iiſdem perſequendis cavere jubet Adonin ſuum.

Nuda genu, veſtem ritu ſuccinct. Dianæ,
Hortaturque canes: tutæque animalia prædæ
Aut pronos LEPORES, aut celſum in CORNUA cervum,
Aut agitat damas. à fortibus abſtinet apris,
Raptoreſque lupos, armatoſque unguibus urſos
Vitat, & armenti ſaturatos cæde LEONES.
Te quoque, ut hos timeas (ſi quid prodeſſe monendo
Poſſit) Adoni, monet ——

ELEG. XV. v. 1. *Quid fles*] Horatius

Quidve mcâ de fraude Deos, vesana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturnâ volucris funesta querelâ
Attica Cecropiis obstrepit in foliis:
Nec tantùm Niobe bis sex ad busta superba
Sol-

OBSERVATIONES.

tius Ode 7. l. 3. *QUID FLES Asterie?*

v. 5. *noct. volucris funesta querelæ*] Noctuam intelligit, quarum Athenis magna copia. Idcircò Lucianus ad Nigrinum scribens: ἡ μὲν παροιμία φησί, ΓΛΑΥΚΑ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΣ. ὡς γελοῖον ὂν εἴ τις ἐκεῖ κομίζοι γλαῦκας, ὅτι πολλαὶ παρ' αὐτοῖς εἰσι. *NOCTUAS ATHENAS*, *inquit proverbium: quasi ridiculum sit, si quis eò noctuas apportet, quoniam illis ibi abundent.* Quapropter noctua Minervæ sacra, in cujus Deæ fide fuerunt Athenæ. Id autem genus volucrum stridulo, & nocturno cantu maximè importunum, & ab antiquis mali ominis habitum. Virgilius 12. Æneidos versu 865.

Alitis in parvæ subitò collecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
NOCTE sedens, serum canit importuna per umbras.

Noster verò Eleg. 3. l. 4.

Sive in finitimo gemuit stans NOCTUA tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis cædem denunt ias agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popæ.

ad expiandum scilicet victimâ portentum. Si quis tamen lusciniam intelligere malit, in quam versa Philomela Pandionis regis Athenarum filia, tueri poterit opinionem suam his Maronis versibus ex 4. Georgic.

Qualis populea mærens philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
FLET NOCTEM, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mæstis latè loca questibus implet.

v. 7. *bis sex ad busta superba*] Apparet legendum *bis septem*, tot enim fuisse liberos Niobes Ovidius tradit 6. Metamorph.

In quamcumque domus adverti lumina partem
Immensæ spectantur opes, accedit eodem

Sollicito lacrymans depluit à Sipylo.
Me licet æratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaës condita mẽbra domo:
In te ego & æratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaës transiliamque domum.
De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures,
Tu modò ne dubita de gravitate meâ.
Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis,
(Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis)

Me

OBSERVATIONES.

Digna Dea facies. huc natas adjice septem,
Et totidem juvenes, & mox generosque nurusque.
Quærite nunc, habeat quam nostra SUPERBIA causam.

Et mox idem poëta narrat, mares omnes ab Apolline, feminas verò à Diana sagittis interfectas. Homerus tamen Iliados 24. uti observavit Natalis Comes l. 6. Mythologiæ c. 19. sex filios, ac totidem filias eximiâ pulchritudine Niobæ tribuit: ex quo vulgatam Propertii lectionẽ tueri possumus. Huc etiam accedit, quòd nonnulli fabularum scriptores ajunt, Apollinem uni ex numero septem juvenum pepercisse, Dianam autem uni ex numero puellarum. De hac Hyginus fab. 9. & 10. ita: *Diana filias in regia sagittis interemit. præter Chloridem. At genetrix liberis orba flendo LAPIDEA facta esse dicitur in monte SIPYLO. Ejusque hodiè LACRYMÆ manere dicuntur.* & paulo post: *Chloris Niobes & Amphionis filia, quæ ex septem superaverat. Hanc habuit in conjugem Neleus Hippocoontis filius &c.* Præterea novâ & subtili ratione Propertium explico: Niobe scilicet ab interitu duodecim filiorum adhuc superbiâ intumescebat, cum se post ingentem cladem parem Latonæ jactaret, gemino partu superstite.

v. 14. *de gravitate mea*] De constantia, ut ex adverso *levitas* inconstantiam significat.

v. 15. *Ossa tibi juro per matris*] Hinc novam facem præluceo Venusino poëtæ Ode 8. l. 2. quam scripsit in puellam perjuram. Locus obscurus est.

Expedit MATRIS CINERES opertos
FALLERE —

Pro-

Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
  Ambos una fides auferet, una dies.
Quòd si nec nomen, nec me tua forma teneret,
  Posset servitium mite tenere tuum.
Septima jam plenæ deducitur orbita Lunæ,
  Cum de me, & de te compita nulla tacent.
Interea nobis nonnumquam janua mollis,
  Nonnumquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis.

Quid-

OBSERVATIONES.

Promissa matri sepulta non implere: inquit vir doctus. At quæ sequuntur, hanc explicationem respuunt:

—— & toto taciturna noctis
Signa cum cælo, gelidaque divos
Morte carentes.

Quid enim promiserat Barine sideribus, aut Diis immortalibus? nihil profectò. Eorum potiùs testimonio usa fuerat, ut amatores deciperet. Quamobrem permittit Horatius puellæ, ut per cineres matris falsum juret, si quidem hujusmodi scelera ei bene cederent, nec uno turpior ungui fieret. Confirmat Propertius nostram explicationem, cum subjicit *Si fallo*, i. e. si peiero. Ita Eleg. 7. l. 4.

JURO ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet:
Me servasse fidem. SI FALLO, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.

Fallere igitur Flacco, pejerare. Hujusmodi juramenrum veteribus usitatum; quod colligo è M. Annæo Seneca præfat. l. 3. controvers. *Placet, inquit, tibi rem jurejurando transigi? jura, sed ego jusjurandum dabo. JURA PER PATRIS CINERES, qui inconditi sunt.*

v. 20. *servitium mite*] Supra Eleg 4. l. 1. ad Bassum:

Quid me non pateris vitæ quodcumque sequetur
Hoc magis assueto VIVERE SERVITIO?

Simo Terentianus Andriæ Act. 1. Sc. 1. ad Sosiam libertum:

Ego postquam te emi à parvulo, ut semper tibi
Apud me justa & clemens fuerit SERVITUS
Scis. ——

Ee 2 utro-

Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti.
  Possum ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, & me
  Inferno damnes Æace judicio:
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur,
  Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis;
  Ultima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuò jus est, quòd solus amator
  Nec citò desisto, nec temerè incipio.
Ah quantùm de me Panthi tibi pagina finxit,
  Tantùm illi Pantho ne sit amica Venus:
Sed tibi jam videor Dodonâ verior augur:
  Uxorem ille tuus pulcher amator habet.

Tot

OBSERVATIONES.

utrobique *servitium* & *servitus* pro dominatu accipiuntur.

v. 26. *Quidquid eram*] Horatius Ode 3. l. 4. Musæ gratias agens: *Quòd spiro, & placeo (si placeo) TUUM EST.*

v. 31. *mea pœna vagetur*] Pulchrè dictum de vulture circumvolante.

v. 33. *supplicibus tabellis*] Humilibus epistolis, ut mihi quidem videtur. Hic autem *venerari*, precari est, ut Eleg. 4. l. 1. *adorare*.

v. 37. *Ah quantùm*] Optime conjunxit superioribus vir magni judicii Scaliger; causa enim cur Cynthia vehementer doleret, fuerant litteræ Panthi, quæ Propertii nomen de ruptâ fide apud ipsam detulerant.

v. 39. *Sed tibi jam videor*] μίμησις epistolæ Panthi ultimo ejus Disticho, in quo poëta de se loquitur. Hoc nemo ante me animadvertit, quod quidem sciam. Incipit verò Panthius cum quadam irrisione. Italicè diceres: *Non sono io stato verace indovino?*

v. 40. *Ille tuus pulcher amator*] Propertius videlicet. ex quo liquet

Um-

Tot noctes periere. nihil pudet? aspice, cantat
Liber: tu nimiùm credula sola jaces.
Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se invito sæpe fuisse domi:
Dispeream, si quidquam aliud, quàm gloria, de te
Quæritur. has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Ejecta est, tenuit namque Creusa domum.
Sic à Dulichio juvene est elusa Calypso;
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimiùm faciles aurem præbere puellæ,
Discite desertæ non temere esse bonæ.
Huic quoque, qui restat, jampridem quæritur alter.
Experta in primo stulta cavere potes.

Nos

OBSERVATIONES.

Umbrum poëtam liberali facie fuisse, quod suspicabamur ad Eleg. 1. l. 1. v. 3. τὸ *ille* additur ad invidiam & contemptum. sic infra Eleg. 17.

ILLE TUUS pennas tam citò vertis Amor?

v. 44. *se invito*] Ut beneficium repudiet, ait suo injussu te ipsum domi expectasse. Supra Eleg. 15. l. 1.

Quis te cogebat multos pallere colores?

v. 48. *Ejecta est*] Heinsius & Bynæus de sanitate hujus loci frustra dubitant: quòd enim Creusa ipso nuptiarum die conflagraverit, id non efficit, quin domum Jasonis tenuerit, cum *tenere* nonnumquàm sit *attingere*. Virg. 6. Æneidos:

Jamque propinquabam terræ, & jam tuta TENEBAM.

Quid, si tenemus & illa, quæ mox amissuri sumus? Quid si domus pro amante quandoque sumitur? Noster supra Eleg. 13.

Atque una fieret cana puella DOMO.

idest unius amoribus consenesceret.

v. 53. *Huic quoque, qui restat*] Puta Prætori, de quo Eleg. 13.

Ibid. *quæritur alter*] Subaudi *successor*.

Nos quocũque loco, nos omni tempore tecum,
Sive ægrâ pariter, sive valente, sumus.

ELEGIA XVI.

Ad Demophoontem: Se multis amoribus capi, feminas verò tenuis fortunæ præcipuè sectari: ubi matronarum superba fastidia, & morositatem graphicè ob oculos ponit.

SCis here mî multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli deducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos:
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet:
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ si fortè aliquid vultu mihi dura negarat,

Fri-

OBSERVATIONES.

v. 55. *Nos quocumque loco*] Hic demum Propertius abjicit larvam Panthi, & ex personâ suâ loquitur. Hanc Elegiam esse paucorum hominum non temerè dixerim.

ELEG. XVI. v. 9. *puris in frontibus*] Serenis, & placidis. Horatius Ode 5. l. 2.

Dilecta, quantùm non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Ut PURA nocturno renidet
Luna mari —

v. 11. *vultu*] Nutu, qui sermo tacitus est: vel torvis oculis.

v. 14.

Frigida de totâ fronte cadebat aqua.
Quæris Demophoon cur sim tam mollis in omnes?
Quod quæris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
UNICUIQUE dedit vitium natura creato;
Mî fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, cæcus ero.
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris: haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet. sæpe est experta puella
Officium totâ nocte valere meum.
Jupiter Alcmenæ geminas requieverat arctos,
Et cælum noctu bis sine rege fuit.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 14. *Quod quæris*] I. e. tu ô Demophoon causam quæris, cur ego in varios amores impellar · ego vicissim te interrogo, quare nulla ex humanis voluptatibus rationem habet, quam quæris? Omnes enim in id quod placet, impetu rapimur, non ratione.

v. 15. *Cur aliquis sacris*] Vide Eleg 7. l. 1. Tibulli.

v. 22. *haud umq. est cul. a lab. Venus*] Hoc Ovidius de se profitetur

Sæpe ego lasciuæ consumpta tempore noctis,
Utilis, & forti corpore manè fui.

Amor. 2. Eleg. 10.

v. 24. *Officium*] Lateris videlicet. Naso citatus 3. Amor. Eleg. 7.

At nuper bis flava Chie, ter candida Pitho,
Ter Libas. OFFICIO continuata meo.

Vide Senecam patrem præfat. L. 4. Controv. Epit.

v. 25. *geminas requieverat arctos*] I. e. magnam & minorem Ursam stare jusserat, nec diei advenienti cedere, ut ipse diutiùs amoribus suis vacare posset, & ingentem illum Herculem generare. Infra

Nec tamen idcircò languens ad fulmina venit.
NULLUS Amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum è complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugêre minùs Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachæ lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hìc ego Pelides, hìc ferus Hector ego.
Aspice uti cęlo modò Sol, modò Luna ministret,
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis:
Altera si quando non sinit esse locum.
Aut si fortè irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam meliùs duo defendunt retinacula navem,

Tu-

OBSERVATIONES.

Eleg. 23. hujusce libri:

Quamvis ille suam lassus REQUIESCAT avenam.

Sosias verò Plautinus Amphitru. Act. 1. Sc. 1. hanc siderum segnitiem admiratur:

Credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium,
Nam neque se septemtriones quoquam in cælo commovent,
Neque se luna quoquam mutat, atque uti exorta est ost semel.
Nec jugula, neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt.
Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die.

V. 40. *Ut sciat esse aliam*] Zelotypiæ incutiendæ gratiâ, quâm rum in modum animi accenduntur.

V. 41. *duo retinacula*] Anchoras intellige. Epictetus apud Joannem Stobæum serm. 109. οὔτε ναῦν ἐκ μιᾶς ἀγκύρας, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ἁρμοστέον. *Neque NAVIM unâ solùm ANCHORA, neque vitam una spe muniri oportet.* Quæ mirificè Propertium illustrant.

v. 43.

Tutiùs & geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito,
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subitò si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit illa, vetat?
Et rursum puerum quærendo audita fatigat,
Quem quæ scire timet, quærere plura jubet.
Cui fuit indocto fugienda hæc semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut commissa suæ verba ferat dominæ?
Et quærit toties, quænam nunc porticus illam
Integit? & campo quo movet illa pedes?

De-

OBSERVATIONES.

v. 43. *Aut si es dura, nega*] μέμψις amantis geminâ puellâ superbientis; Q. d. age, si quid agis. vel admitte, vel exclude: repulsam tuam nihil moror, altera enim excipiet à te abeuntem. ne me suspensum diu teneas.

v. 48. *quem non noverit illa*] Notum quidem, sed consultò ignoratum.

v. 49. *puerum quærendo aud. fatigat*] Sciscitatur sedulò ex internuntio, si qua fortasse ex dominæ vultu, aut sermone perceperit. V. Eleg. 4. l. 3.

v. 51. *indocto*] Cum rudis adhuc & inexpertus eram, pulchrumque mihi videbatur sectari matronas: nunc verò jam doctus viles mulieres nobilibus præfero.

v. 53. *Ingenuus quisquam &c.*] Hæc stomachoso vultu gestuque pronuntianda. Juvenalis Sat. 5. in Trebium parasitum:

quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & signum de paupere loro?

Similia illa indignationis plena,

quam-

Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores
  Herculis, ut scribat, muneris ecquid habes?
Et modò pavonis caudæ flabella superbæ,
  Et manibus durâ frigus habere pilâ,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
  Quæque nitent Sacrâ vilia dona viâ.
Ah peream, si me ista movent dispendia: verùm
  Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.
Cernere uti possis vultum custodis avari,
  Captus & immundâ sæpe latere casâ,
Quam carè semel in toto nox vertitur anno!
  Ah pereant, si quos janua clausa juvat.
Contra rejecto quæ libera vadit amictu,
  Custodum & nullo septa tumore, placet.
Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
  Nec finit esse moram, si quis adire velit.
Differet hæc numquam, nec poscet garrula, quæ te
Attri-

OBSERVATIONES.

quamquam in re dissimili, apud Virg. 2. Æneidos:

Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?

& illa Horatii Epod. 18.

Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

V.63. *si me ista movent dispendia*] Phrasim hanc illustro ad carmen Catulli 12.

V.65. *Cernere uti possis*] Cicero atrocissimè 7. in Verrem ex ore Sestii lictoris: *ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur, ne sæpius feriatur.* His respondet adagium Italicum: *pagare il boja, che ti frusti.* Levius Juvenalis 3. Sat. ad gustum tamen poetæ nostri:

quid das, ut Cossum aliquando salutes,
Ut te respiciat clauso Vejento labello?

V.74.

Astrictus ploret sæpe dedisse pater.
Nec dicet: timeo, propera jam surgere quæso,
Infelix! hodiè vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes
Me capiant: nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.
Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro,

Et

OBSERVATIONES.

v.74. *astrictus*] Siccus, & frugi. Persius Sat. 5.

—— an siccis dedecus obstem
Cognatis, an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam?

v.77. *& quas mihi misit Orontes*] De his adveuis meretriculis, quæ Romanos mores corruperant, queritur Umbritius apud Juvenalem loco citato:

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit ORONTES,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad Circum jussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Quòd autem ad Circum prostarent populari libidini expositæ, testatur & auctor carminis in Priapum.

Deliciæ populi magno notissima Circo
Quintia, vibratas docta movere nates:
Cymbala cum crotalis pruriginis arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulsa manu.

v.78. *furta pudica tori*] I.e. pudici tori, seu matronalis. Locutio similis Eleg. 19. l.3.

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

pro *librorum tuorum*. Eodem pacto Lucretius lib. 1.

Nam simul ac species patefacta est verna diei.

i.e. diei vernæ, temporis verni.

v.80. *Nullus liber erit, s.q.a.v.*] Eò dicit, quia viles ancillarum amores mancipiis digni videbantur, non ingenuis adolescentibus. Aptè verò colligit: Nullus amans liber est, igitur parùm interest quam servitutem servias, stolatæne mulieris, an togatæ.

v.81. *Tu loqueris*] Alia *plurima*

ex

Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis aspergat tempora surdo
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput:
Nec sic per totam infamis traducerer urbem;
Ureret & quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles;
Parciùs infamant: num tibi causa levis?

ELE-

OBSERVATIONES.

ex personâ objectantis. Q. d. tu isthæc jactas ó Properti, qui paulò ante Cynthiam usque ad insaniam deperibas, Cynthiam illam, quæ matronali fastidio insignis est?

v. 83. *surdo*] In libris vulgatis *sudor*. Emendavit Josephus Scaliger hac sententiâ: quem licet surdum hæc verba non vellicent? Ita supra:

Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, cæcus ero.

V. 85. *tam*] Pleonasmus, ut sæpe alibi.

V. 86. *nequitiæ caput*] Auctor decoris illius, quod in aliis reprehendo.

V. 88. *nomine*] Ficto scilicet, quia *Hostia* Propertianæ amicæ nomen verum fuit.

V. 90. *num tibi causa levis*] Subaudi *videtur*.



ELEG:

ELEGIA XVII.

Expostulat cum amicâ sibi rivalem præferente, jactatque constantiam suam in amore: denique ad æmulum ipsum conversus, docet eum feminarum levitatem.

HOc erat in primis, quod me gaudere jubebas?
  Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
  Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modò laudabas, & carmina nostra legebas:
  Ille tuus pennas tam citò vertit Amor?
Contendat mecum ingenio, contendat & arte,
  In primis unâ discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
  Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat:
Tetra venena libens, & naufragus ebibat undas,
  Et numquam pro te deneget esse miser:
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores!)
  Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidũ jactando venit honorẽ.
  Dissidium vobis proximus annus erit.
Dura est, quæ multis simulatum ducit amorem,
Et

OBSERVATIONES.

ELEG. XVII. v. 15. *se in tumidum jactando venit honorem*] Sic infra Eleg. 11. l. 3. *Omphale in tantum formæ processit* HONOREM.

v. 17. *simulatum ducit amorem*] Con-

Et se plus uni si qua parare potest.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices: Ossa, Properti,
Hæc tua sunt; eheu, tu mihi certus eras.
Certus eras, eheu, quamvis non sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar, numquã me injuria mutat.
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos istâ periisse figurã,
Credo ego, sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoõ, hospes uterque malus.
Jam tibi Jasoniâ nota est Medea carinâ,
Et modò servato sola relicta viro.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus, sed tu potiùs, precor, ut me
Demissis plangas pectore nuda comis.
Unica nata meo pulcherrima cura dolori,

Ex-

OBSERVATIONES.

Concinnius esset, ut ego quidem existimo:

Dura est, quæ multos simulato ducit amore.

dixit enim superiùs hoc eodem libro: *promissis ducere amantem*, idest lactare fallaci spe; sed nihil muto.

v. 33. *Noli nobilibus*] Cave ne conferas novitatem & inopiam meam imaginibus & divitiis aliorum: confer potiùs fidem:

v. 35. *Ii tibi nos erimus*] Qui ossa tua legamus, si fortè præmoriaris, quod Dii nolint.

v. 37. *Unica natam cop. c. d.*] Sapia-

Excludit quoniam sors mea, sæpe venis.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tuâ veniâ; pace, Catulle, tuâ.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandævique negant ducere aratra boves:
Putris & in vacuâ requiescit navis arenâ,
Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.

Et

OBSERVATIONES.

pra Eleg. 16.

O nimis exitio NATA theatra MEO!

v. 41. *Miles depositis*] Veterani, acceptâ missione, per otium vitæ reliquum exigebant. Innuit Horatius Sat. 1. l. 1.

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, MILES, nautæque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria ——

Et seditiosi milites apud Lucanum 5. Pharsaliæ v. 274.

—— *jam respice canos,*
Invalidasque manus & inanes cerne lacertos.
Usus abit vitæ: bellis consumpsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes. en improba vota &c.

Totum autem hunc locum venustissimè imitatur Ovidius Eleg. 8. l. 4. Tristium:

In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
Ne temerè in mediis dissolvantur aquis.
Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
MILES, ut emeritis non est satis utilis ARMIS,
PONIT ad antiquos, quæ tulit, ARMA Lares.
Sic igitur tarda vires minuente SENECTA,
Me quoque donari jam rude, tempus erat.

v. 47.

Et si sæcla forent antiquis grata puellis,
  Essem ego, quod nunc tu; tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores.
  Unusquisque suâ noverit ire viâ.
Nonne fuit satius duro servire tyranno?
  Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu?
  Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obscurâ teritur rubigine mucro
  Ferreus, & parvo sæpe liquore silex.
At nullo de me teritur sublimine amor, qui
  Restat, & immeritâ sustinet aure minas.

Ul-

OBSERVATIONES.

v. 47. *Et si sæcla forent*] Malè omnino hæc explicat Scaliger. Non enim alloquitur Cynthiam Propertius, ut placebat magno viro, sed potiùs rivalem suum; aitque se nihili fieri ab amicâ ob iniquam temporum conditionem, quibus nulla fides insit levibus puellis: quòd si essent aurea illa sæcula, quæ priscas illas Heroinas tulerunt, futurum se voti sui compotem, victo & depulso æmulo. *Sæcla puellis antiquis grata* nihil aliud sunt, quàm *antiqua sæcula, vetusti mores*. At Propert. loquitur ἀνθρωπικῶς, ut sæpe aliàs. Ita explicandus versiculus Eleg. 7. l. 1.

—— ætatis tempora dura queri.

Hoc distichon cum sequenti non erat loco movendum.

v. 51. *Nonne fuit satius*] Virg. Eclog 2.

NONNE FUIT SATIUS tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcam,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?

v. 58. *Restat, & immerita sust. aure minas*] Lucretius lib. 1.

—— Nam si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque MINIS obsistere vatum.
Nunc ratio nulla est RESTANDI, nulla facultas:
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

v. 59.

Ultrò contemptus rogat, & peccasse fatetur
Læsus, & invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
Credule, *NULLA diù femina pondus habet.*
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut priùs infecto deposcit præmia cursu,
Septima quàm metam triverit ante rota?
MENDACES ludunt flatus in amore secundi:
Si qua venit serò, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Nāque in amore suo semper sua maxima cuique,
Nescio quo pacto, verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento.
INVIDIAM quod habet, non solet esse diù.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantùm sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam:

Vi-

OBSERVATIONES.

v. 59. *Ultrò contemptus rogat*] Aquinati poëtæ lectionem Propertii familiarem fuisse non pauca demonstrant, quæ videtur Satyricus à nostri fontibus derivasse. Profectò geminus huic loco est ille 3. Sat.

—— libertas pauperis hæc est:
Pulsatus ROGAT, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus indè reverti.

v. 75. *At vos*] Id vult Propertius: Qui feminæ unius jussis obtemperat, miserrimus vivit; quas igitur lacrymas, quæ suspiria futura censes omnivoli hominis, & in plures amores distracti?

v. 77. *Vidistis pleno*] Sulmonensis poeta idem argumentum copio-

se

Vidiſtis fuſco; ducit uterque color.
Vidiſtis quamdam Argivâ prodire figurâ:
Vidiſtis noſtras; utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel ſit ſandycis amictu:
Hæc atque illa mali vulneris una via eſt.
Cum ſatis una tuis inſomnia portet ocellis,
Una ſit & cuivis fœmina multa mala.

Elegia XVIII.

Ad Cynthiam: ſe illam in ſomnis naufragio proximam vidiſſe, cui ſe ſpondet uſque fidiſſimum: atque amantes divinatione non indigere ad genus mortis ſuæ prænoſcendum.

VIdi te in ſomnis fractâ, mea vita, carinâ
Ionio laſſas ducere rore manus:
Et quæcumque in me fueras mentita, fateri,
Nec jam humore graves tollere poſſe comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.

Quàm

OBSERVATIONES.

se trahat. Amor. 2. Eleg. 4.

v. 78. *Vidiſtis fuſco*] Plenus & fuſcus candor opponuntur. Quod non temerè apud alios auctores invenias.

v. 83 *inſomnia*] Vigilias. Terent. Eunucho Act. 2. Sc. 1.

Nam aut jam revertere; aut mox noctu te adigent horſum INSOMNIA.

EL. EG. XVIII. v. 1. *Vidi te in ſomnis*] Callidè admodùm Propertius comminiſcitur ſomnium, ut admonitu periculi deterreat Cynthiam à perjurio, & levitate. Potiò hæc ſunt venuſtiſſima, & maximè

Quàm timui, ne fortè tuum mare nomen haberet,
  Atque tuâ labens navita fleret aqua!
Quæ tum ego Neptuno, quæ tũ cũ Castore fratri,
  Quæque tibi excepi tum Dea Leucothoë!
At tu vix primas extollens gurgite palmas,
  Sæpe meum nomen jam peritura vocas.
Quòd si fortè tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris:
Et tibi præ invidiâ Nereïdes increpitarent,
  Candida Nisæe, cærula Cimothoë.

Sed

OBSERVATIONES.

ximè castigato stylo conscripta.

v. 8. *fleret*] Infortunii tui scilicet memor.

v. 10. *excepi*] Voto segregavi, & in donaria sposui. Virg. Æneidos 9.

Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristasque rubentes
EXCIPIAM sorti, jam nunc tua præmia, Nise.

v. 11. *primas palmas*] Summos digitorum articulos. Ita Catul. carm. 2. *Cui PRIMUM digitum dare adpetenti* &c. At Valerius Flaccus meus nulli poëtarum secundus his coloribus Hellem pereuntem depingit 1. Argonautic.

Illa quidem fessis longè petit humida palmis
Vellera, sed bibulas urgenti pondere vestes
Unda trahit, lævique manus labuntur ab auro.
Quis tibi Phryxe dolor, rapido cum concitus æstu
Respiceres miseræ clamantia virginis ora,
EXTREMASQUE MANUS, sparsosque per æquora crines!

Hæc Propertio miram lucem afferunt, & sanè videntur ab ipso deducta, pulcherrimo quodam imitandi genere.

v. 12. *Sæpe meum nomen*] Naufragis in ore solent esse nomina eorum, quos ament. Hoc irata Dido comminatur Æneæ apud Virg l. 4.

Spero equidem in mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis, & NOMINE Dido
Sæpe VOCATURUM ——

Vide etiam, si lubet, Ovidium 11. Metamorph.

Nos quocũque loco, nos omni tempore tecum,
Sive ægrâ pariter, sive valente, sumus.

ELEGIA XVI.

Ad Demophoontem: Se multis amoribus capi, feminas verò tenuis fortunæ præcipuè sectari: ubi matronarum superba fastidia, & morositatem graphicè ob oculos ponit.

SCis here mî multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli deducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos:
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet:
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ si fortè aliquid vultu mihi dura negarat,
Fri-

OBSERVATIONES.

v.55. *Nos quocumque loco*] Hic demum Propertius abjicit larvam Panthi, & ex personâ suâ loquitur. Hanc Elegiam esse paucorum hominum non temerè dixerim.

ELEG. XVI. v.9. *puris in frontibus*] Serenis, & placidis. Horatius Ode 5. l. 2.

Dilecta, quantùm non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Ut PURA nocturno renidet
Luna mari ——

v.11. *vultu*] Nutu, qui sermo tacitus est: vel torvis oculis.

v.14.

Frigida de totâ fronte cadebat aqua.
Quæris Demophoon cur sim tam mollis in omnes?
Quod quæris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
UNICUIQUE dedit vitium natura creato;
Mî fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, cæcus ero.
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris: haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet. sæpe est experta puella
Officium totâ nocte valere meum.
Jupiter Alcmenæ geminas requieverat arctos,
Et cælum noctu bis sine rege fuit.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 14. *Quod quæris*] I. e. tu ô Demophoon causam quæris, cur ego in varios amores impellar · ego vicissim te interrogo, quare nulla ex humanis voluptatibus rationem habet, quam quæris? Omnes enim in id quod placet, impetu rapimur, non ratione.

v. 15. *Cur aliquis sacris*] Vide Eleg 7. l. 1. Tibulli.

v. 22. *haud umq. est cul. a lab. Venus*] Hoc Ovidius de se profitetur

Sæpe ego lasciuæ consumpta tempore noctis,
Utilis, & forti corpore manè fui.

Amor. 2. Eleg. 10.

v. 24. *Officium*] Lateris videlicet. Naso citatus 3. Amor. Eleg. 7.

At nuper bis flava Chie, ter candida Pitho,
Ter Libas OFFICIO continuata meo.

Vide Senecam patrem præfat. l. 4. Controv. Epit.

v. 25. *geminas requieverat arctos*] I. e. magnam & minorem Ursam stare jusserat, nec diei advenienti cedere, ut ipse diutiùs amoribus suis vacare posset, & ingentem illum Herculem generare. Infra

Nec tamen idcircò languens ad fulmina venit.
NULLUS *Amor vires eripit ipse suas.*
Quid? cum è complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugêre minùs Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachæ lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hìc ego Pelides, hìc ferus Hector ego.
Aspice uti cęlo modò Sol, modò Luna ministret,
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis:
Altera si quando non finit esse locum.
Aut si fortè irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam meliùs duo defendunt retinacula navem,

Tu-

OBSERVATIONES.

Eleg. 23. hujusce libri:

Quamvis ille suam lassus REQUIESCAT avenam.

Sosias verò Plautinus Amphitru. Act. 1. Sc. 1. hanc siderum segnitiem admiratur:

Credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium,
Nam neque se septemtriones quoquam in cælo commovent,
Neque se luna quoquam mutat, atque uti exorta est est semel:
Nec jugula, neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt.
Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die.

v. 40 *Ut sciat esse aliam*] Zelotypiæ incutiendæ gratiâ, quâ mirum in modum animi accenduntur.

v. 41. *duo retinacula*] Anchoras intellige. Epictetus apud Joannem Stobæum serm. 109. οὔτε ναῦν ἐκ μιᾶς ἀγκύρας, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ἁρμοστέον. *Neque NAVIM una solùm ANCHORA, neque vitam una spe muniri oportet.* Quæ mirificè Propertium illustrant.

v. 43.

Tutiùs & geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito,
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subitò si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit illa, vetat?
Et rursum puerum quærendo audita fatigat,
Quem quæ scire timet, quærere plura jubet.
Cui fuit indocto fugienda hæc semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut commissa suæ verba ferat dominæ?
Et quærit toties, quænam nunc porticus illam
Integit? & campo quo movet illa pedes?

De-

OBSERVATIONES.

V. 43. *Aut si es dura, nega*] *μέμψις* amantis geminâ puellâ superbientis; Q. d. age, si quid agis. vel admitte, vel exclude: repulsam tuam nihil moror, altera enim excipiet à te abeuntem. ne me suspensum diu teneas.

V. 48. *quem non noverit illa*] Notum quidem, sed consultò ignoratum.

V. 49. *puerum quærendo aud. fatigat*] Sciscitatur sedulò ex internuntio, si qua fortasse ex dominæ vultu, aut sermone perceperit. V. Eleg. 4. l. 3.

V. 51. *indocto*] Cum rudis adhuc & inexpertus eram, pulchrumque mihi videbatur sectari matronas: nunc verò jam doctus viles mulieres nobilibus præfero.

V. 53. *Ingenuus quisquam &c.*] Hæc stomachoso vultu gestuque pronuntianda. Juvenalis Sat. 5. in Trebium parasitum:

quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & signum de paupere loro?

Similia illa indignationis plena, quam-

Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores
  Herculis, ut scribat, muneris ecquid habes?
Et modò pavonis caudæ flabella superbæ,
  Et manibus durâ frigus habere pilâ,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
  Quæque nitent Sacrâ vilia dona viâ.
Ah peream, si me ista movent dispendia: verùm
  Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.
Cernere uti possis vultum custodis avari,
  Captus & immundâ sæpe latere casâ,
Quam carè semel in toto nox vertitur anno!
  Ah pereant, si quos janua clausa juvat.
Contra rejecto quæ libera vadit amictu,
  Custodum & nullo septa tumore, placet.
Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
  Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet hæc numquam, nec poscet garrula, quæ te
Attri-

OBSERVATIONES.

quamquam in re dissimili, apud Virg. 2. Æneidos:

Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?

& illa Horatii Epod. 18.

Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

v.63. *si me ista movent dispendia*] Phrasim hanc illustro ad carmen Catulli 12.

v.65. *Cernere uti possis*] Cicero atrocissimè 7. in Ver. em ex ore Sestii lictoris: *ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur, ne sæpius feriatur.* His respondet adagium Italicum: *pagare il boja, che ti frusti.* Levius Juvenalis 3. Sat. ad gustum tamen poetæ nostri:

quid das, ut Cossum aliquando salutes,
Ut te respiciat clauso Vejento labello?

v.74.

Astrictus ploret sæpe dedisse pater.
Nec dicet: timeo, propera jam surgere quæso,
Infelix! hodiè vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes
Me capiant: nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.
Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro,

Et

OBSERVATIONES.

v.74. *astrictus*] Siccus, & frugi. Persius Sat. 5.

---- an siccis dedecus obstem
Cognatis, an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscænum frangam?

v.77. *& quas mihi misit Orontes*] De his advenis meretriculis, quæ Romanos mores corruperant, queritur Umbritius apud Juvenalem loco citato:

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit ORONTES,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad Circum jussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Quòd autem ad Circum prostarent populari libidini expositæ, testatur & auctor carminis in Priapum.

Deliciæ populi toto notissima Circo
Quintia, vibratas docta movere nates:
Cymbala cum crotalis pruriginis arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulsa manu.

v.78. *furta pudica tori*] I.e. pudici tori, seu matronalis. Locutio similis Eleg. 19. l.3.

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

pro *librorum suorum*. Eodem pacto Lucretius lib. 1.

Nam simul ac species patefacta est verna diei.

i.e. diei vernæ, temporis verni.

v.80. *Nullus liber erit, s.q.a.v.*] Eò dicit, quia viles ancillarum amores mancipiis digni videbantur, non ingenuis adolescentibus. Aptè verò colligit: Nullus amans liber est, igitur parùm interest quam servitutem servias, stolatæne mulieris, an togatæ.

v.81. *Tu loqueris*] Alia plurima

ex

Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis aspergat tempora surdo
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quodsi tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput:
Nec sic per totam infamis traducerer urbem:
Ureret & quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles;
Parciùs infamant: num tibi causa levis?

ELE-

OBSERVATIONES.

ex personâ objectantis. Q. d. tu isthæc jactas ó Properti, qui paulò ante Cynthiam usque ad insaniam deperibas, Cynthiam illam, quæ matronali fastidio insignis est?

v. 83. surdo] In libris vulgatis *sudor*. Emendavit Josephus Scaliger hac sententiâ: quem licet surdum hæc verba non vellicent? Ita supra:

Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, cæcus ero.

v. 85. *tam*] Pleonasmus, ut sæpe alibi.

v. 86. *nequitiæ caput*] Auctor dedecoris illius, quod in aliis reprehendo.

v. 88. *nomine*] Ficto scilicet, quia *Hostia* Propertianæ amicæ nomen verum fuit.

v. 90. *num tibi causa levis*] Subaudi *videtur*.



ELEG.

ELEGIA XVII.

Expostulat cum amicâ sibi rivalem praeferente, jactatque constantiam suam in amore: denique ad aemulum ipsum conversus, docet eum feminarum levitatem.

HOc erat in primis, quod me gaudere jubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modò laudabas, & carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam citò vertit Amor?
Contendat mecum ingenio, contendat & arte,
In primis unâ discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat:
Terra venena libens, & naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser:
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores!)
Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidũ jactando venit honorẽ.
Dissidium vobis proximus annus erit.
Dura est, quae multis simulatum ducit amorem,
Et

OBSERVATIONES.

ELEG. XVII. v.15. *se in tumidum jactando venit honorem*] Sic infra Eleg. 11. l. 3.
Omphale in tantum formae processit HONOREM.

v.17. *simulatum ducit amorem*]
Con-

Et se plus uni si qua parare potest.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices: Ossa, Properti,
Hæc tua sunt; eheu, tu mihi certus eras.
Certus eras, eheu, quamvis non sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar, numquã me injuria mutat.
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos istâ periisse figurã,
Credo ego, sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoõ, hospes uterque malus.
Jam tibi Jasoniâ nota est Medea carinâ,
Et modò servato sola relicta viro.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus, sed tu potiùs, precor, ut me
Demissis plangas pectore nuda comis.
Unica nata meo pulcherrima cura dolori,

Ex-

OBSERVATIONES.

Concinnius esset, ut ego quidem existimo:

Dura est, quæ multos simulato ducit amore.

dixit enim superiùs hoc eodem libro: *promissis ducere amantem*, idest lactare fallaci spe; sed nihil muto.

v. 33. *Noli nobilibus*] Cave ne conferas novitatem & inopiam meam imaginibus & divitiis aliorum: confer potiùs fidem.

v. 35. *Ii tibi nos erimus*] Qui ossa tua legamus, si fortè præmoriaris, quod Dii nolint.

v. 37. *Unica natam cop. c. d.*] Sa-

pia.

Excludit quoniam sors mea, sæpe venis.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tuâ veniâ; pace, Catulle, tuâ.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandævique negant ducere aratra boves:
Putris & in vacuâ requiescit navis arenâ,
Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.

Et

OBSERVATIONES.

pra Eleg. 16.

O nimis exitio NATA theatra MEO!

v. 41. *Miles depositis*] Veterani, acceptâ missione, per otium vitæ reliquum exigebant. Innuit Horatius Sat. 1. l. 1.

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, MILES, nautæque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria ——

Et seditiosi milites apud Lucanum 5. Pharsaliæ v. 274.

—— jam respice canos,
Invalidasque manus & inanes cerne lacertos.
Usus abit vitæ: bellis consumpsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes. en improba vota &c.

Totum autem hunc locum venustissimè imitatur Ovidius Eleg. 8. l. 4. Tristium:

In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
Ne temere in mediis dissolvantur aquis.
Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
MILES, ut emeritis non est satis utilis ARMIS,
PONIT ad antiquos, quæ tulit, ARMA Lares.
Sic igitur tarda vires minuente SENECTA,
Me quoque donari jam rude, tempus erat.

v. 47.

Et si sæcla forent antiquis grata puellis,
  Essem ego, quod nunc tu; tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores.
  Unusquisque suâ noverit ire viâ.
Nonne fuit satius duro servire tyranno?
  Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu?
  Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obscurâ teritur rubigine mucro
  Ferreus, & parvo sæpe liquore silex.
At nullo de me teritur sublimine amor, qui
  Restat, & immeritâ sustinet aure minas.

Ul-

OBSERVATIONES.

v. 47. *Et si sæcla forent*] Malè omnino hæc explicat Scaliger. Non enim alloquitur Cynthiam Propertius, ut placebat magno viro, sed potius rivalem suum; aitque se nihili fieri ab amicâ ob iniquam temporum conditionem, quibus nulla fides insit levibus puellis: quòd si essent aurea illa sæcula, quæ priscas illas Heroinas tulerunt, futurum se voti sui compotem, victo & depulso æmulo. *Sæcla puellis antiquis grata* nihil aliud sunt, quàm *antiqua sæcula, vetusti mores*. At Propert. loquitur περιφραστικῶς, ut sæpe aliàs. Ita explicandus versiculus Eleg. 7. l. 1.

—— *ætatis tempora dura queri*.

Hoc distichon cum sequenti non erat loco movendum.

v. 51. *Nonne fuit satius*] Virg. Eclog. 2.

NONNE FUIT SATIUS tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcam,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?

v. 58. *Restat, & immerita sust. aure minas*] Lucretius lib. 1.

—— *Nam si certam finem esse viderent*
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque MINIS obsistere vatum.
Nunc ratio nulla est RESTANDI, nulla facultas:
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

v. 59.

Ultrò contemptus rogat, & peccasse fatetur
  Læsus, & invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
  Credule, *NULLA diù femina pondus habet.*
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
  Cum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut priùs infecto deposcit præmia cursu,
  Septima quàm metam triverit ante rota?
MENDACES ludunt flatus in amore secundi:
  Si qua venit serò, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
  In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Nãque in amore suo semper sua maxima cuique,
  Nescio quo pacto, verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento.
  INVIDIAM quod habet, non solet esse diù.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
  Quantùm sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam:

Vi-

OBSERVATIONES.

v. 59. *Ultrò contemptus rogat*] Aquinati poëtæ lectionem Propertii familiarem fuisse non pauca demonstrant, quæ videtur Satyricus à nostri fontibus derivasse. Profectò geminus huic loco est ille 3. Sat.

— libertas pauperis hæc est:
Pulsatus ROGAT, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus indè reverti.

v. 75. *At vos*] Id vult Propertius Qui feminæ unius jussis obtemperat, miserrimus vivit; quas igitur lacrymas, quæ suspiria futura censes omnivoli hominis, & in plures amores distractis?

v. 77. *Vidistis pleno*] Sulmonensis poëta idem argumentum copio-

Ff   se

Vidistis fusco; ducit uterque color.
Vidistis quamdam Argivâ prodire figurâ:
Vidistis nostras; utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel sit sandycis amictu:
Hæc atque illa mali vulneris una via est.
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit & cuivis femina multa mala.

Elegia XVIII.

Ad Cynthiam: se illam in somnis naufragio proximam vidisse, cui se spondet usque fidissimum: atque amantes divinatione non indigere ad genus mortis suæ prænoscendum.

Vidi te in somnis fractâ, mea vita, carinâ
Ionio lassas ducere rore manus:
Et quæcumque in me fueras mentita, fateri,
Nec jam humore graves tollere posse comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.

Quàm

OBSERVATIONES.

se tractat Amor. 2. Eleg. 4.

v. 78. *Vidistis fusco*] Mentis & fuscus candor opponuntur. Quod non temerè apud alios auctores invenias.

v. 83 *insomnia*] Vigilias. Terent. Eunucho Act. 2. Sc. 1.

Nam aut jam revertere; aut mox noctu te adigent horsum INSOMNIA.

ELEG. XVIII: v. 1. *Vidi te in somnis*] Callidè admodùm Propertius comminiscitur somnium, ut admonitu periculi deterreat Cynthiam à perjurio, & levitate. Potiò hæc sunt venustissima, & maximè

Quàm timui, ne fortè tuum mare nomen haberet,
  Atque tuâ labens navita fleret aqua!
Quæ tum ego Neptuno, quæ tũ cũ Castore fratri,
  Quæque tibi excepi tum Dea Leucothoë!
At tu vix primas extollens gurgite palmas,
  Sæpe meum nomen jam peritura vocas.
Quòd si fortè tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris:
Et tibi præ invidiâ Nereïdes increpitarent,
  Candida Nisæe, cærula Cimothoë.

Sed

OBSERVATIONES.

ximè castigato stylo conscripta.

v.8. *fleret*] Infortunii tui scilicet memor.

v.10. *excepi*] Voto segregavi, & in donaria seposui. Virg. Æneidos 9.

Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristasque rubentes
EXCIPIAM sorti, jam nunc tua præmia, Nise.

v.11. *primas palmas*] Summos digitorum articulos. Ita Catul. carm. 2. *Cui PRIMUM digitum dare adpetenti* &c. At Valerius Flaccus meus nulli poëtarum secundus his coloribus Hellem pereuntem depingit 1. Argonautic.

Illa quidem fessis longè petit humida palmis:
Vellera, sed bibulas urgenti pondere vestes.
Unda trahit, lævique manus labuntur ab auro.
Quis tibi Phryxe dolor, rapido cum concitus æstu
Respiceres miseræ clamantia virginis ora,
EXTREMASQUE MANUS, sparsosque per æquora crines!

Hæc Propertio miram lucem afferunt, & sanè videntur ab ipso deducta, pulcherrimo quodam imitandi genere.

v.12. *Sæpe meum nomen*] Naufragis in ore solent esse nomina eorum, quos amant. Hoc irata Dido comminatur Æneæ apud Virg l.4.

Spero equidem in mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis, & NOMINE Dido
Sæpe VOCATURUM ——

Vide etiam, si lubet, Ovidium 11. Metamorph.

Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui puto Arioniam vexerat ante lyram.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
Cum mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur, quòd tam mihi pulchra puella
Serviat, & totâ dicar in urbe potens.
Non si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,
Dicat: de nostro surge poëta toro.
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sanctè nulla puella colit.
MULTUM in amore fides, multùm constantia prodest.
Qui dare multa potest, multa & amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, & fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis, unaque tecto
Arbor, & ex unâ sæpe bibemus aquâ.
Et tabula una duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, sævus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quicumque & venti miserum vexastis Ulyssem,
Et Danaûm Euboico litore mille rates:

Et

OBSERVATIONES.

v. 21. *Nunc admirentur*] Sine recto casu, quemadmodum supra Eleg. 5.
Nam ita complebant Ephyrex Laidos ædes.

v. 22 *potens*] Felix in amore.
v. 28. *multa & amare potest*] Significat divites raiò fideles esse, subinde enim ad novas prædas adjiciunt animum.

Et qui movistis duo litora, cum rudis Argûs
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantùm non umquam desit ocellis,
Incendat navem Jupiter ipse licet.
Certè iisdem nudi pariter jactabimur oris.
Me licet unda ferat, te modò terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices cum ferret in arvis
Compressa, & Lernæ pulsa tridente palus.
Jam Deus amplexu votum persolvit, at illi
Aurea divinas urna refudit aquas.
Crudelem & Boream rapta Orithyia negavit.
Hic Deus & terras, & maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
Alternante vorans vasta Charybdis aquâ.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris:
Purus & Orion, purus & Hædus erit.
Quòd mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.
At vos incertam mortales funeris horam
Quæritis, & quâ sit mors aditura viâ.

OBSERVATIONES.

v. 39. *duo litora*] Symplegadas, insulas ad ostium Ponti, quæ olim, ut quidem poëtæ fabulantur, magno impetu inter se concurrebant, aditumque navibus intercludebaat.

v. 49. *votum persolvit*] Desiderium suum implevit.

v. 56. *Orion & Hædus*] Pluvia alioqui sidera.

Quæritis & cælo Phœnicum inventa sereno,
  Quæ sit stella homini commoda, quæque mala:
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos,
  Et maris & terræ cæca pericla viæ.
Rursus & objectum fletis capiti esse tumultum,
  Cum Mavors dubias miscet utrimque manus.
Præterea domibus flammam, domibusque ruinam,
  Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit, quando periturus, & à quâ
  Morte, neq; hic Boreæ flabra, nec arma timet.
Jam licet & Stygiâ sedeat sub arundine remex,
  Cernat & infernæ tristia vela ratis:

Si

OBSERVATIONES.

v. 61. *Phœnicum inventa*] Scientiam astrorum, quam verisimile est à Tyriis Phœniciæ populis inventam, ut eâ navigantes uterentur. Nam, ut ait Tibullus Eleg. 8. l. 1.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Plinius tamen l. 7. c. 57. aliis omnino hanc gloriam tribuit, puta vel Atlanti Libyæ filio, vel Ægyptiis, vel Assyriis.

v. 67. *domibus flammam*] Subaudi *objectam esse*.

v 68. *tuis*] Finitam personam pro indefinitâ usurpat. Ita supra Eleg. 17.

Cum satis una TUIS insomnia portet ocellis.

Hoc vero scriptoribus optimis frequentissimum. Ciceronis exemplum dabo ex oratione pro Quintio, ubi postquam Nævii mores persecutus est, denuum addit; *Quære, quod socium TIBI cum velles adjungere, nihil erat, nisi ut in T. A pecunia condisceret, qui pecuniæ fructus esset.* I. e. nihil erat, quòd aliquis eum socium sibi vellet adiungere &c.

v. 71. *Stygia sedeat sub arundine*] Id est sub calamis palustribus, qui Stygem obsident; Hæc enim verissima explicatio est illarum trium, quas attulit Douza pater.

v. 74.

Si modò clamantis revocaverit aura puellæ,
Concessum nullâ lege redibit iter.

ELEGIA XIX.

Jovi supplicat pro amicâ ægrotante.

JUpiter affectæ tandem miserere puellæ:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus æstuat aër,
Incipit & sicco fervere terra Cane.
Sed non tã ardoris culpa est, neque crimina cæli,
Quàm, toties sanctos non habuisse Deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas:
Quidquid jurarunt, ventus, & unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus? illa peræquè
Præ

OBSERVATIONES.

v. 74. *redibit iter*] Infra Eleg. 7. l. 4.

Unam impetrassem te REVOCANTE diem.

ELEG. XIX. v. 6. *Quàm, toties sanctos n.h.D.*] Perjurii pœnam ait esse morbum gravissimum, quo affligetur. *Sanctos* autem *Deos habere*, est juramentum castè servare. Agellius l. 7. c. 18. *Jusjurandum apud Romanos inviolate, SANCTEque HABITUM, servatumque.* Vide Ovidianas epistolas Acontii, & Cydippes, ubi ad rem plurima.

v. 9. *illa peræquè*] Nisi hoc distichon loco non suo positum fateare, ignores necesse est quid sit τὸ *peræquè*. Sed ita restitue, ac omnem obscuritatem discuties:

An contempta tibi Junonis templa Pelasgæ?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Num sibi collatam doluit Venus? illa peræquè
Præ se formosis invidiosa Dea est.

Peræquè, i. e. non secus ac Juno, & Pallas, ulciscitur formosarum mulierum petulantiam. Non igitur vitio vertendum Scaligero, si carmina elegantissimi poetæ ab-

osci-

Præ se formosis invidiosa Dea est.
An contempta tibi Junonis templa Pelasgæ?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper formosæ non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.

Sed

OBSERVATIONES.

oscitantibus librariis pessimè accepta, in pristinam stationem, unde pulsa fuerant, revocavit signoscendum potius, quòd pauca quædam effugerint ejus diligentiam. Vide infra observ. nostras ad Eleg. 23. v. 51.

v. 10. *invidiosa*] Non invida, sed aspera & acerba. Ovid. 15. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuque INVIDIOSA vetustas
Omnia destruitis ——

v. 11. *contempta*] Omissa & posthabita. Supra Eleg. 4. l. 1.

Nullas illa suis CONTEMNET
fletibus aras.

i. e. ad omnes aras flebit. *Contemptus* Latinis idem est, quod nobis Italis: *non curanza*. Hoc magis patebit ex M. Tullio 1. de officiis: *Equidem & Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissimè & copiosissimè potuisse dicere: & Demosthenem, si illa quæ à Platone didicerat, tenuisset, & pronuntiare voluisset, ornate, splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele & Isocrate judico, quorum uterque suo studio delectatus, CONTEMPSIT alterum.* Hæc postrema sic vertas licet: *Ne punto diverso è il mio parere intorno ad Aristotele, ed Isocrate, l'uno e l'altro de' quali invaghito della sua professione, non si curò di quell'altra.*

v. 12. *Palladis aut oculos*] Minerva enim glaucis oculis ab Homero passim describitur, quos minùs probabant elegantiæ studiosi. Nigri autem in pretio. Id colligimus ex Horatio Ode 32. l. 1.

Et Lycum nigris OCULIS, nigroque
Crine decorum.

tum ex Anacreonte ubi de formâ Bathylli ad pictorem: Μέλαν ὄμμα γοργὸν ἔστω. *OCULUS niger sit, & trux.* Cynthia igitur potuit fortasse cæruleos Palladis oculos reprehendere, cum ipsa nigris conspicienda fuerit. Noster supra Eleg. 9.

—— *caput, & digitos, & lumina nigra puellæ.*

v. 13. *Semper non nostis*] Pro numquam novistis. vel τὸ *semper* otiosum est, ut alibi Propertio.

v. 16.

Sed tibi vexatæ per multa pericula vitæ,
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc Dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam primâ terris ætate vagata est:
Hanc miser implorat navita Leucothoën.
Andromede monstris fuerat devota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quod si fortè tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ:
Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo,
Credet & illa suo docta puella malo.
Et tibi Mæonias inter Heroidas omnes
Primus erit, nullâ non tribuente, locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem;
Et DEUS, & durus vertitur ipse dies.

Hoc

OBSERVATIONES.

v.16. ***mollior hora***] Felicior fortuna. Prædicit puellæ morituræ ἀποθέωσιν, allaris pluribus exemplis veterum Heroidum. Superior versiculus ita mihi videtur legendus:

Sed tibi vexatæ per multa pericula, vita.

Notum est hoc nomine Propertium Cynthiæ suæ blandiri.

v. 31. *fato gere saucia morem*] Fer modicè infortunium tuum. Seneca Oedipo choro 5.

FATIS agimur: cedite FATIS.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.

v.32. *vertitur ipse dies*] Rerum vices mutantur. Tibullus Eleg. 7. l. 2.

—— credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore semper ait.

v. 33.

Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno.
Frangitur & Juno, si qua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et jacet extincto laurus adusta foco.
Et jam Luna negat toties descendere cælo,
Nigraque funestum condidit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores.
Cærula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quæso miserere duorum;
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego: PER MAGNVM EST SALVA PVELLA IOVEM.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.
Hæc tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
Persephones conjux sævior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum Antiope, vobiscum candida Tyro,
Vo-

OBSERVATIONES.

V.33. *Hoc tibi*] Sermonem ad Jovem convertit.

V.47. *Hæc tua*] Si petita impetravero, ó Proserpina, eadem expectes, quæ Jovi pollicitus sum. Illa enim credebatur animas è vinculis corporum solvere dempto crine de vertice capitis. Virgilius 4. Æneidos:

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco;

cujus vestigiis nos olim insistentes ita lusimus:

Tu Dea Persephone fatalem tangere crinem
Abstineas. meritæ victima pulla cadat.

V. 55.

Vobiſcum Europe, nec proba Paſiphaë:
Et quot Troja tulit, vetus & quot Achaïa formas,
Et Thebæ, & Priami diruta regna ſenis.
Et quæcumque erat in numero Romana puella
Occidit. has omnes ignis avarus habet.
NEC forma æternùm, aut cuiquam eſt fortuna perennis.
LONGIUS, aut propiùs mors ſua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno demiſſa periclo,
Munera Dianæ debita redde choros.
Redde etiam excubias Divæ nunc, ante juvencæ;
Votivas noctes & mihi redde decem.

ELEGIA XX.

Narrat ſe ab Amorum catervâ noctu comprenſum, & injectis compedibus ad Cynthiam deductum.

HEſternâ, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me ſervorum duceret ulla manus,

Ob-

OBSERVATIONES.

v. 55. *in numero*] Subaudi *formoſarum.*

v. 58. *Longiùs, aut propiùs*] Non eſt, cur properetis ô numina inferorum Cynthiæ mortem inferre, ſiquidem exactâ ætate demum recidet in veſtram ditionem. Orpheus apud Ovid. 10. Metamorph. Eurydicem repetens à Plutone:

Omnia debemur vobis: paulumque morati,
Seriùs, aut citiùs ſedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes: hæc eſt domus ultima: voſque
Humani generis longiſſima regna tenetis.
Hæc quoque cum juſtos matura peregerit annos,
Juris erit veſtri. pro munere poſcimus uſum.

EI.EG. XX. v. 2. *Nec me ſervorum d. v*

Obvia neſcio quot pueri mihi turba minuta
Venerat (hos vetuit me numerare timor)
Quorum alii faculas, alii retinere ſagittas,
Pars etiam viſa eſt vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. quorum laſcivior unus
Arripite hunc, inquit, nam bene noſtis eum.
Hic erat: hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, & in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere, & alter;
Intereat, qui nos non putat eſſe Deos.

Hæc

OBSERVATIONES.

d.v.m.] Homines genio, & libidini dediti; maxime gaudent ſolitudine. Ideò Palinurus apud Plautum Curc. Act. 1. ſc. 1. reprehendit Phædromum adoleſcentem intempeſtâ noctè ſine ſervis foras euntem.

Iſtuc quidem nec bellum eſt, nec memorabile,
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

v. 5. *Quorum alii faculas*] Plures fuiſſe Cupidines, præter Græcos poëtas teſtatur etiam Claudianus de nuptiis Honorii, & Mariæ:

Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, habitu ſimiles, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea ſolum
Edidit ———

Cæterū videtur Propertius Theocritum imitari voluiſſe, ſi modò Theocriti eſt Idyllium, in quo parvuli Amores mittuntur à Venere ad aprum veſtigandum, qui Adonin dente percuſſerat. Omitto Græca, quia multa.

Illi ſtatim volucres
Percurſitantque ſilvam,
Et incidunt in illum:
Ligantque, vinciuntque.
COLLO dat hic catenas,
Captivus ut trahatur:
Adurget ille pone,
Et terga cædit arcu.
Aper gradu it tremente,
Ut Cyprin expaveſcens.

v. 9. *Locavit*] Subaudi *puniendum, indigniſque modis accipiendum*. Locabantur autem opera publica, ædificia, vectigalia, funera, ludi, & alia multa generis ejuſdem; qui verò hæc perficienda, expediendaque ſuſcipiebat, is *redemptor* dicebatur. Horatius

Ode

Hæc te non meritum totas expectat in horas;
At tu nescio quas quæris inepte fores.
Quæ cum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
Solverit, atque oculos moverit illa graves:
Afflabunt tibi non Arabûm de gramine odores;
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite jam fratres: jam certos spondet amores,
Et jam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me injecto duxerunt rursus amictu.
I nunc, & noctes disce manere domi.

OBSERVATIONES.

Ode 1. l. 3.

---- huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus ----

Loquitur de molium fundamentis in ipsum mare jactis.

v. 17. *suis fecit Amor manibus*] Catullus carm. 13.

Unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinesque.

v. 21. *me injecto duxerunt rursus amictu*] Probo conjecturam viri doctissimi Nicolai Heinsii, *mi injecto dixerunt rursus amictu: I nunc* &c. Qui vulgatam lectionem amplectuntur, eos necesse est ita sequentem versiculum accipere, ut Propertius se ipsum objurget, qui scilicet noctu domo exierit, & in grassatores inciderit. Omnino tamen ab Heinsio standum esse censeo. Quærat aliquis non sine caussa, quid sit hoc loco τὸ *injecto amictu*. Sciendum est, ganeones illos veteres, quoties nocturno tempore ad lustra, vel popinas ire placuisset, caput pallio, vel cucullo, vel pileo tectum habuisse. Produco auctores, & primùm quidem Svetonium Tranquillum in Nerone c. 26. *Post crepusculum statim, arrepto pileo, vel galero, popinas inibat, circumque vicos VAGABATUR ludibundus.* Cui proximè accedat Julius Capitolinus in Vero: *Fertur & nocte perpeti alea lusisse, cum in Syria concepisset id vitium, atque in tantum vitiorum Caianorum, & Neronianorum, & Vitellianorum fuisse æmulum, ut VAGARETUR NOCTE per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commisceretur cum triconibus,*

Mane erat, & volui si sola quiesceret illa,
    Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui. non illa mihi formosior umquam
    Visa, nec ostrinâ cum fuit in tunicâ.
Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
    Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.

Ta-

OBSERVATIONES.

bus, & commi teret rixas, dissimulans quis esset. Nota sunt similia flagitia prurientis Messal'næ, quæ sic insectatur Juven. 5. Sat.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos.

& paulò post:

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Fingamus igitur, Propertium capite operto fores meretricum quæsivisse, ne scilicet ab occurrentibus agnosci posset: deinde à Cupidinum grege detectum, & inspectum diligenter: postremò agnitum, vinctum, & ad amicam deductum minutos illos satellites evasisse, qui tamen antequam abirent, *injecto rursus amictu*, i. e. capite iterum obvoluto, his verbis temulentum prosecuti sint:

I nunc, & noctes disce manere domi.

quasi dicerent: Te quidem è compedibus nostris liberum emittimus, at cave ne in posterum aliquid simile committas, ut nimirùm amicam frigidam in lecto relinquas. *Manere domi*, est à latere puellæ non discedere. Supra Eleg. 1.

Ex hac ducentur funera nostra DOMO.

Et clariùs Eleg. 17.

In primis una discat amare DOMO.

Sane isti nocturni grassatores capita redeuntium à cœna nonnumquam revelabant. Quod Catoni censorio notissimæ severitatis viro evenisse narrat Plinius l. 3. Epist. ad Attil. Sever. *Erunt*, inquit, *officia antelucana, in quæ incidere impune ne Catoni quidem licuit, quem tamen C. Cæsar ita reprehendit, ut laudet. describit eos, quibus OBVIUS fuerit, cum caput EBRII retexissent, erubuisse. deinde adjicit: Putares non ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos*. Spero jàm ab omnibus intellectum iri, quid sit *amictum injicere* hoc Propertii versu, qui sanè hactenùs obscurissimus fuit.

Talis visa mihi somno demissa recenti,
(Heu quantùm per se candida forma valet!)
Quid tu matutinus, ait, speculator amicæ,
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis. sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis, nec jacuisse duos.
Aspice ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, & oppositâ propellens suavia dextrâ,
Prosilit in laxâ nixa pedem soleâ.
Sic ego tam sancti custode recludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

OBSERVATIONES.

v.29. *somno demissa recenti*] Supra Eleg. 19. *magno DEMISSA pericle.*

v.32. *vestris moribus*] Idest virorum.

v.38. *notus adulterio*] V. Indicem verbo *adulterium.*

v.39. *propellens suavia dextra*] Horat. Epod. 3. ad Mœcenatem: *MANUM puella SUAVIO opponat tuo.*

v.42. *Ex illo*] Ita Virg. 2. Æneid. *EX ILLO fluere, ac retro sublapsa referri Omnia* ——



ELEGIA XXI.

Apollinis porticum amicæ describit, ejusque fidem ait se suspectam habere: quam tamen peccantem ex communi consuetudine defendit.

QUæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in species Pœnis digesta columnis;
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacitâ carmen hiare lyrâ.
Atque aram circùm steterant armenta Myronis,
Quatuor artificis vivida signa boves.

Tum

OBSERVATIONES.

ELEG. XXI. v. 5. *Hic equidem Phœbo v. m. p. i.*] Si τὸ *hic* adverbium esse censeas, versiculum ita commodè explicabis: *In hac porticu visus est mihi marmoreus quidam, sive marmorea quædam effigies, pulchrior ipso Phœbo* &c. At ne, quid tecum dissimulem, candide lector, totum locum sic restituendum opinor:

Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in species Pœnis digesta columnis:
Inter quas Danai femina turba senis.
Tum medium Clario surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mærebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso

Mar-

Tum medium Clario surgebat marmore templum,
Et patriâ Phœbo carius Ortygiâ.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longâ carmina veste sonat.
Illic aspicias scopulis hærere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis:
Ut Semele est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis.
Qui videt, is peccat; qui non & viderit ergo
Non cupiet: *FACTI crimina lumen habet.*

Quòd

OBSERVATIONES.

Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circumsteterant armenta Myronis
Quatuor artificis vivida signa boves.
Illic aspicias scopulis hærere sorores &c.

En tibi apta & disposita omnia. Describit primò porticum, quâ templum Apollinis circumseptum, ejusque picturas: deinde ipsius templi exteriorem faciem, videlicet valvas, & fastigium: postremò aram & simulacrum Apollinis.

v. 13 *Altera*] Duo insignia Phœbi facinora geminis valvis erant insculpta· Brenni Gallorum ducis temeritas repressa, & superbia Niobes Tantali filiæ liberorum cæde multata. v. Indicem nostrum verbo *Brennus*, *Niobe*.

v. 16. *in longa veste*] Pallam intelligit ad talos usque demissam. V. Tibul. Eleg. 4. l. 3.

v. 22. *facti crimina lumen habet*] Huc pertinent, quæ observavi ad illud Eleg. 12. supra: *Oculi sunt in amore duces.*

Quòd si nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
Communis culpæ cur reus unus agor?
Unâ contentum pudeat me vivere amicâ?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit.
Mî nemo objiciat, libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere jugis.
Nec tu Virginibus reverentia moveris ora;
Hic quoque nō nescit, quid sit amare, chorus:
Si tamen Oeagri quædam compressa figurâ
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hìc ubi me primâ statuent in parte choreæ,
Et medius tectâ cuspide Bacchus erit:
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos;
Nam sine te nostrum non valet ingenium.
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
Cyn-

OBSERVATIONES.

V.26. *crimen Amoris erit*] Non aliam ob causam antiqui mortales Venerem, & Cupidinem inter Deos collocaverunt, quàm ut liberiùs genio indulgerent, & cupiditatibus impunè fræna laxarent. Ita & Lyconides Plautinus Aulul. Act.4.Sc.10. confidit se excusatum iri apud Euclionem, cujus filiam virginem vitiaverat:

Deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit.

Sed reverâ non superis hortatoribus flagitia patrantur, at potiù *sua cuique Deus fit dira cupido.*

V.29. *reverentia moveris ora*] Ne vultum rubore perfundas coram Camœnis, veluti minimè deceat puellam corruptam virginum cœtibus interesse: nam & Musæ noverunt, ó Cynthia, quid sit Amor, & furtivi concubitus. Porrò ita dixi: *Virginibus ora movere*, ut Eleg. 12 l. I. *præsenti flere puellæ*; Eleg. 20 ejusdem libri, *fleverat Ascanio &c.* Id habet proprium poëta Umber, ut quàm longissimè recedat à vulgari consuetudine loquendi.

V 34. *tecta cuspide*] Hastâ, seu bacillo pampinis involuto, quem thyrsum appellabant:

V. 37. *Hoc utinam spatiere loco*]
I. e.

Cynthia: sed tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.
Nam quid Prænestis dubias ô Cynthia sortes?
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis:
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt:
Et leviter Nymphis totâ crepitantibus urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.
Fal-

OBSERVATIONES.

I. e. utinam deambules in porticu Apollinis Palatini, cum tibi per domestica negotia prodire licebit.

V. 39. *Cum videt accensis &c.*] Caussam scilicet religionis amoribus suis prætendebat pessima & dolosa puella.

V. 41. *Prænestis dubias sortes*] Ob id fortasse *dubias* vocat, quòd eas Romani patriis auspiciis posthaberent. Favet Valerius Maximus, apud quem l. 1. c. 3. sic lego. *Lutatius, qui primum Punicum bellum confecit, a Senatu prohibitus est SORTES fortunæ PRÆNESTINÆ adire. Auspiciis enim patriis, non alienigenis. Rempublicam administrari oportere judicabant.*

V. 45. *Scilicet*] Quæ sequuntur usque ad versum 51. εἰρωνικῶς intelligenda; cui enim sordere merito poterant opera tam illustria, & magnifica?

V. 47. *platanis pariter surgentibus*] Apud Pompejanam porticum fuisse nemora variis arboribus consita innuit Martialis Epig. 14. l. 2.

Inde petit centum pendentia tecta COLUMNIS,
Illinc POMPEII dona, NEMUSQUE duplex.

V. 48. *Flumina sopito q. Marone cadunt*]. E simulacro fluminis reclinati, ac dormientis.

V. 50. *Triton*]. Marmorea Tritonis statua, cujus ex ore aqua sipho-

 ni-

Falleris; ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens: lumina nostra fugis.
Quo fugis ah demens? nulla est fuga, tu licet usque
Ad Tanaim fugias, usque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aëra dorso:
Nec, tibi si Persei moverit ala pedes;
Vel, si te sectæ moveant talaribus auræ,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere numquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et jam si pecces, Deus exorabilis ille est,
Si modò præsentes viderit esse preces.
Nū jā, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hircani litora nota maris?
Spargereque alternâ communes cæde penates,
Et ferre ad patrios præmia dira Lares?
Nil agis, insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi.

Sed

OBSERVATIONES.

nibus expressa cadebat. *Nymphas* autem pro aquis ipsis usurpari, norunt illi, qui citati Martialis Epigrammata, & Pedonis Albinovani Elegiam in obitum Mœcenatis legerunt. A Pedone vocantur *canoræ*, quemadmodùm hìc à Propertio *crepitantes*.

V. 64. *præsentes preces*] Efficaces, validas. Eodem pacto dicimus, *remedium præsens*; *Dii præsentes &c.*

V. 65. *Num jam, dura &c.*] Lepidissimè irridet amicam, q. d. Mulieres cum longa itinera capessunt, non jam ad rem gerendam cum hostibus proficiscuntur, ut de-

Sed de me minor est famæ jactura pudicæ:
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
Rumor, & in totâ non bonus urbe fuit.
Sed te non debes inimicæ credere linguæ.
SEMPER formosis fabula pœna fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno.
Testis eris puras, Phœbe, videre manus.
Sin autem longo nox una, aut altera luxu
Consūpta est, nō me crimina parva movent.
Ista senes licet accusent convivia duri,
Nos modò propositum, vita, teramus iter.

Illo-

OBSERVATIONES.

denique victrices, & manubiis onustæ domum suam revertantur. Nihil tale de illis credere oportet, siquidem bello ineptæ procreatæ sunt. Quid igitur existimandum, quoties ab Urbe discedunt? Eas nimirùm oculos virorum, & amantium fugere, ut libidinem suam securiùs expleant.

v.78. *Testis eris puras P. v. m.*] Vide quæ observavi ad Eleg. 15. L.1. v. 37.

v.80 *crimina parva*] Ea hæresis insiderat veterum animis, ut adulteria, stupra, & id genus flagitia vix in delictis haberent, nomine usuum cohonestantes. Petronius Sat. de scelestis nuptiis immaturæ virgunculæ: *LUSUMQUE puerilem libidinosa speculabatur diligentia.* Et Martialis Epig. 2. l. 6. de lege Domitiani adversus adulteros latâ:

LUSUS erat sacræ connubia fallere tedæ.

Juvenalis ad calcem 7. Sat. *ne turpia* LUDANT. Nec aliò trahendum, quod narrat Svetonius in Tiberio c. 45. *Feminarum quoque, & quidem illustrium, capitibus quantoperè solitus sit illudere, evidentissimè apparuit Malloniæ cujusdam exitu &c.*

Ibid. *movent*] Negotium facessunt. Ità supra Eleg. 16.

Ah peream, si me ista MOVENT dispendia.

v.81. *Ista senes*] Vide Catul. c. 5. v. 2.

Illorum antiquis onerentur legibus aures.
  Hic locus est, in quo tibia docta sones:
Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti,
  Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto viva reducta domum est.
Ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis,
  Nec minùs in cælo semper honesta fuit.
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,

At-

OBSERVATIONES.

v.83. *onerentur legibus aures*] Obruantur ingestis antiquorum institutis, & præceptis. Acriori verbo usus est Persius 1. Sat. in re non prorsus dissimili:

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
AURICULAS? ——

v.87. *patriam mutavit*] Scripserit fortasse Propertius *patrium*; concinnius enim videtur patrium amorem externo mutare, Menelaum scilicet Paride. Fuit autem Helena Spartana, & Menelaus Spartæ rex.

v 88. *sine decreto*] Interpretor absque procerum Græcorum suffragiis, conjuge tantum intercedente, ne occideretur. Rem porrò, sicuti gesta est, narrat Dictys Cretensis l. 5. de bello Troiano. *Namque post captum Ilium Ajax recordatus eorum, quæ tantis tempestatibus propter mulierem perpessi expertique essent, primus omnium interfici eam jusserat: jamque approbantibus consilium Ajacis multis bonis Menelaus amorem conjugii etiamnunc retinens, singulos ambiendo orandoque ad postremum perfecerat, uti intercessu Ulyssis, Helena incolumis sibi traderetur.* Et quidem *decernere* apud Jurisperitos est, *causa cognita aliquid statuere*. L.1. ff de offic. adsess. L.9. § *ubi* DECRETUM ff. de offic. proconsulis, & passim. Noluit igitur Menelaus causam Helenæ per concilium procerum cognosci, sed ipse vi tyrannicâ, & ope fratris nixus eam à crimine absolvit. Quamquam enim Dictys affirmet preces interpositas, quis nescit principum preces nihil à jussis distare. Horat. Sat.3. l.1.

—— *Cæsar, qui cogere posset,*
Si peteret per amicitiam patris atque suam &c.

v. 92.

Atque inter pecudes accubuisse Deam:
Hoc & Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes, & pater ipse chori.
Cum quibus Idæo legisti poma sub antro
Supposità excipiens, Nai, caduca manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quærit
Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Hæc eadem hæc ante illã impunè & Lesbia fecit.
Quæ sequitur, certè est invidiosa minùs.
Qui quærit Tatios veteres, durosque Sabinos,
Hic posuit nostrâ nuper in urbe pedem.

Tu

OBSERVATIONES.

v. 92. *Atque inter pecudes*] Oenonæ Ovidiana hoc ipsum fatetur:

Sæpe greges. INTER requievimus arbore tecti.

96. *Nai, caduca*] Ita emendavit vir omni laude major Josephus Scaliger, in cujus sententiam pedibus eo. Anteà legebatur corruptissimè, *Naica dona*.

v. 98. *unde dedit?*] Notissimus Ennii versiculus, quem mutuatur Juvenalis Sat. 14.

UNDE habeas QUÆRIT nemo, sed oportet habere:

v. 102 *Quæ sequitur*] Novi sceleris auctores graviori censurâ dignos judicat; illos verò, qui ad exempla peccant, mitiùs habendos. Audi Biblin Ovidianam 9. Metamorph.

Quid liceat nescimus adhuc, & cuncta licere:
Credimus, & SEQUIMUR magnorum exempla Deorum.

v. 104. *posuit n. n. in urbe pedem*] Peregrinus est, nec dum didicit Romanorum cõsuetudinem. Ovid. cit. 3. Amor. Eleg. 4.

Rusticus est nimium, quem lædit adultera conjux;
Et notos mores non satis URBIS habet.
In qua Martigenæ non sunt sine crimine nati
Romulus Iliades, Iliadesque Remus.

 v. 106.

Tu priùs & fluctus poteris siccare marinos,
  Altaque mortali deligere astra manu:
Quàm facere ut nostræ nolint peccare puellæ.
  Is mos Saturno regna tenente fuit.
Et cum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
  Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi quis potuit lectum servare pudicum?
  Quæ Dea cum solo vivere sola Deo?
Uxorem quondam magni Minôis, ut ajunt,
  Corrupit torvi candida forma bovis.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 106. *deligere astra manu*] Hoc vernaculo idiomate ita diceres: *spiccare le stelle dal firmamento.* Figura enim ducitur à floribus, qui unguibus decerpuntur. Idem Ovidius Epist. Phædræ:

Est aliquid plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam DELIGERE ungue rosam.

v. 108. *Is mos Saturno*] Aurea sæcula sub imperio Saturni floruerunt, quibus nullæ fraudes, nulla scelera mentes hominum invaserant: colebatur passim justitia, vigebat pietas, honestas in pretio erat. Quamobrem Juvenalis dehortatur Ursidium. Posthumum ab uxore ducendâ, cum veteris ætatis minima quæque vestigia insequentium temporum pravitas abolevisset, & jam adulteriorum libertas eò usque procederet, ut qui tale facinus admitterent, *hilares nitidique* vocarentur. Ita verò exorditur Sat. 6.

Credo pudicitiam SATURNO REGE moratam
In terris, visamque diù &c.

Naso autem, ut solitus, Propertium imitatur ep. Phædræ, quam paulò ante attuli:

ISTA vetus pietas, ævo moritura futuro,
Rustica SATURNO REGNA TENENTE, fuit.

v. 109. *Et cum Deucalionis aquæ*] Post *fuit* præcedente versiculo colloca punctum, ut rectè monuit Douza P. Hic verò lege meo periculo:

At cum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi quis potuit lectum servare pudicum?

v. 116.

Nec minùs ærato Danaë circumdata muro,
Non potuit magno casta negare Jovi.
Quòd si tu Grajas, seu sis imitata Latinas:
Semper vive meo libera judicio.

ELEGIA XXII.

Queritur Cynthiæ secubitum, dum sacris Isidis operaretur, eamque hortatur ne bibendo pulchritudinem corrumpere velit.

TRistia jam redeunt iterum solennia nobis,
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quæ Dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quæcumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certè Jovis occultis in amoribus Io
Sensisti, multas quid sit inire vias:
Cum te jussit habere puellam cornua Juno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora:
Mansisti stabulis abdita pasta tuis!
An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Jupiter, idcircò facta superba Dea es?

An

OBSERVATIONES.

v. 116. *negare*] Huic verbo contrarium *dare*, utraque autem rem obscœnam velant. Exempla obvia legēti Martialis Epigrammata.

ELEG.

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longâ Roma petita viâ est?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.
Aut nos è nostrâ te, sæva, fugabimus urbe:
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fiat.
At tu, quæ nostro nimiùm placata dolori es,
Noctibus his vacui resaciamus iter.
Non audis, & verba finis mea ludere, cum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis: mediæ nequeunt te frangere noctes.

An

OBSERVATIONES.

ELEG. XXII. v.15. *fuscis alumnis*] Utpote ad meridiem positis, & Solis itineri subjectis. Contra Septemtrionales populi flavis capillis decori, vultusque candore præcellentes. Disertè Vitruvius l. 6. Architect. c. 1. *Sub Septemtrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, oculis cæsiis, sanguine multo, quoniam ab humoris plenitate, cælique refrigerationibus sunt conformati; Qui autem sunt proximi ad axem meridianum, subjectique solis cursui, brevioribus corporibus, colore FUSCO, crispo capillo, oculis nigris, cruribus invalidis, sanguine exiguo, solis impetu perficiuntur*. Martialis de pueri electione ad Flaccum Epig. 42. l. 4.

Sit nive candidior, namque in Mareotide FUSCA
Pulchrior est, quantò rarior, iste color.

De hujusmodi, aut certè finitimis gentibus venustè Isidorus l. 19. c. 23. *Mauros habet tetra nox corporum*. & Petronii fragmentum:

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

id est citharœdus Ægyptius.

v. 22. *resaciamus iter*] Parcant verecundæ aures: innuit poeta obscœnam equitationem, cui novum curriculum instaurare parat noctium aliquot abstinentiâ.

v. 25. *mediæ nequeunt te frangere noctes*] Nepotuli, & delicati homines cænam in lucem producebant, quod significat noster Eleg. 6. l. 4.

Sit

An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicumque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare Cecropiis meritò jugulate colonis,
Pampineus nosti quam sit amarus odor.
Tu quoque ô Eurytion vino Centaure peristi,
Nec non Ismario tu Polypheme mero.
VINO forma perit, vino corrumpitur ætas:
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil es mutata Lyæo,
Jam bibe; formosa es, nil tibi vina nocent.
Cum tua præpendent demissæ in pocula sertæ,
Et mea deductâ carmina voce legis,

Lar-

OBSERVATIONES.

Sic NOCTEM patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

languentem verò famem acidorum esu denuò excitabant, teste Juven. 4. Sat. ubi de Montano Senatore:

— noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam MEDIAS, aliamque famem cùm pulmo Falerno
Arderet. nulli major fuit usus edendi
Tempestate mea: Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

v. 28. *bonas aquas*] Dixerat multò ante Pindarus Ode 1. Olymp. ἄριστον μὲν ὕδωρ. *OPTIMA quidem est AQUA*; quòd juxta sententiam Thaletis Milesii ex aquâ omnia ortum ducerent. Sed existimo Propertii mentem aliam fuisse, lymphæ scilicet potum, veluti utiliorem & magis salubrem, commendandi.

v. 33. *Vino forma perit*] Ex adverso de Phyllide meretriculâ ita loqui ur Eleg. 8. l. 4.

Sobria grata parùm; cum bibit, omne decet.
Sed ibi latet nequitia.

v. 39.

Largiùs effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet & aurato mollius in calice,
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter;
Est quiddam, quod vos quærere cogat Amor!
SEMPER in absentes felicior æstus amantes.
Elevat assiduos copia longa viros.

ELEGIA XXIII.

Lynceum, quòd Cynthiæ castitatem tentasset, primùm objurgat: deinde amatorem factum gaudet, doctorumque virorum exemplis confirmat.

Cur quisquã faciem dominæ jam credat amori.
Sic erepta mihi penè puella mea est.

Ex-

OBSERVATIONES.

v. 39. *Largius effuso*] Subaudi *quamvis*, cui respondet *Nulla tamen* sequentis Hexametri.

Ibid. *madeat tibi mensa F.*] Libationem intelligo. Virgilius 1. Æneid.

Dixit, & in MENSA laticum libavit honorem.

v. 40. *mollius*] Cave ne adverbium comparativum existimes. Mollius Falernum interpretor; melle admistum, sive mulsum, quod Romanis in deliciis erat. Martialis l. 13. Epig. 108.

Attica nectareum turbastis mella FALERNUM.
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

v. 44. *Elevat assiduos*] Longa enim consuetudo tædium, & contemptum parit.

ELEG XXIII. v. 1. *amori*]. Bene Scaliger ex vetustis Codd. cum Beroaldus reposuisset *amico*. *amorem* pro *amante* usurpatum liquet ex alio Propertii loco Eleg. 18. l. 3.

Forsitan ille alio pectus AMORE terit.

Ibi tamen de muliere loquitur.

V 9 *curam*] Supra Eleg. 17.

Unica nata meo pulcherrima CURA dolori.

v. 18.

Expertus dico: *NEMO est in amore fidelis.*
Formosam raró non sibi quisque petit.
Polluit ille Deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tunc meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuæ tunc cecidere manus?
Quid si non constans illa, & tam certa fuisset,
Posset & in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A dominâ tantùm te modò tolle meâ.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solùm, lecto te deprecor uno:
Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras,
Stultus, quòd stulto sæpe timore tremo.
Una tamen causa est, quâ crimina tanta remitto,
Errabant multo quòd tua verba mero.

Sed

OBSERVATIONES.

V. 18. *Rivalem possum n. e. f. J.*] Svetonius in Othone c. 3. videtur a Propertio locutionem similem derivasse: *Poppæam Sabinam, tunc adhuc amicam ejus* (Neronis) *abductam marito, demandatamque interim sibi nuptiarum specie recepit. Nec corrupisse contentus, adeò dilexit, ut ne RIVALEM quidem Neronem æquo TULERIT animo.*

V. 22. *Errabant multo q. t. v. m.*] Subdoli quidam veteratores fictâ ebrietate delicta sua excusabant; quod tamen excusationis genus refutat Callicles Plautinus, senex emunctæ naris Trucul. Act. 4. Sc. 3.

Sed numquam vitæ me fallet ruga severæ.
OMNES jam norunt, quàm sit amare bonum.
Lynceus ipse meos seros insanit amores.
Solùm te nostros lætor adire Deos.

Quid

OBSERVATIONES.

3. Huic igitur ita supplicat Dinarchus adolescens, qui ejus filiæ virgini stuprum intulerat:

assum Callicles. per tua obsecro
Genua, ut tu istuc insipienter factum, sapienter feras.
Mihique ignoscas, quod animi impos VINI vitio fecerim.

Cujus precibus bellè occurrit Callicles:

Non places. in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam vinum si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent,
Qui quidem probi sunt. Verùm qui improbus est, sive subbibit,
Sive adeò caret temeto, tamen ab ingenio est improbus.

v. 23. *Sed numquam vitæ &c.*] Apage te superciliosum caput. Quid mihi venditas Catoniana verba? quid incedis obstipâ cervice? quære jam alios, quos in errorem inducas; ego te penitus cognovi. De hujusmodi versipellibus, & nequitiam altè dissimulantibus, locus est pulcherrimus apud Senecam Tragicum Hippol. Act. 3. Sc. 3.

O VITA fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum: vera fallaces probant,
Simulantque molles dura —

v. 24. *Omnes jam norunt*] Non tantùm homines luxuriâ perditi, verùm etiam castissimi Philosophorum. Huc pertinent, quæ scribit Alexis Comicus apud Stobæum serm. 61.

εἶτ' ὐ μέγιστός ἐστι τῶν θεῶν ἔρως:
καὶ τιμιώτατός γε τῶν πάντων πολύ.
ὐδεὶς γὰρ ὕτως ἐστὶ φειδωλὸς σφόδρα.
ἄνθρωπος, ὐδ' ὕτως ἀκριβὴς τὺς τρόπυς,
ὃς ὐχὶ τύτῳ μερίδα τῷ θεῷ νέμει.

Nimirùm igitur maximus est divorum Amor,
Et longè omnium nobilissimus;
Nullus enim usqueadeò parcus est Homo, neque moribus tam exquisitis,
Qui non huic Deo partem aliquam tribuat.

v. 26. *Solùm*] Hoc equidem gaudeo.

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit? aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Lucretî tibi prosunt carmina lecta?
  Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu satiùs Musis meliorem imitere Philetam,
  Et non inflati somnia Callimachi.
Nam rursus licet Ætoli referas Acheloi
  Fluxerit ut magno factus amore liquor:
Atque etiã ut Phrygio fallax Mæandria campo
  Errat, & ipsa suas decipit unda vias:
Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arîon
  Tristia ad Archemori funera victor equus:
Non non Amphiaraæ tibi fata quadrigæ
  Prosint, aut Capanei grata ruina Jovi.
Desine Achilleo componere verba cothurno,
  Desine, & ad molles membra resolve choros.
Incipe jam angusto versus componere torno,
  Inque tuos ignes dure poëta veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero;
  Despicit & magnos recta puella Deos.

Sed

OBSERVATIONES.

deo, te militiæ nostræ nomen dedisse; quamquam illud penitus doleo, quod me statione pellere tentaveris.

v.29. *Lucreti*] Hanc lectionem agnoscunt Adrianus Turnebus, & Josephus Scaliger, quorum sententiæ non invitus calculum addo.

v.46. *recta puella*] Superbiæ atque arrogantiæ plena, cuius inditium solet esse facies erecta. Eliphaz Themanites apud Jobum cap. 15. v.26. ita de impio Deum floccifaciente: *Tetendit enim adversùs Deum manum suam, & contra*

Om-

Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
Cornua quàm validis hæserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores,
Trux tamen à nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,

Nec

OBSERVATIONES.

Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversùs eum ERECTO collo. Et Cicero lib. 1. de Oratore, indoctos, quosdam caussidicos insectatus: *Hæc igitur, & horum similia, jura suæ civitatis ignorantem, ERECTUM, & celsum, alacri & prompto ore huc atque illuc intuentem vagari magna cum caterva toto foro, præsidium clientibus, atque opem amicis, & prope cunctis civibus lucem ingenii & con. lii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?* Nisi malimus Propertium explicare de animi magnitudine; quò pertinent illa ejusdem Ciceronis ad Atticum Epist. 24. l. 2. novæ editionis Græv'anæ Amstelod. *Nos tamen his miseriis ERECTO animo, & minimè perturbato sumus.* & Cornelii Nepotis in Themistocle. *Quæ contumelia non fregit eum, sed EREXIT.* Prior tamen interpretatio magis arr'det. Id verò moris habet poeta Umber, ut pleraque verba per Aphæresin deminuat, quod ante me observavit Lipsius Var. Lectionum l. 3. c. 7.

v. 48. *Cornua quàm validis h. i. l.*] Hoc juvencorum primum r di mentum. Simile quid videtur docere Virgilius 3. Georg. vers. 166.

Ac primùm laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte: dehinc ubi libera colla
Servitio assuerint, ipsis è torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos.

Cum autem Propertius cornibus obligandos esse dicat, secutus videtur eam arandi rationem, quam tantoperè improbat Columella l. 2. de R.R. c. 2. his verbis: *Nam illud, quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut CORNIBUS illigetur jugum, ferè repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt, neque immeritò: plus enim queunt pecudes collo, & pectore conari, quam CORNIBUS.* Bene idcircò Virgilius, qui juvencos collo jugum aliquandò laturos, ab hac pariter disciplinâ incipere jubet, ut collum vimineis torquibus impeditum gerant.

v. 51 *Harum nulla solet*] Versus luxati, ut attentius consideranti

non

Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consultò fulmina missa tonent.
Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi:
Ut regnem mistas inter conviva puellas
Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa Deus:
Actia Virgilium custodis litora Phœbi,
Cæsaris & fortes dicere posse rates:
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis mœnia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji;
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Tu

OBSERVATIONES.

non obscurum erit. Quò etenim referendum sit τὸ *harum*, planè fateor ignorare; miroique Scaligerum, in cæteris Epidaurio serpente oculatiorem, hoc loco Phineum, vel Thamyram fuisse. Sic autem concinno.

Nec tu tam duros per te patieris amores,
Trux tamen à nobis ante domandus eris.
Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi:
Ut regnem mistas inter conviva puellas
Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consultò fulmina missa tonent.
Me juvet hesternis &c.

v. 61. *Actia Virgilium*] Subaudi *juvet*.

Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus;
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus & impressis hædus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.

Quam-

OBSERVATIONES.

v. 70. *impressis*] Scaliger interpretatur ubera non mulcta, sed perperàm, cum libri non habeant *inpressis*, sed *impressis*. Meliùs igitur explicabis de agno lactente, qui uberibus os imprimat. Juven Sat. 9.

Tu tantùm erucis IMPRIME dentem.

& noster Eleg. 16. l. 1.

Osculaque IMPRESSIS nixa dedi gradibus.

v. 71. *pomis mercaris amores*] Venus apud Lucianum in Dearum judicio sic Paridem alloquitur: πάντα γὰρ ἔξεστί σοι, τὸν ἔρωτα, τὸ κάλλος, τὸν γάμον, τοῦτο τὸ μῆλον πρίασθαι. *Omnia enim licet tibi hæc, & AMOREM, & formam & nuptias POMO isto MERCARI.*

v. 74. *Agricolæ domini*] Alexis ergo puer Mœcenatis, non Pollionis, ut nonnullis placuit. Poëtæ nimirùm in fingendis personis, quarum involucro latent vera nomina amicorum, solent studia eorum & mores ob oculos ponere, ut facilè dignosci possit, de quo per ambages loquantur. Propertius itaque non abs re vocat Mœcenatem *agricolam*, quippe qui angusto clavo contentus intra domesticos hortos procul ab ambitione vitam exegerit. Testis Pedo Albinovanus Eleg. in ejus obitum:

Majus erat potuisse, tamen nec velle triumphos:
Major res magnis abstinuisse fuit.
Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canoras,
Paucaque pomosi jugera culta soli:
Pieridas, Phœbumque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aves.

cui jam sententiæ favit Martialis Epig. 56. l. 8. his versibus:

Jugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oves.
Risit Thuscus eques, paupertatemque malignam

Rep-

Quamvis ille suam lassus requiescat avenam,
  Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poëtæ,
  Quo seges in campo, quo viret uva jugo.
Tale facis carmen doctâ testudine, quale
  Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
  Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animis, nec se minor, ore canorus
  Anseris indocto carmine cessit olor.
Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
  Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.
Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
  Lesbia queis ipsâ notior est Helenâ.
Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi,
  Cum caneret miseræ funera Quinctiliæ.
Et modò formosâ quàm multa Lycoride Gallus
  Mortuus infernâ vulnera lavit aquâ!
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
  Hos inter si me ponere fama volet.

SEX.

OBSERVATIONES.

Reppulit, & celeri jussit abire fuga:
Accipe divitias, & vatum maximus esto:
Tu licet & nostrum, dixit, ALEXIN amos.

v. 83. *nec se minor*] Idest, eumdem se præstitit Virgilius in contemnendis æmulorum maledictis, quem in divino Æneidos opere conscribendo. Tiberius Imperator initio principatus sui parem animi celsitatem ostendit: *adversus* enim *convitia, malosque rumores, & famosa de se ac suis CARMINA firmus ac patiens, subinde jactabat, in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Sveton. Tiber. c. 28.

Hh 2 ELEG.



SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER III.

Elegia I.

Elegiaci carminis facultate nominis immortalitatem sperat se consecuturum.

CAllimachi manes, & Coi sacra Philotæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus:
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah

OBSERVATIONES.

ELEG. I. v. 3. *puro de fonte*] Reliquis intacto. Atqui falsum esse Propertium diximus in Prolegomenis; quæ vide.

ve

Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis.
  Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me fama levat terrâ sublimis, & à me
  Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canent:
Sed quod pace legas, opus hoc de monte sororum
  Detulit intactâ pagina nostra viâ.
Mollia Pegasides vestro date serta poëtæ:
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici fœnore reddet honos.
OMNIA post obitum fingit majora vetustas,

Ma-

OBSERVATIONES.

v. 9. *terra sublimis*] Pro *sublimem*. Ita supra Eleg. 8. l. 1.

Ut te felici prævecta Ceraunia remo.

Idest *prævectam*.
Terentius Andriâ Act. 5. Sc. 2.

SUBLIMEM hunc intro rape, quantùm potes.

Idem Adelph. Act. 5. Sc. 2.

SUBLIMEM medium arriperem —

v. 12. *scriptorum*] Poëtarum Elegiacorum, vestigia nostra persequentium.

v. 13. *missis in me certatis habenis*] Metaphoram ducit ab equis, quos ad cursum impellimus effusis in cervice habenis. Hinc *equi admissi*. Ovidius Epist. Penelopes:

Hic lacer admissos terruit Hector equos.

v. 20. *Non faciet*] Inepta erit; quemadmodùm Tibullus El. 6. l. 2.

—— *& mihi FACTA tuba est.*

apta scilicet.

v. 24

Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abjegno nosceret arces?
Fluminaque Æmonio cominùs isse viro?
Idæum Simoënta, Jovis cunabula parvi?
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, & Polydamantas in armis?
Qualemcũque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc Ilion, & tu
Troja bis Oetæi numine capta Dei.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 24. *Majus ab exequiis n. i. o. v.*] Sapienter Horatius Ode 24. l. 3.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

v. 25. *equo pulsas abiegno*] Plinius interpres esto l. 7. c. 57. EQUUM, ait, *qui nunc aries appellatur, in muralibus machinis Epeum ad Trojam invenisse dicunt.*

v. 29. *Polydamantas*] Effert numero multitudinis, quod singulari efferendum fuit. Cæsar apud Lucanum l. 1. Pharsaliæ: *& nomina vana Catones.* Martialis lib. 9. ad Crestum, εἰρωνικῶς:

Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos,
Et quidquid usquam legimus pilosorum
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis.

Noster infra Eleg. 7.

--- magnos æquabunt ista Camillos
Judicia ---

v. 31. *Exiguo sermone*] Si Troia nunc oppugnaretur, tanti belli fama decresceret, ac fortasse mille naves principum Græcorum, quas plenis buccis Melesigenes intonat, ad aliquot scapharum numerum redigerentur; sed cum hæc omnia maximè remota sint à nostro sæculo, ingeniorum vi momenti plurimum acquirunt. Salustius in Catilin. haud procul ab initio quædam huc pertinentia scribit: *Atheniensium res gestæ, sicut ego existimo, satis amplæ, magnificæque fuerunt, verùm aliquantò minores tamen, quam fama feruntur: sed, quia provenere ibi magna scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis cele-*

de-

Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes:
Illum post cineres auguror esse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro
Provisum est, Lycio vota probante Deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono.
Orphea detinuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threiciâ sustinuisse lyrâ.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte suâ in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, ferâ Galatea sub Ætnâ
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur nobis & Baccho, & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?

Quòd

OBSERVATIONES.

lebrantur. ita eorum; qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia.

v. 34. *posteritate s. crescere sensit opus.*] Sumptum videtur ab Horatio, qui Ode 30. l. 3.

—— usque ego POSTERA
CRESCAM laude recens ——

Facete Juvenalis 7. Sat. de quodam lauto Poeticis deliciis animum applicante:

Ipse facit versus, atque uni cedit
HOMERO,
Propter mille annos ——

Quasi verò nihil aliud in Homericis carminibus dignum foret admiratione hominum, præter vetustatem.

v. 42. *sustinuisse*] Optimè repositum à Criticis, cum anteà legeretur *detinuisse*; insuavi repetitione. Pari verbo usus est Albinovanus Eleg. ad Liviam Augustam, ubi de Tiberino Drusi rogum extinguere meditante:

SUSTENTABAT aquas, cursusque inhibebat equorum.

 v. 57.

Quòd nõ Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes;
Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas;
Non operosa rigat Martius antra liquor:
At Musæ comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopêa meis.
Fortunata, meo si qua es celebrata libello:
Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elëi cælum imitata domus:
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extremâ conditione vacant:
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet. *INGENIO stat sine morte decus.*

ELE-

OBSERVATIONES.

V. 57. *Nam neque Pyramidum*] Germana leges apud citat. Horatium Ode 30. l. 3. Ovidium in calce Metamorph.

V. 64. *ingenio stat sine morte decus*] Enimverò ubi Romanorum Imperatorum ædes magnificæ? ubi Neronis aurea domus? ubi Titi Amphitheatrum? vix pauca supersunt rudera, quæ ista fuisse aliquandò fidem faciant posteritati. At vivunt, & semper vivent scriptorum illustrium monumenta, quorum adminiculo res gestæ fortium virorum ab interitu vindicantur. Præclarè igitur Plinius l.7.c.30. ad Ciceronis manes: *Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ Latiarumque litterarum parens: atque (ut dictator Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus est INGENII Romani terminos in tantum promovisse, quàm imperii.* Contrarium tamen longè sensit Severinus

Boe-

ELEGIA II.

Narrat se inter dormiendum à Phœbo, & Calliope reprehensum, quòd Heroici carminis fontes attigisset.

Visus eram molli recubās Heliconis in umbrā,
  Bellerophontei quà fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum
  Tantum operis nervis hiscere posse meis:

Par-

OBSERVATIONES.

Boethius de conf. Philosoph. l. 2. metro 2. Audi gloriæ inanis contemptorem:

Sed quòd decora novimus vocabula,
Num scire consumptos datur?
Jacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quòd si putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aura nominis,
Cum sera vobis rapiet hoc etiam dies;
Jam vos secunda mors manet.

ELEG. II. v. 1. *Visus eram hiscere*] Terentius pariter Eun. Act. 3. Sc. 2. *Audire vocem VISA SUM modò militis.*

Ibid. *in umbra*] Præter vulgatam significationem, nemo paullo eruditior nescit, *umbram* apud optimos Latinitatis auctores accip' pro ignavià, & otio. Quod ut notum fiat rudioribus, affero exemplā. Ovid. Artis Amat. l. 3. vers. 541. de poëtis loquens:

Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi;
Contempto colitur lectus, & UMBRA foro.

& Amorum 3. Eleg. 18.

Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in UMBRA.

Juvenalis quoque secutus vestigia superiorum, ita de Historicis Sat. 7. v. 104. *Sed genus ignavum, quod tecto gaudet, & UMBRA.* nec aliò respicit Columella, cum l. 1. de Re Rust. c. 2. inquit: *Quidquid verò dabitur occasionis, ruri moretur; quæ non sit mora segnis, nec UMBRATILIS.* Hinc, puto, *UMBRATICÆ* appellatæ scholæ declamatorum, quòd nimirum id hominum genus fictis caussis agendis tempus tereret, nec umquam in forum, & publicam lucem egrediauderet. videndi Petronius Arbiter initio Satyrici: Seneca Pater in procemio Controv. l. 2. Plinius Junior Epist. 2. l. 9. Juven. citatus vers. 172.

v. 4. *nervis*] Viribus, & oratio-

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit.
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiaque Æmiliâ vecta trophæa rate,
Victorisque moram Fabii; pugnamque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota Deos,
Annibalemque Lares Romanâ sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse Jovem:
Cum me Castaliâ speculans ex arbore Phœbus
Sic ait auratâ nixus ad antra lyrâ:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hìc ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur sæpe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum.

Cur.

OBSERVATIONES.

tionis contentione. Horat. A. P. vers. 26.

—— *sectantem lævia NERVI Deficiunt, animique* ——.

v.7. *Horatia pila*] Fratrum Horatiorum, qui, Tullo rem Romanam gubernante, cum Albanis Curiatiis pedem contulerunt. Livius l. 1. *Inter hæc senex juvenem amplexus, spolia CURIATIORUM fixa eo loco, qui nunc PILA HORATIA appellatur, ostentans &c.*

v. 8. *Regiaque Æmilia*] Persei Macedonum regis, de quo Paulus Æmilius magnâ gloriâ, nec minore animi moderatione triumphavit. vide Livium l. 45. Florum l. 2. c. 12. Aurel. Victorem de viris illustr.

v.20. *expectans virum*] Nequitiis videlicet prurientis paginæ dormientem Venerem excitatura. Martialis Epig. 97. l. 12. ad Instantium Rufum:

Musæi pathicissimos LIBELLOS,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas sale pruriente chartas
Instanti lege Ruse: sed PUELLA

Sit.

Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris; medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedē mihi monstrat eburno,
Quà nova muscoso semita facta solo est.
Hìc erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, & Sileni patris imago.
Fictilis, & calami, Pan Tegeæe, tui.
Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ
Tingunt Gorgoneo Punica rostra lacu.
Diversæque novem sortitæ jura puellæ

Exer-

OBSERVATIONES.

Sit tecum tua &c. Eiusdem fere argumenti est Epigramma 17. l. 11. Tu igitur, ô mi lector, qui bonis moribus consultum cupis, antequam ad molliora scripta evolvenda manum atque animum admoveas, pharmacum præsume, ut ii, qui ad boletos invitantur: omnia etenim munda mundis, at qui regio morbo laborant, nihil non pollutum aspicere solent.

v. 24. *turba*] Perturbatio, & procella. mens autem poëtæ hujusmodi est: Tutius multò existimo prope litus navigare, quàm profundo mari cymbam committere, ubi maxima vis tempestatum insurgit. *Turbam* antiqui scriptores usurparunt pro tumultu, non secus ac *turbas*, teste Nonio Marcello. Accius Trophæo: *Non vides quantam TURBAM, quantosve fluctus concites?* qui locus Propertium unicè illustrat. Cicero Catone majore: *Cum in illud divinorum animorum concilium, cœtumque proficiscar, cumque ex hac TURBA & colluvione discedam.* Idem Epist. 6. l. 7. *Exponere etiam quemadmodum tunc, & quanta in TURBA, quantaque in confusione rerum omnium viveremus.*

V. 26. *nova semita*] Innuit se Romanorum primum Elegiæ conscribendæ operam dedisse. v. supra

Eleg.

Exercent teneras in ſua dona manus.
Hæc ederas legit ĩ thyrſos, hæc carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utrâque roſam.
E quarum numero me contigit una Dearum:
Ut reor à facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis ſemper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma ſonus.
Nil tibi ſit rauco prætoria claſſica cornu
Flere, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano prælia ſigno
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut Suevo perfuſus ſanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aquâ.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnæque canes ebria ſigna fugæ.
Ut per te clauſas ſciat excantare puellas,
Qui volet auſteros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphiſque à fonte petitis,
Ora Philetеâ noſtra rigavit aquâ.

ELE-

OBSERVATIONES.

Eleg. 1. verſ. 5.

v. 42. *Aonium cingere Marte nemus.*] Videtur à Virgilio derivatum, qui 9. Æneidos de ſilvâ equitatu cinctâ ſic elegantiſſimè:

Objiciunt equites ſeſe ad divortia nota
Hinc, atque hinc, omnemque aditum cuſtode coronant.

v. 48. *canes*] Quæ ad januam vigilant, & minimo ſtrepitu ictæ confeſtim latratum tollunt. Horatius Epod. 5.

Senem (quod omnes rideant) adulterum
Latrent Suburranæ CANES.

v. Tibul. Eleg. 7. l. 1. v. 32. Eleg. 4. l. 2. v. 34. Propertium iterum l. 4. Eleg. 5. v. 71.

ELEG.

ELEGIA III.

Cæsare Indis bellum illaturo, ait se amoribus & otio vacare velle, donec ætate ingravescente severioribus studiis manum admovere deceat.

ARma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces, parat ultima terra triumphos:
Tigris, & Euphrates sub tua jura fluent.
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis:
Assuescent Latio Partha trophæa Jovi.
Ite agite expertæ bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano. Crassos, cladesque piate:
Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit precor illa dies,

Quâ

OBSERVATIONES.

ELEG. III. v. 5. *Sera, sed Ausoniis*] Ego ita explico: serò quidem Parthorum imperium, à quibus tot clades nobis inflictæ sunt, in formam Romanæ provinciæ redigetur, sed aliquandò tamen. Hanc explicationem debemus Ovidiano versiculo 1. de Arte:

Capta vides SERO Pergama, capta tamen.

v. 9. *piate*]. Delete ignominiam veterem, hostibus ad sepulcrum Crassi jugulatis.

v. 11. *fatalia lumina Vestæ*] Eò dicit, quòd arcanum imperii pignus in æde Vestæ servaretur; Livius luculenter ista conjungit l. 26. *VESTÆ ædem petitam, & æternos ignes, & conditum in penetrali FATALE imperii pignus*. Quale autem fuerit, vestigat Lipsius Syntagmate de Vestâ, & Vestalib. c. 9.

v. 14.

Quâ videam spoliis onerato Cæsaris axe,
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.
Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam:
Tela fugacis equi, & braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serva Venus: hoc sit in ævum,
Cernis ab Æneâ quod superesse, caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores:
Me sat erit Sacrâ plaudere posse viâ.
Pacis Amor Deus est, pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum dominâ prælia dura meâ.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemmâ divite nostra sitis:
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra peto clade, Corinthe, tuâ.

O pri-

OBSERVATIONES.

v. 14. *sæpe resistere equos*] Hoc Hemistichium legere est apud Ovidium, Tristium l. 4. Eleg. 2. v. 54.

v. 24. *stant*] Supra Eleg. 2.

Aut quibus in campis Mariano PRÆLIA signo
STENT ——.

v. 26. *bibit è gemma*] Intelligunt vulgò gemmata pocula, ego verò lapides pretiosos in poculum excavatos. Nam & iis bibebant luxuriosi veteres. Cicero testatur l. 6. in Verrem: *erat etiam vas vinarium EX una GEMMA pregrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo.* Gratius quoque Faliscus Cyneget. ubi luxuriæ damna recenset:

Hæc illa est, Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum servata CAVIS potant Mareotica GEMMIS.

v. 28. *clade, Corinthe, tua*] Signa ex ære Corinthio usque ad insaniam olim petita docemur à Plinio l. 34. c. 2. Quamobrem Vellejus Pateiculus l. 1. de hac effusissimâ cupiditate ita scribit: *Mummius*

O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parùm cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens, mentem non vidit in arte.
Recta animi primùm debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis jactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma nova.

HAUD

OBSERVATIONES.

minus tam rudis fuit, ut capta CORINTHO, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem CORINTHIORUM intellectum, quàm in tantum ea intelligi; & quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

v. 31. *Corpora disponens*] Prometheus hominum plastes, corpora quidem eorum vultu ad cælum erecto molitus est, animum vero ad vitia pronum pulchro domicilio inclusit. Hinc illa exclamatio Persii Sat. 2. *O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!* Hanc porrò Umbri nostri querelam venustè imitatus est Torquatus Tassus (nell'Aminta Atto 3. Sc. 1.) his versiculis:

O Donna ingrata, o tre fiate, e quattro
Ingratissimo sesso, e tu Natura
Negligente maestra, perche solo
A le donne nel volto, e in quel di fuori,
Ponesti quanto in loro è di gentile,
Di mansueto, e di cortese; e tutte
L'altre parti obliasti ——

Nec prætermittendum omnino est, priscos homines caussas vitiorum suorum, sive corporis essent, sive animi, ad Prometheum auctorem retulisse. Horatius iratus puellæ, iram suam excusat hac potissimùm fabellâ Ode 16. l. 1.

Fertur PROMETHEUS addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Phædrus expositurus, cur tribades, & cinædi monstra hominum passim occurrerent, non inscitum figmentũ cõminiscitur fab. 14. l. 1.

— PROMETHEUS auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturæ partes, veste quas celat pudor.

Cum

HAUD ullas portabis opes Acherontis ad undas:
NUDUS ab infernâ, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris:
Consule cum Mario capte Jugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
OPTIMA mors, parcâ quæ venit apta die.
Me juvat in primâ coluisse Helicona juventâ,
Musarumque choris implicuisse manus.

Me

OBSERVATIONES.

Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis;
Ad cænam est invitatus subitò à Libero:
Ubi irrigatus venas multo nectare,
Serò domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde, & errore ebrio,
Applicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra applicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

In eam sententiam abit quoque Juvenalis, qui Satyrâ 14. nonnullos ait è turbâ juvenum reperiri, qui nobiliore argillâ constructi sint, ideóque pravis exemplis non corrumpantur:

——— unus & alter
Forsitan hæc spernent juvenes, quibus arte benigna
E meliore luto finxit præcordia Titan.

Martialis denique in simulacrum fictile gibberi lusurus, hinc jocum trahit l. 14. Epig. 182.

Ebrius hæc terris fecit, puto, monstra PROMETHEUS,
Saturnalitio lusit & ipse luto.

v. 36. *Nudus ab inferna*] Job in Scripturis ad opum suarum direptionem fortiter ferendam, hoc adhibet munimentum: *NUDUS egressus sum de utero matris meæ, & NUDUS revertar illuc.*

v 39 *Lydus Dulichio*] V. Lucianum in Dialogis mortuorum.

v 40. *Optima mors parca*] Mors illa felicissima censenda est, quæ pauperibus contingit, eosque miseria um cumulo prorsus exonerat. vel si mavis: felices illi, qui mediâ ætate moriuntur, nec ad ultimam senectutem vitam producunt: mortes filiorum, excidia patriæ, rem familiarem immmu-

cam

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
  Et caput in vernâ semper habere rosâ.
Atque ubi já Venerê gravis interceperit ætas,
  Sparserit intêgras alba senecta comas:
Tum mihi Naturæ libeat perdiscere mores,
  Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Quà venit exoriens, qua deficit, unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua Luna redit:
Unde salo superant venti: quid flamine captet
  Eurus, & in nubes unde perennis aqua:
Sit ventura dies, mundi quæ subruat arces:
  Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas:
Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
  Solis & atratis luxerit orbis equis:
Cur segnis versare boves, & plaustra Bootes:
  Pleiadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat æquor,
  Plenus & in partes quatuor annus eat:
Sub terris sint jura Deûm, & tormenta Gigantum:
  Tisiphones atro si furit angue caput:

Aut

OBSERVATIONES.

tam fortasse visuri; sic autem *parca dies* erit modicum vivendi tempus, quo pacto apud Tibul. *longa dies* vetustatem significat. Prior tamen explicatio magis placet.

v. 56. *atratis equis*] Sordidatis, & Cæsaris violentum interitum lugentibus.

v. 59. *altum æquor*] Globosum, ac tumidum, nec tamen effluens, quòd scilicet communi centro teneatur.

v. 60. *in partes quatuor*] Hanc tempestatum distributionem à Jove factam tradit Ovidius 1. Metamorphoseon, cum antea sub im-

Ii pe-

Aut Alcmeoniæ furiæ, aut jejunia Phinei:
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas:
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, & Tityo jugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra, quàm rogus, esse potest.
Exitus hic vitæ superest mihi; Vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Elegia IV.

Lygdamum servum obtestatur, ut sibi de tristitiâ puellæ ab se intermissa quàm verissima referat.

DIc mihi de nostrâ quæ sentis vera puellâ,
Sic tibi sint dominæ, Lygdame, lenta juga.
Dum me lætitiâ tumefactum fallis inani,
Hæc referens, quæ me credere velle putas.
Om-

OBSERVATIONES.

perio Saturni ver æternum fuisset.

v. 67. *in miseras descendit fabula gentes*] Gentes à veri numinis cultu aberrantes, variis religionibus in officio continebantur, ut metu pœnarum, quas sibi post mortem obventuras crederent, regum edictis parerent, flagitiaque ac scelera devitarent. Ideò Numa Pompilius nocturnos congressus cum Egeriâ Nymphâ simulabat, ex quibus præcepta gubernandi populi hauriret; Minos quoque Cretensium rex mentiebatur arcana cum Jove colloquia, leges laturus, quas ab universis observari volebat. Næ autem stupidissimi fuerunt antiqui mortales, quibus tam facilè absurda figmenta suaderi potuerint; at sanè posterior ætas magis emunctæ naris homines tulit, potiusque impietate, quàm superstitione peccantes. In his familiam ducunt Diagoras, Epicurus, Leucippus, Lucretius, Plinius, cum sectatoribus innumeris.

ELEG.

Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
  Majoremque timens servus habere fidem.
Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere primâ
  Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullane gemma manus?
Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis?
  Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus? & tristes sua pensa ministræ
  Carpebant? medio nebat & ipsa loco?

Par-

OBSERVATIONES.

ELEG. IV. v. 10. *aqua*] Ut hic *aquam* pro lacrymis, ita Eleg. 16. l. 2. pro sudore usurpavit:

Frigida de tota fronte cadebat
AQUA.

v. 13. *vestem pendere lacertis*] Solutam scilicet armillis aureis, quibus delicatæ mulieres ornare ac circumdare brachia consueverant. Quod non obscurè innuere videtur Tibullus Eleg. 10. l. 1. ubi de puellâ maritum fallente:

Ista hæc persuadet facies, auroque
LACERTOS
Vinciat, & Tyrio prodeat apta
sinu.

Nec tantùm feminæ apud Romanos, verùm etiam viri Sabinorum iis utebantur, quod ex Livio discimus Hist. 1. *Additur fabula, quòd vulgò Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magna specie annulos habuerint; pepigisse eam* (Tarpejam) *quod in sinistris manibus haberent.* Igitur amica Propertii, ut summum animi mœrorem ostendat, munditias omnes negligit, nec scrinia recludit, unde pretiosa quæque depromebantur.

v. 16. *medio nebat & ipsa loco*] Talem describit Livius Lucretiam Collatini uxorem repertam à marito, & Sexto Tarquinio. Ejus verba sunt l. 1. circa finem: *pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus; quas in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes; sed nocte sera deditam LANÆ inter lucu-*

bran-

Humidaque impreſsâ ſiccabat lumina lanâ?
Rettulit & querulo jurgia noſtra ſono?
Hæc te teſte mihi promiſſa eſt, Lygdame, merces?
Eſt pœna ſervo rumpere teſte fidem.
Ille poteſt nullo miſeram me linquere facto?
Æqualem nullâ dicere habere domo?
Gaudet me vacuo ſolam tabeſcere lecto?
Si placet, inſultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, ſed herbis improba vicit:
Stamineâ rhombi ducitur ille rotâ.

Illum

OBSERVATIONES.

brantes ancillas in medio ædium ſedentem inveniunt. Ita Syrus famulus apud Terentium Heautont. Antiphilam pudicam virginem invenit *texentem telam ſtudioſè.* Utque mulieres frugi penſis invigilabant, ita laſcivientes, atque ignavæ, calathos, & lanam abjiciebant. Horatius Ode 12. l. 3.

Tibi qualum Cythereæ puer ales,
Tibi telas, operoſæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri.

quod procul dubio è Sappho derivavit, cujus verſiculi proferuntur ab Hephæſtione:

Γλυκεῖα μᾶτερ ὄτοι δύναμαι κρέκειν τ ἱσὸν,
Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς, βραδινὰν δι' ἀφροδίταν.

Dulcis mater, non poſsum texere telam
Amore victa pueri per acrem Venerem.

v. 19. *Hæc te teſte*] μίμησις puellæ, uſque ad verſum:
Quæ tibi ſi veris animis &c.

v. 21. *facto*] *Factum* pro crimine boni ſcriptores dixerunt. Virg. 2. Æneid. ex perſonâ Pyrrhi:

—— illi mea triſtia FACTA,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Tibullus Eleg. 5. l. 3.

Nec con ſollicitant FACTA nefanda meum.

v. 22. *æqualem nullâ domo*] Amicam, cui parem invenire nuſquàm ſperet. Simonides mirificè ad mentem Propertii:

Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης ἐν φρεσὶν γ' ἤδη νέαν.
Τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην,

E-

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt:
Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.
Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor:
Pœna erit ante meos sera, sed ampla pedes.
Putris & in vacuo texetur aranea lecto:
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,
Hâc eadem rursus, Lygdame, curre viâ:
Et mea cum multis lacrymis mandata reporta:
Iram, non fraudes esse in amore meo.

Me

OBSERVATIONES.

Ἐπαινέσει μὲν ξεῖνος ὃν δόμοις ἰδών.
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆσδε λῴων γυνὴ
Ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, οὐδὲ καλλίων.

Nunc animum ad illam verte, quæ nata est mari.
Modò læta totum gaudet, ac ridet diem,
Ut hospes illam laudet intuens domi,
Nullamque juret feminam usquam gentium
Bonis honestisque hanc priorem moribus. &c.

vertit Georgius Buchananus.

v. 26. *Staminea rhombi d. i. r.*] Non abit Lucanus, qui 6. Pharsaliæ v. 458. ita de infandis artibus Thessalæ veneficæ:

—— quos non concordia mistì
Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
Traxerunt torti magica vertigine fili.

v. 27. *ranæ portenta rubetæ*] φίλτρον intelligit. vide Plinium l. 32. c. 5. ubi late hanc materiam persequitur.

v. 29. *strigis*] Omnino adeundus Ovidius l. 6. Fastorum, harum avium ingenium, & perniciosa effecta noscere cupienti. Quæ tamen omnia pueris terrendis aptissima.

v. 33. *texetur aranea*] In locis longo situ obsoletis araneæ suum opus moliuntur. Sapit autem adagium, quod nos Itali dicimus: *pigliar la mosca.*

Me quoque consimili impositum torquerier igni
Jurabo, & bis sex integer esse dies.
Quòd mihi si tanto felix concordia bello
Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

ELEGIA V.

Poeti cujusdam adolescentis naufragium deplorat: simul avaritiam hominum, & navigandi morem exsecratur.

ERgo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es:
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes:
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pœtum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo,
Et nova longinquis piscibus esca natat.
Flens tamen extremis dedit hæc mãdata querelis,
Cum

OBSERVATIONES.

ELEG. V. v. 4. *de capite*] De fonte, atque origine. Virgilius 11. Æneidos ex ore Drancis cum Turno jurgantis:

— O Latio CAPUT horum, & causa malorum.

Græcis pariter usitatum est κεφάλαιον αἴτιον, hac ipsa significatione.

v. 8. *longinquis piscibus*] Ovidius in Ibin, plura violentæ mortis genera enumerans, hoc intactum non prætermittit:

Sive per immensas jactabor naufragus undas,
Nostraque LONGINQUUS viscera PISCIS EDET.

v. 9. *mandata*] Vota, & preces. Naso citat. 2. Metamorph.

Inter utrumque tene. Formuma cætera

Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
Dii maris, Ægæi quos sunt penes æquora ponti,
Et quæcumque meum degravat unda caput:
Quò rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus:
Ah miser! Alcyonum scopulis affigar acutis:
In me cæruleo fuscina sumpta Deo est.
At saltem Italiæ regionibus advehat æstus!
Hoc de me sat erit, si modò matris erit.
Subtrahit hæc fantem tortâ vertigine fluctus:
Ultima quæ Pœto voxque, diesque fuit.

Pœte

OBSERVATIONES.

tera MANDO.

v. 12. *Et quæcumque*] Simili omnino flexu Eleg. ult. l. 4.

ET QUÆCUMQUE MEOS implicat UNDA pedes.

v. 14. *longas manus*] *Perjurio non debilitatas*, inquit Scaliger, & ad suam opinionem tuendam trahit vel invitos quosdam Horatii versus ex Ode 8. l. 2. ad Juliam Barinen. *Integras paulò ante, moxque mutilatas fluctuum collisione*, ait Douza pater. Quorum neutri subscribere possum, nam utraque explicatio longius petita videtur, quàm manus ipsæ longæ fuerint. Ego, si licet à talium, tantorumque virorum sententiis diffidere, hanc existimo fuisse mentem Propertii: Parcite Dii maris, non enim sacrificia vestra neglexi, antequam funem de litore solverem, immò pelagus intravi supplicibus palmis, & ad vos protensis. Non dubito quin cordatioribus hæc interpretatio nostra, veluti multò simplicior, arrisura sit. Suffragarur Ovidius, qui Epist. Ariadnæ prope finem describit nobis miserabilem supplicis gestum:

Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas,
Infelix tendo trans FRETA LONGA MANUS.

Quid? si habuit ante oculos versum Propertii, dum hæc paginis committeret? audis enim & *freta*, & *longa*, & *manus*, & pares numeros. Utinam in cæteris quoque ita feliciter divinare mihi concessum foret?

Poete quid ætatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi eſt? non habet unda Deos.
Nam tibi nocturnis ad ſaxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.
Et mater non juſta piæ dare debita terræ,
  Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres aſtant ſuper oſſa marinæ:
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
  Quæ ſpolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?
  Portabat ſanctos alveus ille viros.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
  Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit laſſo ſupponere brachia mento;
  Non poterat veſtras ille gravare manus.

Red-

OBSERVATIONES.

v. 22. *Non habet unda Deos*] Vide quæ obſervavimus ad Eleg. 8. l. 1. v. 41.

v. 34. *materno tacta dolore*] Quæ ſcilicet miſereri debueras, cum & ipſa noveris quid ſit filium amittere. Innuit Achillis mortem, quem Thetis ex Peleo ſuſceperat. Simile verò πάθος apud Maronem Æneidos 9.

— perculſæ mente dederunt
Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Julus,
Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.

& magis ad rem noſtram l. 10. ubi Æneas adoleſcentem Lauſum occiſurus:

Ingemuit miſerans graviter, dextramque tetendit:
Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

Pio enim Heroi venit in mentem Aſcanii filii.

v. 35. *ſupponere brachia mento*]. Ovidiana Sappho è Leucadio promontorio corpus miſſura, ut obſtinatum amorem animo expelleret,

Reddite corpus humo, positâque in gurgite vitâ
  Pœtum sponte tuâ vilis arena tegas.
Ut quoties Pœti transibit nauta sepulcrum,
  Dicat: & audaci tu timor esse potes.
Ite rates curvæ, & leti quoque texite causas.
  Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat, fatis adjecimus undas:
  Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
  Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Natura insidians pontum substravit avaris.
  Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Ventorũ est quodcumque paras. *HAUD ulla carina*
  Consenuit: fallit portus & ipse fidem.

Sunt

OBSERVATIONES.

ret, simili affectu ventos, & Cupidinem precatur:

Quidquid erit, meliùs quàm nunc erit. Aura subito,
Et mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas SUPPONE cadenti,
Ne in Leucadiæ mortua crimen aquæ.

v.46. *Quid meritum dicas*] Magna profectò audacia, *ut rupto naturæ fœdere terrestre animal homo, ventorum & maris objectus iræ, se fluctibus audeat credere, semperque, ritu volucrum, longinqui litoris peregrinus ignotum pererret orbem.* verba sunt Columellæ præfat. ad P.Silvinum.

v.47. *insidians pontum substravit*]. Maris tranquillitate homines allecti navigare cœperunt, at illos paulò post inventi sui pœnituit. Lucretius l.5. describens antiquissima mundi tempora:

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

ad quem locum vide Lambini commentarium. Quamobrem apud Virgilium leges; *auræ vela vocant;*

cant;

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
  Quæ notat Argyni pœna natantis aquâ.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides;
  Pro quâ mactata est Iphigenîa morâ.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
  Naufraga cum vasto Græcia tracta salo est.
Paulatim sociûm jacturam flevit Ulysses,
  In mare cui soli non valuere doli.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
  Pœtus ut occideret, tot coiere mala.
Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ,
  Et duro teneras lædere fune manus:
Sed thyiæ thalamo, aut Oryciæ terebinthi
  Effulto plumâ versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,
  Et miser invitam traxit hiatus aquam.
Quòd si contentus patrio bove verteret agros,
  Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva penates,
  Pauper, at in terrâ, nil ubi flere potest.

At

OBSERVATIONES.

cant; lenis crepitans vocat Auster in altum; & pleraque hujusmodi verba insidiarum.

v. 52. *notat*] Infamat. Pulchrè Sannazarius amœnissimi vir ingenii in Eclogis piscatoriis:

Vitemus scopulos infames morte Lyconis.

v. 59. *Hunc*] Ulyssem, quem comparat Pœto.

v. 65. *vivo*] Lege meo periculo *vivos*. Ita Horatius de Lucilio Sat. 10. l. 1.

Sæpe caput scaberet, VIVOS & roderet UNGUES.

v. 70. *nil ubi flere potest*] Ubi licebat

At tu, sæve Aquilo, numquam mea vela videbis;
Ante fores dominæ condar oportet iners.

Elegia VI.

Ait amorem sine rixis insuavem esse: paucis deinde rivalem suum insectatur.

DUlcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & insanæ tot maledicta tuæ:
Cum furibunda mero mensam propellis, & in me
Projicis insanâ cymbia plena manu.
Tu verò nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota:
Tu minitare oculos subjectâ exurere flammâ,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu:

Ni-

OBSERVATIONES.

cebat illi securo, atque otioso degere. *Potest*, pro *potuis*, more poëtarum. Porrò naufragi *flere* solent, i. e. flendo cupere propinquorum & amicorum carissimos; & honorem sepulcri desiderare. Graphicè Ovidius l. 11. Metamorph.

Non tenet hic lacrymas: stupet hic: vocat ille beatos,
Funera quos maneant: hic votis numen adorat,
Brachiaque ad cælum, quod non videt, irrita tendens
Poscit opem: subeunt illi fratresque parensque:
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum est.
Alcyone Ceyca movet, Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est ——

& libro Tristium 1. Eleg. 2.

Est aliquid fatove suo, ferrove cadentum
In solida moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulcrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

ELEG. VI. v. 7. *oculos subjecta exurere flamma*] Cum oculi pars nobilissima corporis, præ cæteris mem-

Nimirùm veri dantur mihi signa caloris,
NAM sine amore gravi femina nulla dolet.
Quæ mulier rabidâ jactat convitia linguâ,
Et Veneris magnæ volvitur ante pedes:
Custodum gregibus circùm seu stipat euntem,
Seu sequitur medias, Mænas ut acta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabulâ picta puella movet:

His

OBSERVATIONES.

membris cari habeantur, magna profectò vis amoris in illo apparet, qui rem tanti pretii flammæ objicere paratus sit, ut puellæ animum rectè habeat exploratum. Memini me legisse apud Theocritum Idyllio 11. magnifica hæc Polyphemi verba Galateam depereuntis:

Καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦ καὶ τὰν
ψυχὰν ἀνεχοίμαν,
Καὶ τὸν ἕν' ὀφθαλμὸν, τῷ μοι
γλυκερώτερον οὐδέν.
Et perferre possum, ut etiam anima mea à te comburatur,
Et unicus ille OCULUS, quo mihi nihil dulcius est.

v.12. *volvitur ante pedes:*] *Advolvi* supplicum erat. Noster infra Eleg. 15.

Nunc, ô Bacche, tuis humiles
ADVOLVIMUR aris.

Genibus autem pedibusque potissimùm advolvebantur, quæ deprecandi ratio Q. Haterio Senatori exitialis penè fuit. Vide Corn. Tacitum Annalium 1. Hinc lucem capiunt illa Eleg. 4. supra, quæ minùs rectè considerantibus subobscura videri poterant:

Pœna erit ante meos sera, sed
ampla PEDES.

idest Propertius ipse veteris amoris transfuga, humilior jam factus ad pedes dominæ accedet, veniam rogaturus. Malè igitur Scioppius Verisimilium 3. cap. 20. mutabat, *ante ejus*. *Pœnam* pro illo, qui supplicio affectus est, ita dixit, ut alibi *scelus* pro *scelesto*; *dolorem* pro *dolente*; *amorem* pro *amante*; & si qua sunt alia generis ejusdem.

v.13. *Custodum gregibus*] Pædagogos amanti præficit, veluti consueverant patres liberis prætextatis. Ex horum numero, quibus poëtam suum commĕdaverat Cynthia, fuit Bassus ille, de quo noster Eleg. 4. l. 1.

Nec tibi me posthac committet Cyn-
thia, nec te

Quæ-

His ego tormentis animi sum verus aruspex;
Nam didici certas sæpe in amore notas.
NON est certa fides, quam non injuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis.
In morso æquales videant mea vulnera collo,
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem:
Sive meas lacrymas, sive videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, quos numquã pungunt suspiria, somnos.
Semper in iratam pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graja per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suæ.

Dum

OBSERVATIONES.

Quaret. erit tanti criminis illa memor.

Ipse vicissim puellam cuidam Lynceo mandaverat custodiendam, cujus perfidiam criminatur Eleg. 23. l. 2.

Cur quisquam faciem dominæ jam credat amori?

Quo pacto autem Propertius dixit *gregibus custodum*, hoc Juvenalis 1. Sat. *GREGIBUS comitum*.

v. 21. *In morso æquales &c*] Ignavi milites illi, qui cicatrices adverso corpore ostendere nequeunt; cum igitur amantium sit militia quædam, & ipsis gloriosum videtur inflictas morsiunculas præ se ferre. Hinc jocum petivit Cicero 7. in Verrem: *Scilicet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio, atque auctoritas proferatur: ne excitetur Verres, ne denudetur à pectore, ne cicatrices populus Romanus aspiciat, ex mulierum MORSU vestigia libidinis atque nequitiæ.*

v. 22. *doceat livor*] Indicet caro sublivida. Tibul. Eleg. 7. l. 1.

Tum succos herbasque dedi, queis LIVOR abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus

v. 35.

Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude quòd nulla est æquè formosa: doleres,
Si qua foret. nunc sis jure superba licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer æternùm, nec sine matre domus.
Cui nunc si qua data est furandæ copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

ELEGIA VII.

Alios aliis magis aptos esse: sibi verò Mæcenatis moderationem exemplo esse, ne grandia nimis, nisi eo duce, aggrediatur.

MOecenas eques Etrusco de sanguine Regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam:

Quid.

OBSERVATIONES.

v. 35. *Gaude; quòd nulla est æ. f.*] Pulchritudinem tuam tibi gratulare, cujus præsidio nixa impune conviciari potes; quòd si deteriore formâ esses, non fuissem tot injuriarum patiens, teque pœnituisset maledictorum.

v. 38. *Sit socer æternùm &c.*] Quorum duritie impeditus, libidini tuæ morem gerere nequeas.

ELEG. VII. v. 2. *Intra fortunam tuam*] Ovidius à Propertio Trist. l. 3. Eleg. 4.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & INTRA
FORTUNAM debet quisque manere SUAM.

Nec audiendus vir doctus, qui utrobique legit INFRA, & ad lectionem suam tuendam affert versiculum Senecæ Medeâ Act. 3.

FORTUNA semper omnis INFRA me.

Quid me ſcribendi tam vaſtum mittis in æquor?
Non ſunt apta meæ grandia vela rati.
TURPE eſt, quod nequeas, capiti committere pondus:
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.
OMNIA non pariter rerum ſunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.
Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna,
Exactis Calamis ſe mihi jactat equis.
In Veneris tabulâ ſummam ſibi ponit Apelles,
Parrhaſius partâ vindicat arte locum.
Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ,

At

OBSERVATIONES.

me ſtetit.

Contraria enim ſunt, fortunam ſtare infra hominis animum, & hominem ſtare infra fortunam. Primum illud pertinet ad virtutem, alterum vitio vertitur. At inſanabile novandi κακοήθες Criticorum oculis loliginem offundit.

v. 3. *ſcribendi æquor*] Antiquis tabella cerata, in qua graphioli acie litteræ ſculpebantur, *æquor* dicta eſt. Italicè verteres: *il piano del foglio.* Auſonius Epig. 138. ad notarium velociſſimè excipientem:

Tibi nec aures ambiguæ,
Nec occupatur pagina,
Et mota parcè dextera
Volat per ÆQUOR cereum.

Prudentius quoque Chriſtianus poëta 9. Hymno περὶ στεφάνων de ſupplicio Caſſiani martyris:

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur:
Et qua ſecti apices abolentur, & ÆQUORIS hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

Potuit igitur Propertius huc mentem adhibere, cum de poëmatis Heroici amplitudine μεταφορικῶς loqueretur.

v. 8 *Fama nec ex æquo d. v. jugo*] Non eadem eſt omnium ad gloriam via: non omnes omnia poſſumus; quod ſequentibus exemplis confirmat. *Jugum* hoc loco eſt ferrum libræ tranſverſum, à quo lances dependent.

v. 13. *Argumenta magis*] Ideſt, Mentoris præcipua laus in hiſtoriis optimè cælandis poſita eſt. vel

cla-

At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus ſigno ſe Jupiter ornat eburno,
Praxitelem proprius vindicat arte lapis.
Eſt, quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,
Eſt, quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic ſatus ad pacem, hic campeſtribus utilis armis.
NATURÆ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.
At tua, Mœcenas, vitæ præcepta recepi,
Cogor & exemplis te ſuperare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore ſecures,
Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Cæſar, & omni
Tempore tam faciles inſinuentur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras,
Ve-

OBSERVATIONES.

clarius: in ſtatuis Mentoreis hiſtoriæ nobilitas vincit formæ dignitatem.

v. 17. *Eſt quibus Eleæ c. p q.*] Hellenismus, in quo verbum ſingulare jungitur nomini pluralis numeri. Plato in Minoë, citatus à Jacobo Gretſero Soc. Jeſu cap. 1. Græcæ Syntaxeos n. 8 πολλῶν γὰρ ὄντων ἀνθρώπων καὶ ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, οὐκ ΕΣΤΙΝ οἵτινες ἀπέχονται συμποσίων ἢ κρῆτες. *Cum enim multi ſint homines & Græci, & Barbari, non ſunt, qui à ſympoſiis abſtineant præter Cretes.* Quamquam poſtea neget ipſe Gretſerus, hoc Latinis ſcriptoribus licere. Sed obſtat auctoritas Propertii, qui profectò, ſi libro Scaligeri fides habenda eſt, ita ſcripſit.

v. 19. *campeſtribus armis*] Exercitationibus campi Martii. Horat. A. P.

Ludere qui neſcit, CAMPESTRIBUS abſtinet ARMIS.

Vulgati codd. habent *caſtrenſibus.*

v. 29. *in tenues umbras*] Hortos intelligit, quibus mirum in modum

Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Judicia, & venies tu quoque in ora virûm:
Cæsaris & famæ vestigia juncta tenebis.
Mœcenatis erunt vera trophæa fides.
Non ego veliferâ tumidum mare findo carinâ:
Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper prælia clade pari:
Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis arces,
Et Danaûm decimo vere redisse rates,
Mœnia cum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, pure poëta, tuis.
Hæc pueri curent, curent hæc scripta puellæ,
Meque Deum clament, & mihi sacra ferant.

OBSERVATIONES.

dum delectabatur Mœcenas. Vel tranquillam vitam, & à gerendis curulibus magistratibus alienam. Vide observ. nostras ad Eleg. 23. l. 2. v. 74. Eleg. 2. hujus libri v. 1.

v. 34. *fides*]Ita Eleg. 1. l. 2. vocat eumdem:

Et sumpta, & posita pace, FIDELE caput.

v. 36. *sub exiguo flumine*] Quia carina infima pars navis, ideò saburrâ onerata sub flumine mergitur.

v. 38. *semper prælia clade pari*] Omnes quippe duces, qui ad Thebanam expeditionem profecti fuerant, præter unicum Adrastum, deinceps occiderunt; donec Etheocle ac Polynice fratribus per mutua vulnera interfectis, Creon regno potiretur. Hinc proverbium καδμεία νίκη. *Cadmea, seu Thebana victoria.*

Te duce vel Jovis arma canam, cæloque minantē
Cæum, & Phlegræis Oromedonta jugis:
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo:
Eductosque pares silvestri ex ubere reges;
Crescet & ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar & currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutæ tela remissa fugæ:
Castraque Pelusî Romano subruta ferro,
Antonîque graves in sua fata manus.
Mollis tu cœptæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Mœcenas, laudis concedis; & à te est,
Quòd ferar in partes ipse fuisse tuas.

OBSERVATIONES.

v. 50. *mœnia firma*] Sublato videlicet consorte potestatis.

v. 52. *Crescet & ingenium*] Ausonius latius hoc explicavit, scribens ad Theodosium Augustum:

Scribere me Augustus jubet: & mea carmina poscit
Penè rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo INGENIUM; Cæsar sed JUSSIT; habebo.
Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidas vires ipse excitat, & juvat idem
Qui jubet. obsequium sufficit esse meum.

v. 58. *da mihi signa*] Petit à Mœcenate, ut se castiget, si quando lasciviæ juvenili nimis indulserit: ducit verò metaphoram ab iis, qui in Circo quadrigâ currebant, & sæpe à spectatoribus togâ jactatâ revocabantur. Ovidius Amor. 3. Eleg. 2.

Favimus ignavo. sed enim revocate Quirites,
Et DATE jactatis undique SIGNA togis.

ELEGIA VIII.

Puellam edocet, quo cultu suum ipsa natalem celebret.

MIrabar quidnam misissent manè Camœnæ
  Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti.
  Ponat & in sicco molliter unda minas.
Aspiciam nullos hodiernâ luce dolentes,
  Et Niobes lacrymas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
  Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
Tuque, ô cara, mihi felicibus edita pennis,
  Surge, & poscentes justa precare Deos.
Ac primùm purâ somnum tibi discute lymphâ,
Et

OBSERVATIONES.

ELEG.VIII. v.6. *Ponat & in sicco*] Non dubito quin à Lucretio desumpserit, cujus ex libro 5. versus hi leguntur:

Sed temerè incassum mare, fluctibu' sæpe coortis
Sævibat, leviterque MINAS PONEBAT inanes.

ponere dictum invenio activâ, & neutrâ significatione de ventis detumescentibus. Horatius Ode 3. l. 1.

—— seu rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere, seu PONERE vult freta.

Virg. 7. Æneid.

Cum venti POSUERE.

v.11. *felicibus edita pennis*] Bonis avibus, faustis ominibus. Ita Val. Flaccus 1. Argonautic. de Idmone vate:

Seu plenum certis interroget aera PENNIS.

v.12. *poscentes*] Debita petentes religionis officia.

v.13. *somnum tibi discute lympha*]

Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein quâ primùm oculos cepisti veste Propertî,
Indue, nec vacuum flore relinque caput.
Et pete, quâ polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Indè coronatas ubi thure piaveris aras,
Luxerit & totâ flamma secunda domo:
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,

OBSERVATIONES.

pla] Simili genere locutionis utitur Lucianus in Amoribus: τὸν ἐπὶ τῶν ὀμμάτων ἔτι λοιπὸν ὕπνον ἀπονιψάμενος ὕδατι λιτῷ. *postquàm residentem in oculis SOMNUM reliquum AQUA simplici abstersit.*

V. 14. *nitidas comas*] Unguento delibutas. Horat. Epist. ad Tibullum:

Me pinguem & NITIDUM bene curata cute vises.

hinc *nitida palæstra* poëtis dicitur, quòd athletæ ceromate ungerentur, ad faciliùs evadendos adversarii nexus.

V. 20. *flamma secunda*] Faustum putabant superstitiosi veteres, ubi apex ignis altissimè ferebatur. Virgil. 4. Georg. vers. 385.

Ter FLAMMA ad summum tecti subjecta reluxit,
Omine quo firmans animum sic incipit ipsa.

V. 22. *murrheus ungat onyx*] Nonne murrha diversa materia est ab onyche? cur igitur Propertius confundit? ob macularum similitudinem, puto. vel onychem pro vase usurpavit, in eo etenim lapide vascula cavabantur. Horat. Ode 12. l. 4.

Nardi parvus ONYX.

V. 23. *succumbat rauca choreis*] Exilis tibiæ sonitus obruatur penitus strepitu saltantium. Valerius Flaccus citat. lib. 1. Argonauticon:

Vox tamen Alcimedes planctus superemines omnes,
Femineis tantùm illa furens ululatibus obstat,
Obruit Idæam quantùm tuba Martia buxum.

Et sint nequitiæ libera verba tuæ.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos:
Publica vicinæ perstrepat ara viæ.
Sit sors & nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus:
Annua solvamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

ELEGIA IX.

Exemplis mulierum, quæ viris imperarint, se femineo amori mancipatum tuetur: opportunè Cleopatræ superbiam, & infelicem successum apud Actium describens.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua jura virum?

Cri-

OBSERVATIONES.

v. 24. *nequitiæ libera verba*] Fescennino sermone uti non pudeat in sacris natalitiis, ebrietas enim verborum licentiam excusabit.

v. 29. *trientibus*] Poculis. Persius 3. Sat.

—— *calidumque TRIENTEM*
Excutit è manibus ——

ELEG. IX. v. 1. *si versat femina vitam*] Amantes in rotâ Cupidinis, ut Plautinis verbis utar, misetè distrahuntur, & ab unius muliercula nutu serviliter pendent. Hinc verè atque eleganter Tibullus Eleg. 5. l. 1.

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

nec abludit Davus Horatianus Sat. 7. l. 2.

Tu mihi qui imperitas, aliis servis

Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quòd nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam meliùs præsagit navita mortem:
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præteritâ jactavi verba juventâ;
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
Egit, & armigerâ prælia sevit humo:
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Mæotis Danaûm Penthesilea rates:
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.

Om-

OBSERVATIONES.

vis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum

id est, nihil arbitratu tuo facis, at omnia libidinum imperio.

v. 3. *Criminaque ignavi capitis*] Dixerat superiùs Eleg. 12 l. 1.

Quid MIHI desidiæ non cessas FINGERE CRIMEN?

v. 5. *Venturam meliùs*] I. e. qui numquam amavit, ignorat amoris tyrannidem: veluti qui numquam ratem pelago commisit, existimat marinos fluctus rem ludicram esse, nec adeò pertimescendam · qui verò urbanis deliciis est innutritus, pugnas & prælia, tamquam somnia & aniles fabellas, audire solet. Amator contra, miles, & nauta, sua quisque pericula seriò pendunt; malo enim proprio timere didicerunt.

v. 15. *aurea cui postquam*] Achilles, postquam Penthesileam reginam Amazonum, singulari certamine secum congressam, humi semianimem fudisset, galeæ vinculis dissolutis, morientis vultum aspiciens, & feminæ pulchritudine captus, doluit eam interfecisse; ob id à Thersite Græcorum ignavissimo convitiis lacessitus. vide Quinti Calabri Paralipomenon ad Iliada Homeri lib. 1.

v. 20.

Omphale in tantum formæ processit honorem,
  Lydia Gygæo tincta puella lacu:
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam durâ traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in adversum misit per mœnia currus,
  Ne possent tacto stringere ab axe latus:
Duxit & Euphratē mediū, quà condidit arces,
  Jussit & imperio surgere Bactra caput.
Nā quid ego heroas, quid raptē in crimina Divos?
  Jupiter infamat seque, suamque domum.
Quid? modò quæ nostris opprobria vexerit armis,
  Et famulos inter femina trita suos,
Conjugis obscœni pretium Romana poposcit
  Mœnia, & addictos in sua regna patres.

No-

OBSERVATIONES.

v.20. *dura manu*] Bellè Ovidius in epistolâ Deianiræ:

Ah quoties digitis dum torques stamina DURIS,
Prævalidæ fusos comminuere MANUS!

Pedo Albinovanus in obitum Mœcen.

Te propter multos percussis LYDIA nodos:
Te propter DURA stamina rupta MANU.

v.25. *Duxit & Euphratem*] Propriè dictum de flumine. hinc *aquæductus*.

v.30. *trita*] *Tero* verbum extremæ nequitiæ, cujus exempla pete ex Martiali, nam hujusmodi locis nimiùm inhærere, pudoris nostri non est.

v. 31. *Romana poposcit mœnia*] Rumor erat inter Augusti milites, M. Antonium, si ei Actiaca pugna prosperè cessisset, Cleopatræ Romam dono daturum, & majestatem Imperii in Ægyptum translaturum fuisse. Adeundus Dio Cassiu lib. 50.

Noxia Alexandrina dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegræo meliùs tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine inusta nota,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas:
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi:
Fœdaque Tarpeio conopea tendere saxo,

Jura

OBSERVATIONES.

v. 37. *issent funera*] Ducebatur enim funus potentium virorum longâ pompâ, majorum imaginibus ordine præcedentibus.

v. 41. *Ausa Jovi nostro*] Imitatus est Virgilium, qui 8. Æneidos ita Cleopatræ dementiam, atque Ægyptias religiônes irridet:

Omnigenumque Deum monstra, &
LATRATOR ANUBIS
Contra Neptunum, & Venerem, contraque Minervam
Tela tenent ———

v. 43. *crepitanti sistro*] Virgilius ibid. paulò ante:

Regina in mediis patrio vocat agmina SISTRO.

v. 44. *rostra Liburna*] Nâves Augusti Liburnicas, mediocri magnitudine, agiles, & ad invadendum hostem expeditas, numero *quadringentas*, ut scimus ex Floro l. 4. c. 11. Horatius Epod. 1. Mæcenatem ad hoc prælium abeuntem sic affatur:

Ibis LIBURNIS inter alta navium,
Amice, propugnacula.

Et Ode 37. l. 1. de Cleopatra, quæ mortem sibi conscivit, ne in triumphum duceretur:

Sævis LIBURNIS scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

v. 46.

Jura dare ſtatuas inter & arma Marî.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat eſſe ſecures,
Nomine quem ſimili vita ſuperba vocat,
Si mulier patienda fuit? cape Roma triumphum,
Et longam Auguſto ſalva precare diem.
Fugiſti tamen in timidi vaga flumina Nili :
Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris,
Et trahere occultum membra ſoporis iter.
Non hæc, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Di-

OBSERVATIONES.

v.46. *ſtatuas inter & arma*] Optimè Rycquius hæc interpretatur de trophæis, quæ ſimulacrum armati hominis repræſentabant.

v.50. *longam Auguſto diem*] Hæc pertinet acclamatio populi ad principem: *De noſtris annis tibi Jupiter augeat annos*. Flavius Vopiſcus in Tacito: *Acclamatum eſt à populo, Feliciſſimè. Tacite Auguſte, Dii te ſervent, & reliqua, quæ dici ſolent ex more*.

v.53 *Brachia ſpectavi*] Cave intelligas Cleopatram ipſam, *cui* Auguſtus *etiam pſyllos admovit, qui venenum ac virus exſugerent: quod periiſſe morſu aſpidis putabatur*; idque ut intactam triumpho ſervaret, auctore Svetonio. Sed omnia fruſtra, etenim illa, vi veneni prævalente, moriens ignominiam evaſit. Intellige igitur ſimulacrum.

Ibid. *ſacris colubris*] Aſpidibus, quas Ægyptii colebant, crepituque digitorum ad eſcam ex cavis vocabant, ut poſtea cicures factæ cum pueris innoxiè verſarentur. Vide Ælianum l. 17. de animalibus c. 5. Iſidem Ægyptiorum Deã ob hoc Valerius Flaccus aſpide coronatam deſcribit 4. Argonautic. v. 416.

—— hæc procul Io.
Spectat ab arce Phari, jam Divis addita, jamque
ASPIDE cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

v.54. *ſoporis*] Torporis ex veneni frigore naſcentis. Florus citatus, ubi Cleopatræ mortem deſcribit: *admotiſque ad venas ſerpentibus, quaſi SOMNO ſoluta.*

v.56.

Dixit & assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Annibalis spolia, & victi monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
At Decius misso prælia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Et cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc Dii condiderunt, hæc Dii quoque mœnia servant:
Vix timeat salvo Cæsare Roma Jovem.
Nunc ubi Scipiadæ classes? ubi signa Camilli?
Aut modò Pompeî Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu sive petes portus, seu navita linques,
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 56. *assiduo lingua sepulta mero*] M. Antonius, qui comessator, & vinolentus fuisse traditur. Cæterùm phrasis optimis auctoribus in usu est. vide Virgilium 2. Æneidos ad illud :

Invadunt urbem somno, VINOque sepultam ;

Et ibi Ludovicum de La Cerda.

ELEG.

ELEGIA X.

Militantem Posthumum duritiæ crimine accusat, quòd Gallam uxorem, castitate Penelopen ipsam provocantem, relinquere potuisset.

POsthume plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Gallâ multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen injectâ tectus vesane lacernâ
Potabis galeâ fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea famâ tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi:
Neve tuâ Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo:
Neve aliquid de te flendum referatur in urnâ:
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in castâ felix, ô Posthume, Gallâ!
Moribus his aliâ conjuge dignus eras.

Quid

OBSERVATIONES.

ELEG. X. v. 12. *aurato equo*] Malè Douza Filius reponit *ærato*, vanamque rationem affert, quòd scilicet equi cataphractorum ferreis laminis vestirentur; nihil enim prohibet, ferrea illa integumenta exteriùs deaurata fuisse, præcipuè apud Persas elegantiæ studiosissimos. Sed jam admonui, mutandi libidinem eò pervenisse, ut jam ultra progredi non possit.

v. 18.

Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum ſit luxuriæ Roma magiſtra tuæ?
Sed ſecurus eas; Gallam non munera vincent,
Duritiæque tuæ non erit illa memor.
Nam quocumque die ſanum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Poſthumus alter erit mirandâ conjuge Ulyſſes.
Non illi longæ tot nocuere moræ:
Caſtra decem annorum, & Ciconum mons, Iſmara, Calpe,
Exuſtæque tuæ mox, Polypheme, genæ:
Et Circæ fraudes, lotoſque, herbæque tenaces,
Scyllaque, & alternas ſciſſa Charybdis aquas:
Lampeties Ithacis verubus mugiſſe juvencos:
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææ flentis fugiſſe puellæ,
Totque hiemis noctes, totque nataſſe dies:
Nigranteſque domos animarum intraſſe ſilentum,
Sirenum ſurdo remige adiſſe lacus:

Et

OBSERVATIONES.

v. 18. *Cum ſit luxuriæ Roma magiſtra tuæ*] Non eſt, cur Joſephus Scaliger dubitet de ſanitate hujus loci; ſententia enim clariſſima eſt. *Cum Roma urbs nequitiarum exempla ſuppeditet puellæ tuæ.* τὸ *tuæ* ita intelligendum eſt, ut illud Horatii Ode 15. l. 1.

Non hoc pollicitus TUÆ.

Sed iſta Propertio familiariſſima ſunt, nec viris doctiſſimis negotium creare deberent.

v. 23. *alter Ulyſſes*] Maximianus Etruſcus, quem Cornelium Gallum plurimi exiſtimavere, ita in quadam Elegiâ:

Efficior demens ALTER ULYSSES ego.

ELEG.

Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

ELEGIA XI.

Comparat puellarum sui temporis avaritiam, luxum, & levitatem, cum Indarum nuptarum fide, veterumque amantium simplicitate: auri cupidinem multis exitio fuisse, ipsique Romæ fore, testatur.

QUæritis unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certa quidem tantis causa, & manifesta ruinis:
Luxuriæ nimiùm libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,

Et

OBSERVATIONES.

ELEG. XI. v. 5. *Inda formica*] Hujus historiam, sive fabulam, tradit Plinius Hist. Nat. l. 11. c. 31. cujus verba, quia necessaria videntur ad Propertium intelligendum, visum est subjicere: *INDICÆ FORMICÆ cornua, Erythris in æde Herculis fixa, miraculo fuere. AURUM ex cavernis egerunt terræ, in regione Septemtrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. Ipsis color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab iis tempore hiberno, Indi furantur æstivo fervore conditis propter vaporem in cuniculos formicis: quæ tamen odore solicitatæ provolant, crebroque lacerant, quamvis prævelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas, feritasque est cum amore auri.* Quòd autem ait Plinius, cornua formicæ Indicæ fixa in Herculis templo, arbitror factum, quòd Hercules inopinatis lucris, & reclusis thesauris præesse crederetur. Horat. Sat. 6. l. 2.

O si urnam argenti fors quæ mihi

mon-

Et venit è rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæque terunt fastus Icarioti tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi.
Aut, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.

Fe-

OBSERVATIONES.

monstret, ut illi,
Thesauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
HERCULE ——
à quo Persius perpetuus ejus imitator, Sat. 2.
—— *o si*
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
HERCULE! ——
cui tamen sententiæ adversatur Phædrus fab. 11. l. 4 quem lege.

Ibid. *cavis metallis*] Cava metalla pro fodinis auri usurpavit, quo pacto Virgilius 10. Æneid. vers. 174. dixit:
Insula inexhaustis chalybum generosa METALLIS.
& Lucanus 4. Pharsaliæ vers. 304. de lapicidinis:
Tunc exhausta super multo sudore juventus.
Extrahitur, duris silicum lassata METALLIS.

v. 6. *concha Erycina*] Quia Venus culta in Eryce Siciliæ monte dicitur è conchâ prodiisse. nihil vulgatius.

v. 8. *cinnamon*] De cinnamo lege Plinium l. 12. c. 19. hoc autem in deliciis habebant sumptuosæ mulieres, uti apparet ex Petronio, qui alicubi *Rosa CINNAMUM veretur.* id est, præ cinnamo vilescit. Vetus poëta in Catalectis: *Sinus expansa profert CINNAMA.*

v. 11. *census induta nepotum*] Mirum est, quod scribit Plinius de luxu Romanorum sui temporis in ornandis fœminis l. 12. cit. c. 18. *Verùm Arabiæ etiamnum felicius mare est: ex illo namque margaritas mittit. Minimaque computatione millies centena millia sestertium annis omnibus India, & Seres, peninsulaque illa imperio nostro adimunt.*

Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis:
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
Conjugium. pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices. & flammæ pectora præbent,
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hìc genus infidum nuptarum, hìc nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis, & arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia virgineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumæ versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oscula silvicolis empta dedere viris.

Hi-

OBSERVATIONES.

munt. Tantò nobis deliciæ, & feminæ constant. Quæ summa penè incredibilis videtur.

v. 15. *una*] Singularis, quæ apud reliquas gentes in usu non est.

v. 27. *pompa*] Munerum pompam intelligit, de quâ Tibullus apertè Eleg. 1. l. 3.

Et vaga nunc certa discurrunt undique POMPA
Perque vias urbis munera, perque domos.

v. 30. *lilia lucida*] Rore nocturno madentia.

v. 32. *variam avem*] Fortassè picam garrulam. Petronius Sat. *Pi-*

ca

Hinulei pellis totos operibat amantes,
  Altaque nativo creverat herba toro.
Pinus & incumbens latas circumdabat umbras,
  Nec fuerat nudas pœna videre Deas.
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves.
Diiq; Deæque omnes, quibus est tutela per agros,
  Præbebant versis verba secunda focis:
Et leporem quicumque venis venaberis hospes,
  Et si fortè meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
  Sive petas calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
  AURUM omnes victâ jam pietate colunt.
AUREA nunc verè sunt sæcula; plurimus auro
  Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
  Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice duras
  Gallica Parnassi sparsit in arma nives.

Te

OBSERVATIONES.

ca VARIA intrantes salutabat.

v. 43. *Et leporem*] μιμητῶς Panos, rusticum hominem alloquentis.

v. 48. *aurum colunt*] D. Paulus Epist. ad Colossenses c. 3. vocat avaritiam *simulacrorum servitutem*.

v. 63.

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non Polydore pio.
Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraüs equis.
Proloquar, atque utinam patriæ sim verus aruspex!
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti.
Experta est veros irrita lingua Deos.

ELEGIA XII.

Laudat morem Lacænarum virginum, Gymnasticen simul cum viris publicè exercentium, idque Romæ pariter non licere conqueritur.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quòd non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros:

Cum

OBSERVATIONES.

v. 63. *neque enim Ilia*] Vide adagium, *serò sapiunt Phryges.*

ELEG. XII. v. 4. *Inter luctantes*] Turpem hunc morem cur in civitatem suam intulerint Lacedæmonii, explicat Cicero 2. Tusculanâ: *Itaque illi, qui Græciæ formam Rerumpublicarum dederint, corpora ju-*

Cum pila veloci fallit per brachia jactu,
Increpat & versi clavis adunca trochi:
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat:
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Vir-

OBSERVATIONES.

juvenum firmari labore voluerunt; quod SPARTIATÆ etiam in feminas transiderunt: quæ cæteris in urbibus, mollissimo cultu, parietum umbris occuluntur. illi autem voluerunt nihil horum simile esse apud LACÆNAS VIRGINES: quibus magis PALÆSTRA, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia in studio est, quàm fertilitas barbara. Hoc verò magis mirere, si cogites quantâ religione, apud reliquos Græcorum, feminæ domi servarentur: non enim virorum conviviis interveniebant, & in ædium parte intimâ sedebant, quò neminem accedere fas erat, nisi arctissimâ cognatione conjunctum. Idcircò Thais Terentiana Thrasoni Pamphilam virginem ad mensam deposcenti vehementer abnuit: *minimè gentium. in convivium illam?* vide Corn. Nepotem in præfatione vitarum.

v.5. *Cum pila*] Hæc duo lusuum genera copulavit pariter Ovidius Tristium l. 3. Eleg. 12.

Nunc PILA, nunc celeri vertitur orbe TROCHUS.

v.10. *Missile nunc disci*] Lege Ovidium 10. Metamorph. fab. Hyacinthi.

v.8. *pancratio*] Qui sint pancratiastæ, docemur ab Aristotele Rhetor. l. 1. c. 5. his verbis: Ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως καὶ κινεῖν ταχὺ, καὶ πόῤῥω, δρομικός. ὁ δὲ θλίβειν καὶ κατέχειν, παλαιστικός. ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πληκτικός. ὁ δ' ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός. *Nam qui potest crura projicere quodammodò, & movere velociter & longè, cursor est. Qui verò stringere & tenere, luctator. At qui pellere plaga, pugil. Qui autem utrisque his, PANCRATIASTICUS.* Igitur pancratium ex luctâ, & pugilatu mistum erat, magnasque corporis vires requirebat. Ejus auctor Clitomachus quidam, Olympiade CXLII. ut refert Pausanias in Eliacis posterioribus.

v. 11. *Gyrum*] Intelligo ἱππόδρο-

Virgineumque cavo protegit ære caput.
Et modò Taygeti crines aspersa pruinâ,
Sectatur patrios per juga longa canes.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodoonteis turba lavatur aquis.
Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse Deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suæ.
Nec timor, aut ulla est clausæ tutela puellæ,
Nec gravis austeri pœna cavenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis: longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt,

Est

OBSERVATIONES.

Σταδιον, sive Circum.

v. 12. *protegit ære caput*] Veluti pugnæ præludens. Non omittendus locus Platonis l.7. de Legibus, unicè huc pertinens: *Pueros verò*, inquit, *antequàm prodire in bellum possint, armis equisque oportet in Deorum pompis ornatos, modò tardiores, modò velociores in chorea, & itinere, ad Deos, Deorumque filios supplicationes fundere. Ludi porrò, atque præludia, si rerum aliquarum gratia, nullarum certè nisi harum sunt adhibenda. &c.*

v. 14. *patrios canes*] Inter canes venaticos laudatissimi olim Spartani. His Virgilius in Georgicis *velocitatem* præcipuè tribuit: Seneca in Hippolyto prædæ *aviditatem*. V. utrumque.

v.25. *Nullo præmisso*] Absque puero salutigerulo, vel ancillâ, cui des litteras ad puellam ferendas.

v.26. *longæ nulla repulsa moræ*] Licet sermonem longiùs producere, nemine impediente.

v.27. *Tyriæ vestes*] Mendas cor-

 po-

Eſt neque adoratæ cura moleſta domi.
At noſtra ingenti vadit circumdata turbâ,
Nec digitum anguſtâ eſt inſeruiſſe viâ.
Nec quæ ſint facies, nec quæ ſint verba rogandi
Invenias. cæcum verſat amator iter.
Quòd ſi jura fores, pugnaſque imitata Laconum,
Carior hoc eſſes tu mihi, Roma, bono.

ELEGIA XIII.

Monet amicam zelotypam, ut Lycinnam famulam torquere deſinat, propoſito exemplo Dirces, quæ vexata Antiopes pœnam à tauro diſcerpta Jovi perſolvit.

SIc ego non ullos jam norim in amore tumultus,
Nec veniat ſine te nox vigilanda mihi:
Ut mihi prætextæ pudor exvelatus amictu,
Et data libertas noſcere amoris iter,

Illa

OBSERVATIONES.

poris abſcondere ſolet amictus ornatior. Plurima in hanc ſententiam dabit Horatius Sat. 2. l. 1. Ovidius de Remed. Amoris.

v. 28. *adoratæ*] Veluti occultum ſacrum ſuſpiciendæ. Utitur hoc verbo Arbiter ex perſona Polyæni ad Circen: *Invenies religioſum, ſi te ADORARI permiſeris.*

ELEG. XIII. v. 4. *noſcere amoris iter.*] Puto Propertium reſpexiſſe ad Herculis bivium, quod per Pythagoræ litteram veteres philoſophi ſignificabant. Similis eſt omnino locus Perſii Sat. 5.

Cum primùm pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit:
Cum blandi comites, totaque impune Suburra
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus

Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multò minus est cum ducitur annus,
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine sæva
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros traxit regina capillos,
Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in durâ ponere jussit humo!
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris;
Vilem jejunæ sæpe negavit aquam.
Jupiter Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.

Si

OBSERVATIONES.

dictus umbo:
Cumque ITER ambiguum est, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

antequàm etenim prætextam exuerent ingenui pueri, custodiæ pædagogi subjecti erant.

v.6. *nullis capta Lycinna datis*] Quæ sui scilicet copiam gratis faciebat.

v.9. *sepelivit*] Animo depulit, oblivioni mandavit. Ita loquitur Plautus Cistel. Act.1. Sc.1.

Indidem unde oritur, facito, ut facias stultitiam SEPELIBILEM.

& Mostel. Act.5. Sc.2.

Ubi somnum SEPELIVI omnem atque edormivi crapulam.

v.15. *pensis oneravit iniquis*] Vide quæ observamus ad Eleg. 7. l.4. vers. 37.

v.18. *vilem aquam*] Ubique prostantem ad usum communem omnium animantium. Hinc acerba illa conquestio Latonæ apud Ovidium 6. Metamorph. cui à partu si-

Si Deus es, tibi turpe tuam fervire puellam.
  Invocet Antiope quem nisi vincta Jovem?
Sola tamen, quæcumque aderant in corpore vires,
  Regales manicas rupit utrâque manu.
Indè Cithæronis timido pede currit in arces.
  Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis,
  Credebat dominæ ponè venire pedes.
Et durum Zethum, & lacrymis Amphiona mollem
  Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cum ponunt æquora motus,
  Eurus in adversos desinit ire Notos,
Litore si tacito sonitus rarescit arenæ:
  Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamen pietas, natis est cognitus error.
  Digne Jovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vin-

OBSERVATIONES.

sitienti, haustum paludis crudeles rustici negaverant:

Quid prohibetis AQUAS? usus
communis aquarum est.
Nec Solem proprium natura, nec
aera fecit,
Nec tenues undas: ad publica mu-
nera veni.

Horatius quoque paupertatem cujusdam oppidi describens, ait:

—— *venit VILISSIMA rerum*
Hic AQUA ——

V.26. *cubile*] Solum terræ. Cicero Tuscul. 5. *Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictus est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, CUBILE terra, pulpamentum fames &c.*

V.36. *Digne Jovis natos q. t. s.*] Convertit sermonem ad bubulcum, qui Zethum, & Amphiona, materni avi jussu expositos, nutrierat, & educaverat. Ita Scaliger. v. Indicem V. *Antiope.*

ELEG.

Vinxerunt Dircen ſub trucis ora bovis.
Antiope cognoſce Jovem; tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
Pæana Amphîon rupe, Aracynthe, tuâ.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Neſcit veſtra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures.
Te ſolam & lignis funeris uſtus amem.

Elegia XIV.

Tibur, quò amica vocaverat, noctu iturus, ait amantes ab inſidiis tutos eſſe: cæterùm mortis periculo funeris honorem opponit; ubi ſepeliri velit, ſignificans.

Nox media, & dominæ mihi venit epiſtola noſtræ:
Tibure me miſsâ juſſit adeſſe morâ,
Candida quà geminas oſtendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At ſi hæc diſtulero noſtro mandata timore,
Nocturno fletus ſævior hoſte mihi.
Peccarim ſemel, & totum ſum pulſus in annum;
In me manſuetas non habet illa manus.

Nec tamen est quisquā, sacros qui lædat amantes:
Scyronis mediâ sic licet ire viâ.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeò ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,
Ipse Amor accensas percutit ante faces.
Sæva canum rabies morsus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quòd si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Dii

OBSERVATIONES.

ELEG. XIV. v. 11. *sacros qui lædat amantes*] Imitatur Tibullum, qui Eleg. 2. l. 1. circa idem argumentum versatus, ita cecinit:

Quisquis AMORE tenetur, eat tutusque SACERQUE
Qualibet ——

v. 19. *Sanguine tam parvo*] Cæde ignavi hominis, quales plerumque Veneris pulli solent esse. Aper ille generosus apud Phædrum fab. 29. l. 1. in asellum convitiantem:

—— *facilis vindicta est mihi,*
Sed inquinari nolo ignavo SANGUINE.

nisi potiùs explicemus de venis amantium exsuccis, in quibus vix aliquot sanguinis guttæ reliquæ sint. Hinc nequiter Plautus Curcul. Act. 1. Sc. 2.

—— *mittite isthanc foras,*
Quæ mihi misero AMANTI ebibit SANGUINEM.

Hirudines enim sunt meretrices, *neque cutem missuræ, nisi plenæ cruoris.* Quò respexit Juvenalis 1. Sat. ubi de illis, qui vetularum testamenta officiosis noctibus merebantur:

Accipiat sanè mercedem SANGUINIS ——

& Chrysis Petroniana: *numquam finies hunc ignem, nisi SANGUINE extinxeris.* Adde Propertium

ip-

Dii faciant, mea ne terrâ locet ossa frequenti,
Quà facit assiduo tramite vulgus iter!
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arboreâ devia terra comâ,
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ.
Non juvat in mediâ nomen habere viâ.

ELEGIA XVI.

Ad morbum amoris tollendum, Bacchi opem implorat; cui vinetum, & carmen de gestis ejus vovet.

NUnc, ô Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
Da mihi pacato vela secunda pater.

Tu

OBSERVATIONES.

ipsum, qui videtur non absimiliter locutus Eleg. 9. l. 2.

Assiduusque meo SANGUINE bella gerit.

Ex quibus omnibus colligimus, turpe futurum grassatori nocturno, si amantem occiderit, qui vix cultrum lateri infixū tingere potis est. In hanc porrò sententiam eleganter Martialis Epig. 23. l. 1.

Quid nunc sæva fugis placidi lepus ora leonis?
Frangere TAM PARVAS non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui SANGUINE tanta sitis.

V. 23. *Afferet huc unguenta*] Non tantùm in funeribus aromata incendebant veteres, sed etiam tumulos pretiosis liquoribus interdum ungebant, quod planum fit ex Prudentio, Hymno in exequiis defunctorum:

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti;
Titulumque, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Hoc ante me animadvertit nuperus interpres Albinovani Theodorus Gorallus, quem honoris causâ nomino, ad ejus Eleg. de morte Mæcenatis.

V. 25. *locet*] Hinc *loculi*, seu *sandapilæ*.

ELEG.

Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes:
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animũ vexat utroque modo.
Quòd si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ, me vigilante, feræ.
Dum-

OBSERVATIONES.

ELEG. XV. v. 14. *Arcessitus erit somnus*] Græci ex lege convivii tria pocula siccabant: primum vocabant sanitatis, alterum amoris, postremum somni, uti apparet ex sequentibus Eubuli versiculis:

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὖ φρονοῦσι, τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι, τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος ἡδονῆς τε, τὸν τρίτον δ' ὕπνου.
Ὃν οἱ πιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσιν ——

Nam terna tantùm temperari pocula
Catis jubebo: Sanitatis gratia
Primum hauriatur, alterum oblectaminis,
Et Amoris ergò; deinde SOMNI tertium.
Ubi istud ebibere, queis pectus sapit,
Domum redibunt ——

v. 16. *Quos carpant nullæ*] Vites novellæ morsibus belluarum obnoxiæ sunt. Id liquet ex præcepto Virgilii Georgic. 2. v. 371.

Texendæ sepes etiam, & pecus omne tenendum est;
Præcipuè dum frons tenera, imprudensque laborum:
Cui super indignas hiemes, So-
lem-

Dummodò purpureo ſpument mihi dolia muſto,
Et nova preſſantes inquinet uva pedes.
Quod ſupereſt vitæ, per te, & tua cornua vivam,
Virtutiſque tuæ, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus:
Indica Nyſæis arma fugata choris:
Veſanumque novâ nequidquã in vite Lycurgũ:
Pentheos in triplices funera grata greges:
Curvaq; Tyrrhenos delphinũ corpora nautas
In vada pampineâ deſiluiſſe rate.
Et tibi per mediam benevolenti flumine Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum,
Can-

OBSERVATIONES.

lemque potentem,
Silveſtres uri aſſiduè, capreæque ſequaces
Illudunt: paſcuntur oves, avidæque juvencæ.
Frigora nec tantùm cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas,
Quantùm illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob cauſam Baccho caper omnibus aris
Cæditur ——

v. 19. *tua cornua*] Bacchus pingebatur cornutus, quin & ebrij ſumere cornua dicebantur, id eſt curarum omnium & dolorum obliviſci, novâ quaſi felicitatis imagine tumentes. Horatius Ode 21. l. 3. ad amphoram vini:

Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque; & addis CORNUA pauperi.

Ovidius pariter in Artibus:

Tunc veniunt riſus, tunc pauper CORNUA ſumit:
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.

v. 27. *bene olenti flumine*] Prodigioſo meri torrente inſignem. Cæterùm odor vini gratiſſimus naribus tricongiorum, & anicularum delirantium. Plautus Curcul. Act. 1. Sc. 2. inducit hujuſmodi vetulam bibaciſſimam ita geſtientem:

Flos

Candida laxatis onerato colla corymbis,
   Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Lævis odorato cervix manabit olivo,
   Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ:
   Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta Dea magna Cybelle
   Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
   Libatum fundens in tua sacra merum.
Hæc ego non humili referá memoranda cothurnò,

Qua-

OBSERVATIONES.

Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi ubi est, prope me est. evax habeo. Salve anime mi,
Liberi lepos. ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentum ODOR præ tuo nautea est.

Cui adjunge Phædrum fab. 1. l. 3.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce, & testa nobili
ODOREM quæ jucundum latè spargeret:
Hanc postquam totis avida traxit naribus &c.

Quæ autem vinorum genera minùs magisve odorata sint, docet Plinius l. 14. c. 9.

v. 29. *laxatis corymbis*] A capitis vertice in cervicem defluentibus, quod signum ebrietatis ultimæ. Dio Chrysostomus Orat. 4. στεφάνοις τισὶν ἐστεφανωμένος ἑώλοις τήν τε κεφαλὴν καὶ περὶ τῷ τραχήλῳ. *Coronis quibusdam marcidis coronatus caput circa COLLUM.* Nec abludit Tibullus Eleg. 8. l. 1. ubi de Genio:

Et capite, & COLLO mollia serta gerat.

v. 30. *Bassaricas comas*] v. Indicem.

v. 32. *veste fluente*] Pallam intelligit, quæ Deorum propria vestis. Tib. citat. Eleg. 4. l. 3. Apollinem describens:

Ima videbatur talis illudere palla.

ELEG.

Qualis Pindarico ſpiritus ore tonat.
Tu modò ſervitio vacuum me ſiſte ſuperbo,
Atque hoc ſollicitum vince ſopore caput.

ELEGIA XVI.

Adoleſcentis Marcelli mortem deflet, quem, contra receptam opinionem, ait in aquis Baianis ſubmerſum: deinde neminem ſupremæ neceſſitatis immunem canit.

PLauſus ab umbroſo quà ludit Pontus Averno,
Fumida Bajarum ſtagna tepentis aquæ:
Quâ jacet & Trojæ tubicen Miſenus arenâ,
Et ſonat Herculeo ſtructa labore via:
Hìc ubi mortales dextrâ cum quæreret urbes,
Cym-

OBSERVATIONES.

ELEG. XVI. v. 5. *mortales urbes*] Elegantiſſimum Epitheton, quod inconſtantiam, brevitatemque rerum humanarum ob oculos ponit. Neceſſe eſt enim non tantùm urbium conditores perire, ſed & urbes ipſas: longiſſimo tempore ſenſim omnia devorante. Aud. Servium Sulpitium Epiſt. Conſolatoriâ ad Ciceronem, de morte Tulliolæ conquerentem: *Ex Aſia rediens, cum ab Ægina Megaram versùs navigarem, cæpi regiones circumcirca proſpicere. Poſt me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræeus, ſiniſtra Corinthus; quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata, & diruta ante oculos jacent. cæpi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi Indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant.* Hinc pùto Sannazarium traxiſſe, quæ cecinit Eleg. 9. l. 2. de ruinis Cumarum:

Et querimur, citò ſi noſtræ data tempora vitæ
Diffugiunt? URBES MORS violenta rapit.

Noviſſimè verò Torquatus Taſſus
ab-

Cymbala Thebano concrepuere Deo :
At nunc invisæ magno cum crimine Bajæ,
Quis Deus in vestrâ constitit hostis aquâ?
His pressus Stygias vultum demisit in undas,
Errat & in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modò tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,

Stan-

OBSERVATIONES.

ab utroque (c.15.)

Giace l'alta Cartago, e appena i segni
Dell'alte sue ruine il lido serba.
MUOJONO le Città, MUOJONO i Regni,
Copre i fasti, e le pompe arena, ed erba:
E l'uom d'esser mortal par che si sdegni;
O nostra mente cupida, e superba!

Ibid. *dextra cum quæreret*] Armorum vi reciperet in potestatem. Usus est hac locutione Silius Italicus l.2. in excidio Saguntino:

In media stetit urbe rogus: portantque, trahuntque
Longas pacis opes, QUÆSITAQUE præmia DEXTRIS.

v.9. *vultum demisit*] Italicè dicentes: *cadde boccone.*

v.11. *virtus*] De virtute adolescentis Marcelli vide Plutarchum, Corn. Tacitum l. 1. Annalium, Svetonium in Augusto c. 63. Velleium l.2. Senecam in Consolatione ad Marciam, Dionem Cassium l. 53. Virgilium in calce l.6. Æneidos, & ibi Servium.

v.12. *amplexum Cæsaris esse focos*] Insertum fuisse per adoptionem Augustæ familiæ: Adoptabantur autem liberi ante Lares domesticos.

v. 14. *per maternas manus*] Gratiâ Octaviæ matris, Cæsaris sororis.

v.18.

Stantiaque in plausum tota theatra juvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære,
Mors tamen inclusum protrahit indè caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.

[Hic

OBSERVATIONES.

v. 18. *Stantiaque in plausum*] Ingredientibus theatrum viris principibus, optimeque de Republicâ meritis, populus universus assurgebat, stansque manuum crepitu plaudebat. Quam honoris significationem sibi uni vindicare voluit Augustus, ut refert Svetonius in ejus vitâ c. 56. his verbis: *nepotibus suis prætextatis adhuc assurrectum ab universis in THEATRO, & à STANTIBUS PLAUSUM, gravissimè questus est*. Inter quos nepotes verisimile videtur & Marcellum fuisse.

v. 21. *primus & ultimus ordo*] Senatus, Eques, Plebs, in quos ordines populus Romanus distributus.

v. 23. *Exoranda canis*] Finxerunt enim poëtæ, Cerberum Inferorum excubitorem, advenientes umbras dentibus appetere. Noster Eleg. 11 l. 4.

Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras.

idcircò ejus iras mitigavit Æneas objectâ offâ.

v. 24. *publica cymba*] Vulgaris, in quam omnes temerè confluunt, nullo dignitatis discrimine. Eodem pacto vocat l. 4. meretricem publicam:

Quæ modò per viles inspecta est PUBLICA noctes.

& Juvenalis pariter Sat. 7. *vatem egregium* dicit, *cui non sit PUBLICA vena*.

v. 26. *protrahit indè caput*] Simili lepore jocatur Martialis in senem lascivum, tinctâ comâ canitiem dissimulantem, Epig. 43. l. 3.

Non

[Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
  Atridæ magno cum ſtetit alter amor]
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
  Huc animæ portent corpus inane tuæ:
Quà Siculæ victor telluris Claudius, & quà
  Cæſar ab humanâ ceſſit in aſtra viâ.

ELE-

OBSERVATIONES.

Non omnes fallis. ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam CAPITI detrahet illa tuo.

v. 29. *Hic olim ignaros*] Bene admonuit Scaliger, diſtichon iſtud eſſe alterius loci, & fortaſſe reponendum Eleg. 7. l. 2 ubi ſermo eſt de Achille Græcis irato, ob raptum Briſeidos.

v. 31. *pias hominum q. t. u.*] Id eſt, piorum hominum.

v. 32. *animæ tuæ*] Venti, quorum adminiculo cymba Charontis ferebatur. Notum hoc ex Virgilio l. 6. Æneid. verſ. 302.

Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat.

& ex noſtro, qui ſupra l. 2. Charontis rati vela tribuit:

Jam licet & Stygia ſedeat ſub arundine remex,
Cernat & infernæ triſtia vela ratis.

& rurſus:

Una ratis fati noſtros portabit amores
Cærula ad infernos veliſicata lacus.

Animas autem ventos vocari, non eſt novum. Accius vetus Tragicus apud Nonium, in Myrmidonibus: *Claſſes trahere in ſalum, & vela ventorum ANIMÆ immittere.* Lucretius l. 5. *Aurarumque leves ANIMÆ.* Virgilius Eclogâ 6. *Semina terrarumque, ANIMÆque, mariſque.* Idem 8. Æneid. *Quantum ignes, ANIMÆque valent.* Horatius Ode 12. l. 4. *Impellunt ANIMÆ lintea Thraciæ.*

ELEG.

ELEGIA XVII.

Virorum libidinem longè à muliebri superari, veterum historiarum exemplis testatur.

OBjicitur toties à te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat illa magis.
Vos ubi contempti rupistis fræna pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citiùs sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput:
Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo:
Quàm possit vestros quisquã reprehendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Testis Cretæi fastus quæ passa juvenci,
Induit abiegnæ cornua falsa bovis.
Testis Thessalico flagrans Salmônis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit patriâ succensa senectâ,
Arboris in frondes condita Myrrha novæ.

Nam

OBSERVATIONES.

ELEG. XVII. v. 4. *captæ mentis*] Hinc nos Itali hominem insanum dicimus: *mentecatto*.

v. 10. *stimulos*] Urticas vocat Juvenalis Sat. 11.

Irritamentum Veneris languentis,
& acres
Divitis urticæ ——

v. 11. *Testis Cretæi*] Fabulam istam, totumque argumentum latiùs tractat Ovidius l. 1. de Arte Amandi.

Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
  Iram natorum cæde piavit amor?
Quidve Clytæmnestræ, propter quã tota Mycenis
  Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque ô Minoâ venumdata Scylla figurâ,
  Tondens purpureâ regna paterna comâ.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti.
  Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos innuptæ feliciùs urite tædas;
  Pendet Cretæâ tracta puella rate.
Non tamen immeritò Minos sedet arbiter Orci:
  Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

ELEGIA XVIII.

Puellam ab amante relictam comiter ad se invitat, novique amoris mutua fœdera, & sanctiones proponit.

Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
  Vidisti à lecto quem dare vela tuo?
Durus qui lucro potuit mutare puellam.
  Tantisne in lacrymis Africa tota fuit?
At tu stulta Deos, tu fingis inania verba:
  Forsitan ille alio pectus amore terit.

Est

OBSERVATIONES.

ELEG. XVIII. v. 5. *At tu stulta Deos*] Confidis juramentis, quæ nullius omnino ponderis futura sunt.

v. 16

Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
  Splendidaque à docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modò sit tibi fidus amicus.
  Fidus ero; in nostros curre puella toros.
Nox mihi prima venit; primæ data tempora noctis
  Longiùs in primo Luna morare toro.
Tu quoque, qui æstivos spatiosiùs exigis ignes,
  Phœbe moraturæ contrahe lucis iter.
Fœdera sunt ponenda priùs, signandaque jura,
  Et scribenda mihi lex in amore novo,
Quàm multæ ante meis cedant sermonibus horæ;
  Dulcia quàm nobis concitet arma Venus.
Hæc Amor ipse suo constringit pignora signo.
  Testis sidereæ torta corona Deæ.
Namque ubi non certo vincitur fœdere lectus,
  Non habet ultores nox vigilanda Deos:
Et quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
  Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui pactas in fœdera ruperit aras,
  Pollueritque novo sacra marita toro:
Illi sint, quicumque solent in amore, dolores,
  Et caput argutæ præbeat historiæ:

Nec

OBSERVATIONES.

v. 14. *moraturæ contrahe lucis iter*] *Interiore diem gyro trahe*, ut solis in hieme.

v. 25. *Ergo qui pactas*] Intellige *fixas*, ut apud Tibullum Eleg. 1. l. 3. *Indices ut nomen litteræ PACTA meum.*

Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ:
Semper amet, fructu semper amoris egens.

ELEGIA XIX.

Athenas iturus, ut ibi studiorum varietate obstinatum amorem animo expellat; patriæ, amicis, Cynthiæ denique valedicit.

MAgnũ iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
CRESCIT enim assiduè spectando cura puellæ:
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit, at ex omni me premit ipse Deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negavit:
Seu venit, extremo dormit amicta toro.
Unum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris;
Quantùm oculis, animo tã procul ibit amor.
Nunc agite, ô socii, propellite in æquora navem,

Re-

OBSERVATIONES.

v. 30. *fructu semper amoris egens*] Quod tamen acerbissimum esse novimus vel ex ipso Anacreonte:

Χαλεπώτερον δὲ πάντων
Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα.
Durissimum verò est,
Amare, nec potiri.

ELEG. XIX. v. 8. *amicta*] Ita legit Scaliger, cui lubens assentior, si quidem apud Tibullum parem locum observavi Eleg. 10. l. 1.

Et cum furtivo juvenem lassaverit usu,
Tecum interposita languida veste cubet.

Quod autem hìc ait Propertius *extremo toro*, Horatius Epod. 3. ita variavit: *EXTREMA & in spondæ cubet.*

v. 17.

Remorumque pares ducite sorte vices;
Jungiteque extremo felicia lintea malo.
Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanæ turres, & vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nūc rudis Adriaci vehar æquoris hospes,
Cogar & undisonos nunc prece adire Deos.
Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechæo
Sedarit placidâ vela phaselus aquâ:
Quod superest sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos quà terris arcet utrimque mare.
Indè ubi Piræi capient me litora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis:
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Li-

OBSERVATIONES.

v. 17. *æquoris hospes*] Supra Eleg. 20. l. 1.

Sive ubicumque vage fluminis
HOSPITIO.

v. 27. *Demosthenis arma*] Imbellium hominum telum est eloquentia, quamobrem Turnus apud Virgilium 11. Æneid. Drancem intra parietes curiæ ferocius loquentem, at prælio ineptum, subsannat:

—— an tibi Mavors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit? ——

Porrò ita locutus M. Tullius Orat. pro Quintio: *Quid agimus, Hortensi? quid de hac conditione dicimus? possumus aliquando depositis ARMIS, sine periculo fortunarum de re pecuniaria disceptare?* Antiquorum verò æmulator Symmachus Epist. 9 l. 7. *Nam, ut in vestitu hominum, cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quamdam debet imitari. in forensibus verò capere ARMA facundiæ.*

v. 28.

Librorumque tuos docte Menandre sales:
Aut certè tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ, seu magis ære manus:
Aut spatia annorum, aut lõga intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar fato, non turpi fractus amore,
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 28. *Librorumque tuos*] Idest, *librorum tuorum*.

v. 30. *manus*] Picturæ nobilissimorum artificum, figmenta, sculpturæ, atque id genus alia *manus* nomine quandoque significantur. Petronius Arbiter. *Zeuxidos MANUS vidi nondum vetustatis injuria victas*. Et apud Julium Pollucem legimus passim, χεὶρ Ἀπελλȣ̃, χεὶρ Πολυκλείτȣ, ut observat Erhardus. *Manum* etiam pro *chirographo* usurpavit Ovidius quadam Eleg. ad uxorem:

Agnovi caramque MANUM, gemmasque fideles.

v. 32. *sinu*] Mallem *situ*, idest *oblivione*, nec puto aliter scriptum à Propertio.

v. 33 *Seu moriar fato*] Sive moriar, fato moriar, nõ amoris impatientiâ. Fato mori putabantur, qui naturæ cedebant, nullâ compulsi violentiâ. Ideò Virgiliana Dido, quæ sibi necem consciverat:

— nec FATO, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.

Quam sententiam expendit Agellius l. 13. c. 1. His adde Plinium l. 1. Epist. 12. eadem distinctione utentem: *Est enim luctuosissimum genus MORTIS, quæ non ex natura, nec FATALIS videtur.*



ELEG.

ELEGIA XX.

Ad Tullum : *Romam, & Latium cæteris urbibus, ac regionibus longè præstare.*

FRigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiacâ quà fluit Isthmos aquâ:
Dyndimus, & sacræ fabricata inventa Cybellæ,
Raptorisque tulit quæ via Ditis equos.
Si te fortè juvant Helles Athamantidos urbes,
Et desiderio, Tulle, movere meo;
Tu licet aspicias cælum omne Atlanta gerentem,

Se-

OBSERVATIONES.

ELEG. XX. v. 1. *Frigida*] Explicationem locorum, & fabularum, de quibus in hac Elegia mentio fit, dabit luculenter noster Index, quem consulère non pigeat. Vide etiam si quæ Scaliger, & Passeratius huc eruditè contulerunt: ego pauca quædam attingam.

Ibid. *Frigida Cyzicus*] An quia vergens ad polum Borealem? an quia *Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mutianus credit*, referente Plinio l. 31 c. 2.

v. 4. *Raptorisque tulit*] Constanter tradiderunt Mythologi, quibus accedit Cicero Act. 6. in Verrem, raptam à Plutone Proserpinam apud Ennam Siciliæ oppidum. cur igitur Propertius Hellespontiacâ regione id actum innuit? Placet solutio ista, si dicamus, eam quidem abreptam è Trinacriâ, sed latam super mare usque ad Cyzicenam regionem; ibique terræ hiatu receptam, venerationem sui numinis incolis reliquisse. Huic sententiæ adstipulatur Orpheus in Argonauticis, citatus à Natali Comite l. 3. c. 16.

v. 5. *Si te fortè juvant*] Distichon istud ita explicandum: Si tu, ô Tulle, dum provinciam Bithyniam administras, nostram absentiam ægrè ferre potes, cum tamen, ex aliâ parte, amœnitate regionis detinearis, tecum ipse velim cogites, nullum esse terrarum situm Romæ, ac Latio præferendum, imò ne comparandum quidem.

Sectaque Perseâ Phorcidos ora manu?
Geryonæ stabula, & luctantum in pulvere signa
Herculis Antæique, Hesperidumque choros;
Tuque tuo Colchon propellas remige Phasin,
Peliacæque trabis totum iter ipse legas:
Quà rudis Argoâ natat inter saxa columbâ
In faciem proræ pinus adacta novæ:
Et si quadrigæ visenda est ora Caystri,
Et quà septenas temperat unda vias:
Omnia Romanæ cedent miracula terræ;
Natura hìc posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quàm commoda noxæ,
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.

Nam

OBSERVATIONES.

v.9. *signa Herculis, Antæique*] An huic fabulæ conveniant verba Pomponii Melæ, quæ leguntur cap.10.l.3. ubi de Mauritaniæ oris, judicandum relinquo felicioribus ingeniis. Hæc autem sunt: *Hic ANTÆUS regnasse fertur, & SIGNUM quoque fabulæ clarum prorsus ostenditur collis modicus resupini hominis imagine jacentis, illius, ut incolæ ferunt, tumulus &c.*

v.17. *Omnia Romanæ*] Martialis de Spectaculis:

OMNIS Cæsareo CEDAT labor Amphitheatro.

v.19. *noxæ*] Damno inferendo. Romani etenim gentes bello domitas non delebant, nisi fortè sæpius rebellantes, at in provinciæ formam redigebant, & civitate donabant. Claudianus de maximâ urbium:

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu: civesque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Nec prætereundus locus insignis Cornelii Taciti, quamvis longiusculus, qui superiores Claudiani versus mirè illustrabit. Is est libro Annalium 10. ubi Claudius Cæsar de Eduis in civitatem recipiendis, ita Senatum alloquitur: *Majores mei, quorum antiquissimus Clausus ori-*

Nam quantùm ferro, tantùm pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
Hìc Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Martius humor opus:
Albanusque lacus socii Nemorensis ab undâ,
Potaque Pollucis nympha salubris equo.

At

OBSERVATIONES.

origine Sabina, simul in civitatem Romanam, & in familias Patritiorum ascitus est, hortantur uti paribus consiliis rempublicam capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, & ne vetera scrutemur, Etruria, Lucaniaque, & omni Italia in Senatum accitos: postremò ipsam ad Alpes permotam, ut non modò singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tum solida domi quies, & adversùs externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie devictarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minùs insignes viros ex Gallia Narbonensi transivisse?

V.22. *temperat ira manus*] Censebat Lipsius legendum *illa*, idest *pietas*; at nihil mutandum, ut sententia hæc sit: Populus Romanus, quantumvis iratus, tamen abstinet manus victrices à vastatione urbium, & mortalium excidio.

V.26. *Potaque Pollucis*] Quia templum Castoris & Pollucis, à Tiberio & Druso Augusti privignis prope Juturnæ stagna ædificatum fuerat. Ovidius Fastorum 1.

Hæc sunt Ledæis templa dicata Deis.

Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum

Circa Juturnæ composuere lacus.

V. Sveton. Tiber. c.20. Antequam tamen id templum de manubiis hostilibus ædificaretur, fuerant ibi simulacra Dioscurorum; quod, ut cæteros omittam, Minutius Felix in Octavio suo non obscurè significat. *Testes*, inquit, *EQUESTRIUM fratrum in lacu, sicut ostenderant, statuæ consecratæ, qui anheli, spumantibus EQUIS atque fumantibus, de Perse victoriam eadem die, qua fecerant, retulerunt.* Placet his adjungere verba Flori ex cap. 12. l. 2. quæ rem pleniùs enarrant: *Sed multò priùs gaudium victoriæ populus Romanus, quàm epistolis victoris perceperat. quippe eodem die, quo victus Perses in Macedonia, Romæ cognitum est. Duo*

ju-

At non squamoso labuntur ventre cerastæ,
  Itala portentis nec furit unda novis.
Non hìc Andromedæ resonant pro matre catenæ,
  Nec tremis Ausonias Phœbe fugate dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
  Exitium nato matre parante suo.
Penthea non sævæ venantur in arbore Bacchæ,
  Nec solvit Danaas subdita cerva rates:
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
  Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Scinis, & non hospita Graiis
  Saxa, & curvatas in sua fata trabes.
Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima sedes:
  Hìc tibi pro dignâ gente petendus honos.
Hìc tibi ad eloquium cives, hìc ampla nepotum
  Spes, & venturæ conjugis aptus amor.

ELE-

OBSERVATIONES.

juvenes candidis EQUIS *apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant. hi nunciavere. Castorem & POLLUCEM fuisse creditum vulgo, quòd gemini fuissent: interfuisse bello, quòd sanguine maderent: à Macedonia venire, quòd adhuc anhelarent.* Tribuit autem Propertius Polluci, quod Castoris proprium est: Pollux enim πύκτης, Castor verò ἱππόδαμος. Quamquam non dissimulaverim, ambos equum inscendere solitos. cujus rei, præter nummos veteres, testem locupletem habemus Pausaniam in rebus Messenicis.

v. 40. *petendus honos*] Intelligit petitionem Consulatus.

ELEG.

ELEGIA XXI.

Tabellarum, quibus arcana Erotica ipse, atque amica semper commiserant, jacturam dolet.

ERgo tam doctæ nobis periere tabellæ,
  Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
  Qui non signatas jussit habere fidem.
Illæ jam sine me norant placare puellas,
  Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum;
  Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
  Semper & effectus promeruere bonos.
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
  Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
  Non bona de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit, *venias hodie, cessabimus unà:*
  Hospitium totâ nocte parabit amor;
Et quæcumque dolens reperit non stulta puella,
  Garrula cum blandis ducitur hora dolis.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avari,
  Et ponit duras inter ephemeridas.

Quas

OBSERVATIONES.

ELEG. XXI. v. 12. *Irascor*] μιμη-τικῶς ex personâ puellæ scribentis.

v. 20. *duras inter ephemeridas*] Latinè diceres *diurna*, in quibus vide-

Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hæc aliquâ propone columnâ,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

Elegia XXII.

Ut Cynthia fastum compescat, laudes, quibus illam ornaverat, ait amoris nimii commenta fuisse: receptui canit, eidemque malam senectutem imprecatur.

Falsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimiùm facta superba meis.
No-

Observationes.

videlicet rationes unius diei scribuntur. *Duras* vocat, quia, cum legerentur, servi frequentissimè vapulabant, ob rem domini malè administratam. Pedo Albinovanus apud Senecam Epist. 122. *Audio, inquit, circa horam tertiam noctis flagellorum sonos; quæro quid faciat. dicitur RATIONES accipere.* Juvenalis 6. Sat. de muliere iratâ:

Et cædens longi relegit transversa DIURNI,
Et cædit, donec lassis cædentibus, exi,
Intonat horrendum, jam cognitione peracta.

v. 23. *aliqua propone columna*] Res amissæ olim etiam præconis voce requirebantur. Elegantem produco testem Petronium Arbitrum. *Intrat*, inquit, *stabulum præco cum servo publico, aliaque sanè modica frequentia, facemque fumosam magis quàm lucidam quassans, hæc proclamavit: Puer in balneo paulò antè aberravit, annorum circa XVI. crispus, mollis, formosus, nomine Giton. si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille.*

ELEG. XXII. v. 1. *fiducia formæ*] Insolescunt mulieres, cum se amari sentiunt. Hinc Circe Petroniana: *Non timeo, ne quis inveniatur, cui minùs placeam.* Helena quoque Ovi-

Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mistam te variâ laudavi sæpe figurâ,
Ut quod non esses, esse putaret amor.
Et color est toties roseo collatus Eoo,
Cum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici;
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsâ
Naufragus Ægæâ verba fatebar aquâ;
Correptus sævo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Trajectæ Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulnera & ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria cōdo.
Exciderunt surdo tot mea vota Jovi.

Ri-

OBSERVATIONES.

Ovidiana:

—— non quòd FIDUCIA desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi.

v. 10. *Eluere aut vasto*] Mare credebatur expiationibus aptissimum, & idcircò Catullus Gellium incestum redarguens, ita scelera ejus augere conatur:

Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Thetys,
Non genitor Nympharum ABLUAT Oceanus.

v. 13. *Veneris torrebar aheno*] Aheneo Veneris jugo, de quo sic Horatius Ode 33. l. 1.

Sic visum Veneri, cui placet impares

For-

Risus eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos.
Ungue meam morso sæpe querêre fidem.
Nil moveor lacrymis; istâ sum captus ab arte:
Semper ab insidiis Cynthia flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit.
Tu bene conveniens non sinis esse jugum.
Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis,
Nec tamen iratâ janua fracta manu.
At te celatis ætas gravis urgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.

Vel-

OBSERVATIONES.

Formas, atque animos sub juga AHENEA
Sævo mittere cum joco.
Torrere hic est *urendo cruciare*. Ovid. alicubi: *teneros urunt juga prima juvencos*. Noster Eleg. 3. l. 4. *Dic mihi num teneros urit lorica lacertos?* & citatus Horat. in Epistolis vocat *urentem calceum*, qui pede minor est, nimiaque angustiâ ipsum coarctat.

v. 26. *ab insidiis*] Cum insidias in me composuisti, tum verò soles dolorem simulare, tunc impotentem zelotypiam præteferre, ut scilicet suspicionem criminis à te avertas, & in amantem fabam cudas. Unicus interpres muliebris hujus versutiæ Juvenalis Sat. 6. v. 271.

Tum gravis illa viro, tunc orba tigride pejor,
Cum simulat gemitus occulti conscia facti.
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua; atque exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo. Tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Absorbes, quæ scripta, aut quas visure tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!

v. 33.

Vellere tum cupies albos à ſtirpe capillos,
  Ah ſpeculo rugas increpitante tibi.
Excluſa inque vicem faſtus patiare ſuperbos,
  Et quæ feciſti facta queraris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
  Eventum formæ diſce timere tuæ.

SEX.

OBSERVATIONES.

v. 33. *Vellere tum cupies*] Verſiculus à Tibullo mutuatus, qui Eleg. 9. l. 1.

Tollere TUNC cura eſt ALBOS A STIRPE CAPILLOS.



ELEG.



SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM LIBER IV.

ELEGIA I.

Fingit se, dum originem, atque incrementa rerum Romanarum persequi vellet, admonitum à quodam Babylonio Astrorum perito, ut intra gyros ingenii sui consistens, abjectis Heroicis Elegos tantùm luderet.

HOc quodcumque vides, hospes, quàm maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evan-

OBSERVATIONES.

ELEG. I. v. 3. *navali Phœbo*] Augustus, toto penè terrarum orbe pacato, animum ad religionem vertit, Deorum templa vetustate diruta instaurans, novaque de manubiis hostilibus ædificans. Videndi

Evandri profugæ procubuere boves.
Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa.
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpejusque pater nudâ de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pel-

OBSERVATIONES.

di Sveton. in ejus vitâ c. 30. Maro in calce 8. Æneid. Apollinem verò præter cæteros coluit, cujus ope se victoriam Actiacam consecutum existimabat, eique Palatinam ædem dedicavit. *Navalis* autem *Phœbus* appellatus, quòd bellum adversùs Antonium & Cleopatram classibus præcipuè gestum esset. Noster apertissimè infra Eleg. 6.

Actius hinc traxit PHOEBUS monumenta, quòd ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.

V. 8. *Tiberis nostris advena bubus*] Licet proxime præterfluens; adeò exiguis finibus continebatur priscorum Quiritium ditio. Simile quid habet Claudianus de sene Veronensi, qui numquam ex agello suo fuerat egressus:

Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat litora rubra lacum.

V. 10. *maxima regna focus*] Qui tamen ad suscitandam invidiam idoneus foret. Optimè Lucanus 1. Pharsaliæ:

FRATERNO primi maduerunt sanguine muri,
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.

Regna, pro qualibet possessione dixerunt antiqui scriptores. Virgilius Eclogâ 1.

En umquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis & tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot mea REGNA videns mirabor aristas?

& Ausonius elegantissimè Idyllio 1.

Salve herediolum majorum REGNA meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.

V. 11. *prætexto Senatu*] Alia erat

puc-

Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro.
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere Divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro:
Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
Pastor & ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,

Unde

OBSERVATIONES.

pueriliis prætexta, quam grandiores exuebant: alia Senatorum, & Consulum propria; ut puto, à lato clavo non diversa. Cicero in Pisonem: *Tu in lictoribus, in toga, & PRÆTEXTA esse Consulatum putas?* Seneca l. 1. de beneficiis. *Quid habet per se corona pretiosum? quid PRÆTEXTA? quid fasces? quid tribunal, & currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne.*

v. 17. *externos quærere Divos*] Id posteà cautum lege 12. tabularum. *Separatim nemo habessit Deos, neve novos: sed ne advenas, nisi publicè adscitos, privatim colunto.* Quod factum invalescente imperio; & universa Græcorum superstitio Romam deducta est. Isidis quoque ac Serapidis sacra ex Ægypto advecta. nec defuerunt, qui Sabbata Judæorum violare nefas ducerent. Vide Horatium Sat. 9. l. 1. Persium Sat. 5. versu 154. Hujusmodi plebeculam omnia credentem naso suspendit Plinius l. 2. c. 7. *EXTERNIS famulantur sacris, ac digitis Deos gestant, & monstra quoque colunt.*

v. 20. *curto lustra novantur equo*] De hoc ritu consule Scaligeri notas, frustra enim à nobis expectas, quæ jam alii præstiterunt.

v. 26

Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant ustâ prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo;
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.

Hinc

OBSERVATIONES.

v. 26. *Fabius Lupercus*] Cur Fabiorum cognomine insignes Luperci fuerint, pluribus explicat Ovidius Fastorum 2. versu 365. & sequentibus.

v. 29. *galeritus Lucmo*] Animum inducere non possum, ut existimem ejusdem hominis hic mentionem fieri, cujus Eleg. â sequenti:

Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

nimis enim inter se distant *Lucmo*, & *Lucomedius*, ut observavit etiam Turnebus. Hoc igitur accipiendum censeo de Tarquinio Prisco quinto Romanorum rege, qui, antequam è Tarquiniis oppido Etruriæ Romam eum uxore migrasset, Lucumo vocabatur, auctore Livio l. 1. Historiarum. Juvat opinionem meam, quòd Propertio dicitur *galeritus*; & puto, poëtam respexisse ad historiam, quam de illo scribit idem Livius his verbis: *Ad Janiculum fortè ventum erat. Ibi ei carpento sedenti cum uxore, aquila suspensis demissa leniter alis PILEUM aufert: superque carpentum eum magno clangore volitans, rursus velut ministerio divinitus missa, capiti aptè reponit: inde sublimis abiit. Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgò Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier. Excelsa & alta sperare complexa virum jubet: eam alitem ea regione cæli & ejus Dei nunciam venisse: circa summum culmen hominis auspicium fecisse: levasse humano superpositum capiti decus, ut divinitus eidem redderet.* Huic adde Lucium Florum l. 1. c. 5. qui & ipse adstipulatur nostræ sententiæ: *Neque pace Tarquinius, quàm bello promptior; duodecim namque Thusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde Fasces, Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætexta: inde quòd aureo curru quatuor equis triumphatur: Togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora, & insignia, quibus imperii dignitas eminet.* igitur verisimillimum est, *prætoria* quoque primùm ab ipso posita. Nec obstat, Propertium infra Eleg. 4. Tatii Sabinorum regis ætate, Tarquinio multò supe-

 rio-

Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni;
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabî:
Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata,
Hâc, ubi Fidenas longè erat ire, viâ.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus.
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc meliùs profugos misisti Troja penates.
O quali vecta est Dardana puppis ave!

Jam

OBSERVATIONES.

rioris, prætoria memorare, illo versiculo:

Ignes castrorum, & Tatia prætoria turmæ.

poëtis etenim licet quandoque uti Anachronismo, & inventa posteriorum temporum ad priora retrahere, ut Virgilius, qui Æneid. 6. ex ore Palinuri Æneam deprecantis dixit: *portusque require Velinos;* cum tamen Velia oppidum Lucaniæ tempore Servii Tullii, sexcentis ferè annis post adventum Æneæ in Italiam, conditum fuerit. Sed quid aliorum scriptorum exempla quærimus? Ipse Propertius hac eadem Elegiâ sic ait:

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

En adversùs Flori testimonium triumphandi morem curru quadrijugo Romulo attribuit. Idem citatâ Eleg. 4. Tarpejam virginem ita loquentem inducit:

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

cum tamen Florus togæ pictæ auctorem Tarquinium faciat. Hæc habui, quæ de Lucumone dissererem: ea tamen viros eruditos morari non debent, quominùs proferant certiora, si invenerint.

v.32. *albos equos*] Quod invidiosum postea M. Furio Camillo, & exilii causa fuit. Audi Livium l. 5. *Maximè conspectus ipse est curru EQUIS ALBIS juncto urbem invectus: parumque id non civile modò, sed humanum etiam visum. Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem in religionem etiam trahebant: triumphusque ob eam unam maximè*

rem.

Jam bene spondebant tunc omina, quòd nihil illã
Læserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in nati tremulus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Decî, Brutique secures,
Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
Felix terra tuos cepit, Jule, Deos.
Si modò Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
Dixit Aventino rura pianda Remo:
Aut si Pergameæ serò rata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum Danai, malè vincitis: Ilia tellus
Vivet, & huic cineri Jupiter arma dabit.
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

Mœ-

OBSERVATIONES.

rem clarior, quàm gratior fuit. Plutarchus in vitâ Camilli ait id singulare fuisse: ὑδὲ νὸς τυτο πεισ-ωντος ἡγεμὼν πρότερον, ὑδὲ ὕστερον. *nullo exemplo vel priorum, vel insequentium Imperatorum*. Enimverò hic necesse est aut Propertium, aut Plutarchum mendacii postulare.

v. 44. *verita est humeros*] Non dubito, quin à Virgilio sumpserit, cujus illa sunt 2. Æneid.

Descendo, ac ducente Deo flammam inter, & hostes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.

v. 54. *huic cineri Jupiter arma dabit*] Et hoc de Maronis penu, apud quem regina Dido indignabunda sic vovet:

Tum vos o Tyrii stirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis: CINERIque hæc mittite nostro
Munera. nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,

Qui

Mœnia namque pio conor disponere versu.
Hei mihi, quòd nostro est parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque è pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ.
Ennius hirsutâ cingat sua dicta coronâ,
Mî folia ex ederâ porrige Bacche tuâ:
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus. date candida cives
Omina, & incœptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, & cognomina prisca locorũ.
Has meus ad metas sudet oportet equus.
Dicam, Troja cades, & Troica Roma resurges:
Et maris, & terræ longa sepulcra canam.

Quò

OBSERVATIONES.

Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.

V. 72. *maris & terræ longa sepulcra*] Innuit navigationem Æneæ diuturnam, & Junonis odiis exercitam: tamdiu enim Troja conclamata videri potuit, quamdiu ille salo jactatus ab Italiæ finibus arcebatur; cum verò pedem in litore posuit, copiasque Etruscorum fudit, tum demum Iliacæ reliquiæ in novam spem è sepulcro prodierunt.

V. 73. *Quò ruis imprudens*] Huc usque Propertius ex personâ suâ locutus est; nunc inducit Genethliacum sibi respondentem. Animadvertendum hic, optimè servatam ἠθοποιΐαν hominis divinatoris, qui ut artem suam commendet, primùm celebres Mathematicos inter majores enumerat: deinde recenset duplicem prædictionum suarum eventum: postremò scientiam oraculorum, extispicium, auguria, necyomantiam contemnit, unam siderum rationem reliquis vaticiniis anteferens. Cum au-

Quò ruis imprudens vage dicere facta Properti?
Non sunt à dextrâ condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo:
Poscis ab invitâ verba pigenda lyrâ.
Certa feram certis auctoribus. haud ego vates
Nescius æratâ signa movere pilâ.
Me creat Architæ soboles Babylonius Horos,
Horos, & à proavo ducta Conone domus.
Dii mihi sunt testes, non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere Deos, & fallitur auro
Jupiter, obliquæ signa iterata rotæ.

Dixi.

OBSERVATIONES.

autem ad Propertium venit, historiam vitæ præteritæ attingit, antequam de futuris aliquid loquatur. Hæc inobservata prætermittere, religiosum esse duxi.

v.76. *ab invita lyra*] Barbitos enim Heroici carminis pondus ferre non potest. Pariter festivissimus Anacreon:

Θέλω λέγειν Ατρείδας,
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν.
Α βάρβιτος δὲ χορδαῖς
Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ.
Cantem libens Atridas,
Cantem libensque Cadmum.
Sed barbiti mihi unum
Nervi sonant amorem.

v.79. *Architæ soboles*] Non reapse filius, at sectator in Astrologicis. Eo pacto Ennium *patrem* appellavit Eleg 2. l. 3.

Unde pater sitiens Ennius ante bibit.

idest, antesignanus poëtarum Romanorum. Huc pertinent ea, quæ observavimus ad Catulli carmen 1. v. 6.

v.82. *nil prius*] Nil potius. Horatius Ode 10. l. 4.

Et qui nunc color est puniceæ flore
PRIOR rosæ.

v. 83. *fallitur auro Jupiter*] Si quid obscurum in Propertio est, hoc certè dixerim primas caliginis obtinere. Critici tamen silentio prætereunt, & ad alia pergentes, in quibus eruditionem suam ostentent, lectorem in scopulo relinquunt. Nos ita explicamus: Mathematici, ut libentiùs à divitibus

Dixi ego cum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo).
Non posse ad patrios sua pila referre penates.
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus equi dum saucia protegit ora,
Heu! sibi prolapso non bene cavit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri duo funera matris avaræ,
Vera, sed invito contigit ista fides.
Idem ego cum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram:
Junoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit. libris est data palma meis.

Hoc

OBSERVATIONES.

audiantur, eorumque loculos probè emungant, simulant Jovem felicissimum planetarum dominum esse genituræ: horoscopum pro arbitrio mutant, & ita consulunt rationibus suis. Easdem augurum technas fuisse, docemur ab Accio, quem citat Agellius l. 14. c. 1.

Nihil, inquit, *credo auguribus, qui*
aures verbis divitant
Alienas, suas ut AURO locuple-
tent domos.

Fallere, pro *simulare* dixit Virgilius 1. Æneid. versu 687.

Tu faciem illius noctem non am-
pliùs unam
FALLE dolo ——

Quæ phrases è mediâ Græciâ petitæ.

v. 84. *obliquæ signa iterata rotæ*] Subaudi *falluntur*. Zodiaci autem signa vocat iterata, quòd sex ad Austrum, sex ad Boream vergant.

v. 92. *ante aquilæ r. c. s.*] Quæ fuerit forma Romanæ Aquilæ, disputat Lipsius Dial. 6. l. 4. de militia Romanâ.

v. 98. *libris est data palma*] Ovidius 2. de arte amandi:

Lætus amans donet viridi mea car-
mina PALMA.

v. 109.

Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrũ,
Aut sibi commissos fibra locuta Deos:
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbra neq; hæc magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est cæli, versusque per astra
Trames, & à zonis quinque petenda fides.
Felicesque Jovis stellæ, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus & Hesperiâ quid Capricornus aquâ.
Exemplũ grave erit Calchas, nãque Aulide solvit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos respice Troja sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa tuis.
Victor Oilide rape nunc, & dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva suâ.
Hactenus historiæ. nunc ad tua devehor astra:
Incipe tu lacrymis æquus adesse novis.

Um-

OBSERVATIONES.

v. 109. *Exemplum grave*] Ut augurii fidem elevet, Calchantis falsum vaticinium ostendit. Hac locutione utitur Horatius Ode 11. l. 4.

— *EXEMPLUM GRAVE præbet ales*
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

v. 121.

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Quà nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et sacer æstivis intepet imber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illâ ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge Elegos fallax opus (hæc tua castra)
Scribat ut exemplo cætera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.

Et

OBSERVATIONES.

v. 121. *Umbria te notis &c.*] Idem astruit Plinius l.3. c.14. *UMBRORUM gens ANTIQUISSIMA Italiæ existimatur, ut quos ombrios à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus superfuissent.*

v.122. *Mentior?*] Itali sic explicarent: *eh non mi apposi?*

v. 123. *Mevania*] De patriâ Propertii satis dictum in Prolegomenis.

v.139. *Eludet palmas*] Par omnino huic loco est ille Ovidianus Epist. Dejaniræ ad Herculem:

I nunc, tolle animos, & fortia gesta.

Et bene cum fixum mento discusseris uncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina. persuasæ fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

ELEGIA II.

Vertumnus antiquissimus Thuscorum Deus, falsis aliorum opinionibus refutatis, veram sui nominis originem ipse prodit.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Thuscus ego, & Thuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volsinos deseruisse focos.

Nec

OBSERVATIONES.

gesta recense,
Quod tu non esses jure, vir illa fuit.
Qua tantò minor es, quantò te, maxime rerum,
Quàm quos vicisti, vincere majus erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum.
Cede bonis: hæres laudis amica tuæ.

ELEG. II. v. 4. *Vel nos deseruisse focos*] Admonet Passeratius, Volsiniensis belli cum Romanis mentionem fieri apud Livium l. 5. & 9. sed historias illas minimè ad rem per-

Nec me turba juvat, nec templo lætor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hìc dulces cerasos, hìc autumnalia pruna
Cernis, & æstivo mora rubere die.
Insitor hìc solvit pomosâ vota coronâ,
Cum pyrus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces. alius mihi nominis index.
De se narranti tu modò crede Deo.

Op-

OBSERVATIONES.

pertinere arbitror, argumento versiculi, qui legitur prope finem Elegiæ:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.

Bella etenim à Livio memorata inferiori longè tempore inciderunt. Quid igitur dicendum superest? Apparet Vertumnum à Thuscis ad Larinos migrasse ante Romam conditam, cui conjecturæ suffragatur Ovidius 14. Metamorph. ubi refert Pomonam Latii Nympham formâ præstantem amatam à Vertumno, regnante Proca Romuli & Remi proavo. Larini autem cum Etruscis conflixere jam indè ab adventu Æneæ, ut habemus ex Livio citato l. 1. nec semel Etrusci succubuere.

v. 12. *credidit*] Subaudi *fama*, nam infra: *Mendax fama noces*.

v. 16 *æstivo die*] Ita Minutius Felix Octavio: *Nam id temporis post ÆSTIVAM DIEM in temperiem semet autumnitas dirigebat*.

v. 31.

Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella:
Atque virum sumptâ quis neget esse togâ?
Da falcem,& torto frontē mihi cōprime fœno,
Jurabis nostrâ gramina secta manu.
Arma tuli quondam,&(memini) laudabar in illis:
Corbis at imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitrâ, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phœbi, si modò plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumptâ
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat, hoc pisces calamo prædabor, & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

Pa-

OBSERVATIONES.

v. 31. *Cinge caput mitra*] Nihilo dissimiles blanditiæ Sapphûs ad Phaonem, Ovidii stylo expressæ:

Sume fidem & pharetram; fies manifestus Apollo.

Accedant capiti cornua; Bacchus eris.

v. 33. *arundine sumpta*] Sagittâ venatoriâ, quam *calamum* vocavit l. 2. Eleg 14.

Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles

Excipere, & stricto figere avem calamo.

Ibid. *plumoso aucupio*] Hinc licet colligere, non solum feras versicoloris plumæ formidine adactas in retia, sed etiam aviculas. Vel simplicius *plumosum aucupium*, ab ipsis volucrum *plumis* appellare potuit Propertius.

v. 37. *Suppetat*] Idest: Dummo-

dò

Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi, quòd formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Thuscis,
Unde hodie vicus nomina Thuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tatî:
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias Divûm sator, ut Romana per ævum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror. hæc spatiis ultima creta meis.
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam gratâ pauper in urbe Deus.

At

OBSERVATIONES.

dò copia sit.

v. 51. *Lucomedius*] De hoc vide Dionysium Halicarnass. l. 2. Antiquit.

v. 59. *properanti falce dolatus*] Priapus in carmine libero:

Non me Praxiteles, Scopasve fecit,

Nec

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est, operi non datur unus honos.

ELEGIA III.

Arethusa puella marito Lycotæ militanti mœstitiam suam, desiderium, solitudinem, fidem, industriam, vota pro ejus reditu concepta elegantissimè ostendit: pugnæ inventorem detestatur, rogatque conjugem, ut genialis tori fœdera incorrupta conservet.

HÆc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,
Cum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit è lacrymis facta litura meis:
Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modò viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modò munito Sericus hostis equo,
Hi-

OBSERVATIONES.

Nec sum Phidiaca manu politus;
At lignum rude villicus DOLAVIT,
Et dixit mihi: Tu Priapus esto.

ELEG. III. v. 7. *iteratos per ortus*] Subaudi *Lunæ*; ita ut bimestris fuerit Lycotæ commoratio Bactriana. Qui aliter explicant, ludos faciunt.

V. 12.

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru,
  Ustus & Eoâ discolor Indus aquâ.
Hæcne marita fides, & pactæ jam mihi noctes,
  Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
  Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
  Vitta data est. nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota:
  Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immeritâ qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
  Æternusque tuam pascat, aselle, famem.

Dic-

OBSERVATIONES.

V. 12. *rudis*] Novæ nuptæ character, quæ nondum virum experta est. Ovidius in Fastis:

—— Venerique juvencam
Mactarunt, operum conjugiique RUDEM.

V. 17. *noxia vota*] Idest *obnoxia*; jam enim supra monuimus ex Lipsio, Propertio id moris esse, ut verba decurtet.

V. 20. *rauca per ossa tubas*] Artemidorus lib. 1. σύγκειται γὰρ (ἡ σάλπιγξ) ἐξ ὀστέου καὶ χαλκοῦ. *Composita est enim TUBA ex OSSE & ære*

V. 21. *funem qui torqueat Ocno*] Pausanias in Phocicis luculenter explicat, quid hoc rei sit; Μετὰ δὲ αὐτοὺς ἀνήρ ἐστι καθήμενος; ἐπίγραμμα δὲ Ὄκνον εἶναι λέγει τὸν ἄνθρωπον; πεποίηται μὲν πλέκων σχοινίον, παρέστηκε δὲ θήλεια ὄνος ἐπεσθίουσα τὸ πεπλεγμένον ἀεὶ τοῦ σχοινίου. τοῦτον εἶναι τὸν Ὄκνον φιλεργόν φασιν ἄνθρωπον, γυναῖκα δὲ ἔχειν δαπανηράν. καὶ ὁπόσα συλλέξαιτο ἐργαζόμενος, οὐ πολὺ ἂν ὕστερον ὑπὸ ἐκείνης ἀνήλωτο. Quæ verba ita vertit Romulus Amasæus: *Secundum illos vir quidam sedet: inscriptio indicat OCNUM esse: texit è junco restim: adest ASELLA totum id quod ille jam texuerit pertinaciter abrodens. Hunc Ocnum aiunt gnavum & industrium homi-*

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potiùs, quàm dẽtibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris & macie vultum tenuasse: sed opto
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in gladios vellera secta suos.

Et

OBSERVATIONES.

minem fuisse, qui uxorem sumptuosam & prodigam habuerit; quæ quidquid ille opere faciendo per summum laborem quæritasset, profundere solita esset. Et paulò post narrat, apud Jones ejusmodi proverbium fuisse, ut quoties viderent gnavum hominem, & industrium, qui tamen labore suo nihil, aut parùm proficeret, dicerent illico: *Vir ille Ocni funiculum torquet.* Vide Alciatum Emblemate 91. & ibi Commentarium Claudii Minois. Igitur funem Ocni torquere, nihil aliud est, quàm irritum laborem sumere, aquam cribro haurire &c.

v. 30. *osculor arma tua*] Amantes omnibus iis delectari solent, quæ cari capitis memoriam refricare possunt. Hinc Ovidiana Hero:

Quid referam, quoties dem vestibus OSCULA, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?

v. 31. *non sidere pallia lecto*] Idem Ovidius Amor. 1. Eleg. 2.

Esse quid hoc dicam, quòd tam mihi dura videntur
Strata, neque IN LECTO PALLIA nostra SEDENT?

v. 34. *in gladios vellera secta suos*] Vice interpretis fungatur L. Apuleius l. 8. Metamorph. ubi Corybantium vestes describit: *Quidam,* inquit, *tunicas albas in modum lanciolarum, quoquoversum fluente purpura, depictas cingulo subligasi.* Porrò *lanciolas*, sive *lanceolas*

O pa-

Et disco, quâ parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aquâ Parthus millia currat eques.
Cogor & è tabulâ pictos ediscere mundos,
  Qualis & hæc docti sit positura Dei:
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
  Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror, curis & pallida nutrix
  Pejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nudâ tulit arma papillâ,
  Et texit galeâ barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiæ sarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ juga, cum pater altas
  Africus in glaciem frigore nectit aquas.

OM-

OBSERVATIONES.

parùm à *gladiis* distare existimaverim.

v. 35. *Et disco*] Censeo collocandum distichon istud post id, quod proximè insequitur; ita enim ordo videtur postulare.

v. 36. *sine aqua*] Ad hunc locum omnino consulendæ notæ Jos. Scaligeri.

v. 37. *è tabula pictos ediscere mundos*] Idest Geographiæ studere, situs regionum cognoscere. Florus præfat. Historiæ Romanæ: *Faciam quod solent, qui terrarum situs PINGUNT, in brevi quasi TABELLA totam ejus imaginem amplectar.*

v. 38. *docti sit positura Dei*] Hoc ait, puto, è Stoicorum delirio, qui mundum ipsum rationis participem, & magnum aliquod Numen esse opinabantur. Seneca Epist. 94. *Totum hoc, quo continemur, & unum est, & DEUS est, & socii ejus, & membra sumus.* Cui concinit Manilius l. 1. Astronomicon:

Qua pateat MUNDUM divino numine verti,
Atque ipsum esse DEUM ——

v. 47. *pater Africus*] Non ita facile est expedire, cur ventus frigora faciens à Propertio *pater* dicatur. Jure quidem Lucretius de Zephyro scriptum reliquit:

Et

OMNIS amor magnus, sed aperto in conjuge major;
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi, quò Pœnis tibi purpura fulgeat ostris,
Crystallusque tuas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent; rarisque assueta Calendis
Vix aperit clausos una puella Lares.
Glaucidos & catulæ vox est mihi grata querētis.
Illa tui partem vindicat una tori.

Flo-

OBSERVATIONES.

Et reserata viget genitabilis aura Favoni. tepor enim humori admistus rerum gignendarum causa est. Incidi tamen in Claudiani locum l. 2. de raptu Proserpinæ, qui difficultatem fortasse valeat enodare. Is hujusmodi est, ubi Henna Zephyrum compellat:

— PATER o gratissime veris,
Qui mea lascivo regnas per prata volatu.

Quis prohibet à nostro Africum hiem is *patrem* appellari, eodem pacto, quo Claudiano Zephyrus *pater veris* nominatur? Adde, quòd omnes Dii *patris* nomine insignes fuerunt, ut innuit Lactantius Instit. Divin. l. 4. c. 3. sequentibus verbis: *Itaque & Jupiter à precantibus PATER vocatur, & Saturnus, & Janus, & Liber, & cæteri deinceps; quod Lucilius in Deorum consilio irridet.* Venti autem inter Deos numerabantur, utpote quibus victimâ fieret. Virgilius Æneidos 3. versu 118.

Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

vide ibi Ludovicum de la Cerda, qui variis Græcorum scriptorum testimoniis hunc morem illustrat.

v. 52. *Crystallusque tuas*] Hoc accipio de capulo ensis crystallino. Sanè veteres elegantiam affectabant in gladiis ornandis. Testis Plinius l. 33. c. 12. *Et quid hæc attinet colligere, cum capuli militum ebore etiam fastidito, cælentur argento?* Crystallo autem summa dignitas fuit, ut scimus ex eodem Plinio l. 37. c. 2. Vel intellige speculum, quo milites molliores utebantur. Id notum ex Juvenali Sat. 2. v. 99.

Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium: quo se ille

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero:
Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popæ.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptaque odorato carbasa lina duci,
Plumbea cũ tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos:
Incorrupta mei conserva fœdera lecti;
Hâc ego te solâ lege redisse velim.
Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam: SALVO. GRATA. PVELLA. VIRO.

ELE-

OBSERVATIONES.

ille videbat
ARMATUM, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.

v. 58. *herba Sabina*] Naturam hujus herbæ ita considerat citatus Plinius l.24. c.11. *HERBA SABINA, brathy appellata à Græcis, duorum generum est: altera tamarici similis folio, altera cupresso. Quare quidam Creticam cupressum dixerunt. A multis in suffitus pro thure assumitur &c.*. De hac Virgilius in Culice v. 402.

HERBAQUE thuris opes priscis imitata SABINA.

v.64. *carbasa lina*] Idest *carbasea*. sic Eleg.2.l.3. rostra columbarum *punica* dixit, pro *punicea*.

ELEG.

ELEGIA IV.

Tarpejæ Vestalis virginis historiam narrat, quæ Tatii Sabinorum regis amore correpta, ut ejus conjugio potiretur, arcem Capitolinam festis Palilibus indefensam pacta est illi tradere; quâ occupatâ Tatius jussit proditricem occidi.

TArpejum nemus, & Tarpejæ turpe sepulcrum
  Fabor, & antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix, ederoso conditus antro,
  Multa ubi nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quò dulcis ab æstu
  Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
  Fidaque suggestâ castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Cum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes, ubi nunc est curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja Deæ fontem libavit, at illi
Ur-

OBSERVATIONES.

ELEG. IV. v. 15. *Deæ fontem libavit*] Sacris Vestalibus operatura hausit aquam e fonte. Usus aquæ potissimus fuit in expiationibus; ea enim persuasio veterum animis inhæserat, criminum sordes ablutione

Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.
Obstupuit regis facie, & regalibus armis;
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ causata est omina Lunæ,
Et sibi tingendas dixit in amne comas:
Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:

Ignes

OBSERVATIONES.

ne defergi. Hinc apud Tibullum Eleg. 1. l. 2. legimus:

Et manibus puris sumite FONTIS aquam.

Sacro scilicet Ambarvali perficiendo; & apud Persium Sat. 2. *noctem flumine purgas*, idest, *concubitum*: qui mos Tu carum populo etiamnum solennis.

v. 19. *proludere*] Exerceri ad pugnam. Virgilius l. 12. de tauro irascente: *sparsa ad pugnam PROLUDIT ARENA.*

v. 23. *causata est omina Lunæ.*] Variis causis comminiscebatur, quibus in Capitolium serius ascenderet, puta, Lunæ pallorem, maculas, vel etiam defectum. Simili portento mentes militum Alexandri territas refert Curtius l. 4. c. 10. *Immeritam* verò *Lunam* vocat Propertius, quòd nullum horum symptomatum ei contigisset. Quod autem sequitur *de comis in amne tingendis*, traho ad mali ominis expiationem.

v. 27. *primo C. nubila fumo*] Vespertinâ caligine increbescente. Virgilius pariter Eclogâ 1.

Et jam summa procul villarum

cul-

Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
 Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
 Dum captiva mei conspicer esse Tati!
Romani montes, & montibus addita Roma,
 Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
 Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos?
 Candidaque in sævos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
 Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis
 Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes,
 Ignoscat; lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
 Tu cave spinosi rosçida terga jugi.
Lubrica tota via est, & perfida; quippe tacentes
 Fallaci celat limite semper aquas.

O

OBSERVATIONES.

culmina FUMANT.
Loquitur enim de noctis adventu.

v. 31. *Ignes castrorum &c.*] Huc animum advertit Torquatus Tassus Italorum Epicorum princeps, locumque ita expressit. (C. 6.)
Poi rimirando il campo ella dicea,
O belle a gl'occhi miei tende Latine &c.

v. 43. *crimen factura*] Infamiæ notam incussura. Supra Eleg. 19. l. 2.
Tam formosa tibi mortua CRIMEN erit.

O utinam magicæ nossem cantamina Musæ!
  Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
  Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic hospes, pariamne tuâ regina sub aulâ,
  Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minùs, at raptæ ne sint impune Sabinæ,
  Me rape, & alternâ lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere. nuptæ
  Vos medium pallâ fœdus inite meâ.
Adde Hymenæe modos : tubicen fera murmura conde.
  Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
  Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum, de te mihi somnia quæram.
  Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
  Nescia se furiis accubuisse novis.

Nam

OBSERVATIONES.

v. 56. *Dos tibi non humilis*] Pedo Albinovanus Elegiâ de obitu Mœcenatis, Propertii vestigia secutus videtur. Ejus versiculi sunt:
Hic modò miles erat, ne posset femina ROMAM
DOTALEM stupri turpis habere sui.

v. 60. *medium pallâ fœdus inite*] Quod factum postea à Sabinis mulieribus narrat Livius l. 1. Cum etenim novæ inter soceros & generos discordiæ surrexissent, illæ *crinibus passis, scissaque veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras.*

v. 74.

Nam Vesta Iliacæ felix tutela favillæ
  Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta
  Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat, dixere Palilia patres:
  Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros fœni flammantis acervos
  Trajicit immundas ebria turba dapes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissâ castra silere tubâ.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem,
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos, sed Jupiter unus
  Decrevit pœnis invigilare tuis.
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentē:

Nu-

OBSERVATIONES.

v. 74. *Hic primus cœpit*] Ovidius caussas Palilium sacrorum vestigans, natalem Romæ urbis versissimam esse ait 4. Fastorum:

Hoc tamen est vero propius: cum condita Roma est
Transferri jussos in nova tecta lares.
Mutantesque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ supposuisse casæ.
Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos:
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo

v. 76. *pagana madent fercula deliciis*] Vide Tibul. Eleg. 5. l. 2. vers. 87.

v. 89

Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorê)
Nube ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum superobruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustæ præmia sortis habes.

ELEGIA V.

Veneficam devovet, quæ puellam suam artibus meretriciis instruxerat.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim.

Nec

OBSERVATIONES.

v. 89. *neque enim sceleri &c.*] Principibus viris jucundæ proditiones, invisi proditores. Livius de hac eadem virgine ita scribit: *Accepti OBRUTAM ARMIS necavere: seu ut vi capta potiùs arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset.*

v. 94. *O vigil, injustæ p. s. h.*] Sententia est: O Sp. Tarpei arcis Capitolinæ custos & præfecte, injuria id es consecutus, ut collis ex te nomina traheret, conscius enim proditionis fuisti. Hoc ait poeta, quia plerumque nomina eorum, qui contra patriam conjurassent, aut aliud turpe facinus ausi essent, supprimebantur, ne ad gentiles in posterum pervenirent. Ita gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis post M. Manlii seditionem eius nomine vocaretur: Senatus quoque Romanus edicto prohibuit, ne cui ex Antoniorum familia Marcus nomen esset, ob occisum Ciceronem optimum civem à M. Antonio Triumviro. Auctores Livius l. 6. Plutarchus in Tullio.

ELEG. V, v. 2. *quod non vis*] H'Θος vetulæ vinosæ, ultra obitum ebrietatem producere cupientis; talis anus Plautina Curcul. Act. 1. Sc. 2. cujus hæ sunt ad mentem blan-

Nec sedeant cineri manes, & Cerberus ultor
  Turpia jejuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantē,
  Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
  Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
  Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe & Collinas ad fossam moverit herbas,

Stan-

OBSERVATIONES.

blanditiæ:

—— salve anime mi
Liberi lepos, ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentum odor præ tuo nautea est:
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocinum, & casia es, tu bdellium. nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim SEPULTAM.

Cæteri optassent ossa sua condiri aromatibus, & inspergi floribus; hæc autem femina multibiba mavult poculis irrigari.

V. 3. *sedeant cineri manes*] Putabant veteres, manes hominum illorum, quibus non essent ritè justa persoluta, procul à tumulo discurrere, nec usquam interquiescere: ideò Virgilius ex persona Æneæ, Polydori funus instaurantis, ait: *animamque sepulcro condimus.*

V. 11. *ad fossam moverit herbas*] Quid sit fossa magica, luculenter explicat Horatius Epod. 5. sequentibus versiculis:

Abacta nulla Veja conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus;
Quò posset INFOSSUS puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo.
Cum promineret ore, quantùm exstant aqua
Suspensa mento corpora.

Meminit etiam Ovidius 7. Metamorph. ubi de Medeà Æsoni juventutem restituere parante:

Multifidasque faces in FOSSA sanguinis atrà
Tingit: & infectas geminis accendit in aris.

Denique Valerius Flaccus l. 1. Argonauticon *scrobis* nomine appellat:

In

Stantia currenti diluerentur aquâ.
Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Posset & intentos astu cæcare maritos.
Cornicum immeritas eruit ungue genas;
Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fetæ semina legit equæ.
Exornabat opus verbis, ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam:

Si

OBSERVATIONES.

In scrobibus cruor, & largus Phlegetontis operti
Stagnat bonos ——

v. 12. *Stantia currenti*] Terræ planities lacus repentè fieret; τὸ enim *currenti* non indicat flumen, sed improvisam eluvionem. Apuleius 1. Metamorph. *Saga, inquit, & divina, potens cælum deponere, terram suspendere, fontes durare, MONTES DILUERE, manes sublimare, Deos infimare, sidera exstinguere.*

v. 14. *fallere terga lupo*] Cujus rei fidem elevat Plinius l. 8. c. 22. Vide Joannem Bodinum Dæmonom. l. 2. c. 6. Martinum Antonium Delrium l. 2. Disquisit. Magicarum quæst. 16.

v. 16. *Cornicum genas eruit*] Beroaldus & Passeratius adagium hoc loco comminiscuntur, nulla prorsus necessitate id exigente, cum sit sermo de re magicâ; &, quod sæpe accidit, dum argutiæ student, veritatém perdere non verentur. *Genas* pro capitibus Propertius posuit συνεκδοχικῶς, innuitque cornicum capita veneficio adhibita; quod confirmo ex Ovidio citat. 7. Metamorph.

—— *quibus insuper addit*
Ora, CAPUTque novem CORNICIS sæcula passæ.
His, & mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortari barbara munus &c.

v. 17 *Consuluitque striges*] *Consulere* pertinet ad vaticinia. Sveton. Octav. c. 93. *In Liberi patris luco barbara cæremonia DE filio CONSULENTI idem affirmatum est à sacerdotibus.* Et propiùs ad rem nostram Paulus J. C. l. 5. Sentent. tit. 21. *Si servi DE domini salute CONSULUERINT, summo supplicio, idest Cruce, afficiuntur.*

v. 23.

Si te Eoa, Dorixanium, juvat aurea ripa,
  Et quæ sub Tyriâ concha superbit aquâ:
Euripylique placet Coæ textura Minervæ,
  Sectaque ab Attalicis putria signa toris:
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
  Murrheaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, provolve Deos mendacia vincant;
  Frange & damnosæ jura pudicitiæ.
Et simulare virum pretium facit. utere causis:

Ma-

OBSERVATIONES.

v. 23. *Coæ textura Minervæ*] Coi lanificii. Tibull. Eleg. 1. l. 2.

Atque aliqua assidue textrix operata MINERVAM.

v. 24. *Sectaque ab Attalicis*] Ideò maximi pretii, quia de Attali triclinio. His etenim simulacris cariosis, & fatiscentibus, antiquitas tamen, & vetus possessor gratiam conciliabat. Nec statuis tantùm, sed & vasibus & poculis, gemmis eadem fuit æstimatio. Affero exempla; Horat. Sat 3. l. 2. Damasippum decoctorem ita loquentem inducit:

——— olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære.

En, Corinthiorum se studiosum fuisse testatur, eaque vasa diligenter conquisivisse, quibus Sisyphus antiquissimus Corinthi rex domestice usus esset. Juvenalis Sat. 6. ubi de mulierum immensâ cupiditate:

Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas notissimus, & Beronices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.

ubi velim observes, adamantem, licet per se pretiosum, in digito Beronices pretiosiorem factum. Martialis Epigramma 6. l. 8. totum huc pertinet, quod satis fuerit indicasse; Ibi acute dictum invenies versiculo 3.

Argenti furiosa sui cum stemmata narrat

idest nobilem scyphorum suorum originem. His adde Statium in Hercule Epitrapezio Nonii Vindicis, Ciceronem Actione 6. in Verrem.

v. 29. *utere causis*] Excusationes ad-

Major dilatâ nocte recurret amor.
Si tibi fortè comas vexaverit utilis ira,
Postmodò mercatâ pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerē promiseris empto,
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Jole tibi: tundat Amycle
Natalem Maijs Idibus esse tuum.
Supplex ille sedet, positâ tu scribe cathêdrâ
Quidlibet. has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Non te Medeæ delectent probra sequacis;
Nempe tulit fastus ausa rogare prior:
Sed potiùs mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica mœcha Getas.
In mores te verte viri. si cantica jactat,
I comes, & voces ebria junge tuas.

Ja-

OBSERVATIONES.

adhibe. Virg. 9. Æneidos:
— *CAUSAS nequidquam nectis inanes.*

Cæterùm lege Ovidium Amorum l. 1. Eleg. 8. quam ex Propertio, more pueri dictata excipientis, derivavit. vide & Lucianum in Dialogis Meretriciis.

v. 35. *Ingerat Apriles*] Quid hoc rei sit, explicat Index noster verbo *Apriles*.

v. 37. *Supplex ille sedet*] Subaudi: *ante fores.*

v. 38. *tenes*] Italicè: *hai nella rete il merlotto.*

v. 45. *Si cantica jactat*] Solent enim amatorculi passim cantitare, vocisque dulcedine se puellis commendare. Martialis in Cotilum Epig. 63. l. 3.

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines:
Balsama qui semper, cinnama semper oles:

CAN-

Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
  Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
  Nauta nec, attritâ si ferat æra manu:
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
  Cælati medio cum saliere foro.

Au-

OBSERVATIONES.

CANTICA qui Nili, qui Gaditana susurrat:
Qui movet in varios brachia volsa modos.

v. 49. *Nec tibi displiceat miles*] Quæstus meretricius omnino similis est spurcissimo illi vectigali, quod Vespasianus è lotio colligebat, de quo Svetonius in ejus vitâ c. 13. Elegantissimè autem Petronius Arbiter de mulieribus, vilissimum quemque hominem, veluti datâ operâ, ad Veneris luctam sceligentibus. *Quædam*, inqnit, *feminæ sordibus calent; nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut statores altiùs cinctos. Harenarius aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio scenæ ostentatione traductus.*

v. 52. *Cælati*] Apage Scaligerum cum suâ interpretatione, quid enim cretæ aut gypso cum cælaturis: Nec felicior vir quidam doctus, qui emendat *cretati*, consuetâ novandi audaciâ, cui semper advetsabor. Explico igitur de servis fugitivis, quibus in potestatem domini reversis fœda stigmata imprimebantur, ut similia molientibus exemplum essent. Horum *vultus inscriptos* vocat Plinius l. 18. c. 3. Rem verò graphicè ob oculos ponunt Valerius Maximus, & Petronius Arbiter citatus. Prior l. 6. Memorab. c. 8. *Servus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpiabilique litterarum nota per summam oris contumeliam inustus*. Posterior: *Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit*. Hæc inscriptio fiebat ferro candenti, ut liquet ex versiculo Næviano apud Priscianum l. 7.

Signare oportet frontem calida forcipe.

Inscribere, *signare*, *cælare* verba sunt prorsus affinia. At, inquies, cui bono venales prostabant hujusmodi furciferi? Responsio in promptu est: relegabantur in ergastula, ubi compedibus astricti fossuram exercebant; quod supplicium Horatius Davo minatur Sat. 7. l. 2.

recce-

Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum:
  Versibus auditis, quid nisi verba feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
  Ipsius tibi sit surda sine arte lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
  Utere, ne quis eat liber amore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
  Sub matutino cocta jacere Noto.
His animum nostræ dum versat Acanthis amicæ,
* * * * * *

Sed cape torquatæ, Venus ô regina, columbæ
  Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  Sputaque per dentes ire cruenta cavos;
Atque animã in tegetes putrẽ exspirare paternas
  Horruit algenti tegula curta foco.

Exe-

OBSERVATIONES.

accedes opera agro nona Sabino.

v. 62. Legitur hic vulgò spurius versiculus:

Per tenues ossa sunt numerata cutes

Qui quàm indignus Propertio sit, nemo non paulò elegantior videt.

v. 63. *torquatæ columbæ*] Quia scilicet columbarum colla diversos colores præteferunt Soli objecta, non secus ac si gemmeo monili cingerentur Describit Lucretius l. 2.

Pluma COLUMBARUM quo pacto in Sole videtur,
Quæ sita cervices circùm, collumque coronat.
Namque aliàs fit uti claro sit rubra pyropo:
Interdum quodam sensu fit, uti videatur
Inter cæruleum virides miscere smaragdos.

Votum autem suscipit Propertius; ut marcida & effeta vetula, nullo funeris honore, vilissimo, & injuriis prætereuntium obnoxio sepulcro condatur.

v. 68. *algenti foco*] Qualis pauperiorum esse solet. Contra Ti-

bul-

Exequiæ fuerint rari furtiva capilli
    Vincula, & immundo pallida mitra situ.
Et canis in nostros nimiùm experrecta dolores,
    Cum fallenda meo pollice claustra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
    Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustū cædito saxis,
    Mistaque cum saxis adjice verba mala.

ELE-

OBSERVATIONES.

bullus:

Dum meus exiguo luceat igne FOCUS.

v.69. *rari furtiva capilli vincula*] Comæ adscitæ, quas ideò *furtivas* poëta vocat, quòd eas morientibus adolescentulis abscinderent pessimæ veneficæ, calvo postea capiti adaptantes, & calamistro torquentes. Testis Lucanus l. 6. Pharsaliæ versu 562.

Illa genæ florem primævo corpore vulsit,
Illa comam læva morienti abscidit ephabo.

Quamquam non negaverim, ad alios etiam usus adhibitos à sagis defunctorum capillos. Facetè Horatius Sat. 8. l.1.

Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque videres.

v.71. *Et canis*] Consueverunt veteres, animalia, quibus aliquis dum viveret mirè delectaretur, circa defuncti rogum trucidare: Hoc elicio ex Plinio juniore Ep. ñ. 2.l.4. *Habebat*, inquit, *puer mannulos multos & vinctos, & solutos. habebat CANES majores minoresq; habebat luscinias, psittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit. nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris*. Cupit ergo Propertius, molestissimam catellam simul cum anu improbissimâ uno atque eodem igne absumi.

ELEGIA VI.

Sacrum, & solennes epulas instituit pro Actiacâ victoriâ, quam Augustus Cæsar de Antonio, & Cleopatrâ retulerat; eamque Phœbi auspiciis totam attribuit.

Sacra facit vates. sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costũ molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Spar-

OBSERVATIONES.

ELEG. VI. v. 5. *blandi thuris*] Hujus enim odoris jucundo suffitu mulceri putabant nares Deorum, ita ut eo litantibus omnia vel iniusta concessuri essent. Quam tamen impiorum fiduciam falsè perstringit Persius Sat. 2. Si quis eum adire velit, operæ pretium faciet.

v. 6. *laneus orbis*] Josephus Scaliger fatetur ignorare, quid per *orbem laneum* Propertius intelligat. Ratum hoc in tanto viro, & prodigii penè simile. Ego duplicem explicationem in medium affero; lectoris erit judicare, utra propius ad veritatem accedat. Primam suppeditat Virgilius in Pharmaceutriâ, ubi sic lego versu 64.

Effer aquam, & molli cinge hæc
altaria vitta.

Jam omnibus notum est, *focum* in altari fuisse. Quod autem *vitta mollis* laneam significet, clarum fit Theocritum legenti, & quidem in Pharmaceutriâ, cujus insequentem versiculum imitatus est Maro. στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ. *Atque hæc purpureæ tege pocula vellere LANÆ.* Deinde nomo lities potissimum est è lanæ characteribus; hinc Catullus de Nupt. Pelei:

Læva colum MOLLI LANA retinebat amictam.

& paulò post: *candentis mollia LANÆ vellera.* Juvenalis quoque Sat. 8. *Euganea quantumvis mollior agna;*

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aëre noxæ.
Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini reseramus Apollinis ædem;
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina; Cæsar
Dum canitur, quæso Jupiter ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Quà sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.

Huc

OBSERVATIONES.

agna; quia scilicet ovis lanigera. Alteram eruo ex Festo Pompeio, Varrone l. 6. de L. L. Svetonii Tranquilli fragmento de re vestiariâ, qui omnes ajunt in usu fuisse facta facientibus genus quoddam pilei lanati, metæ similitudine, cui nomen *tutulus*, à tuendo capite fortasse. *Orbem* igitur *laneum* potuit Propertius usurpare, pro sacerdote tutulato focum ter ambiente. Laneam coronam infra Eleg. 9. sacerdoti feminæ ab eodem poeta tributam invenio:

—— talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas.

Atque ejusdem videtur Tibullus meminisse Eleg. 5. l. 1. cum ait:

Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota novem Triviæ nocte silente dedi.

v. 10 *Pura novum*] Idest, aggredior opus hactenus intentatum. Ita l. 3. El. 1.

Primus ego ingredior PURO de fonte ——

v. 18. *Nautarum votis non operosa via*] Sententia est. Adeò tranquillè ibi pelagus jacet, ut nautæ necesse non habeant plurima vota suscipere, pro itineris felicitate. Ita Catullus c. 4. de phasello:

Neque ulla VOTA litoralibus Diis
Sibi esse facta, cum veniret à mare
Novissimo hunc ad usque limpidum
lacum.

 v. 19.

Hac mundi coiere manus, ftetit æquore moles
  Pinea, nec remis æqua favebat avis!
Altera claffis erat Teucro damnata Quirino;
  Pilaque femineâ turpiter acta manu.
Hinc Augufta ratis plenis Jovis omine velis,
  Signaque jam patriæ vincere docta fuæ.
Tandē acies geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum & radiis picta tremebat aqua:
Cum Phœbus linquens ftantem fe vindice Delon,
  (Nam tulit iratos mobilis una Notos)
Aftitit Augufti puppem fuper, & nova flamma
  Luxit in obliquam ter finuata facem.
Non ille attulerat crines in colla folutos,
  Aut teftudineæ carmen inerme lyræ:

Sed

OBSERVATIONES.

v. 19. *mundi manus*] Exercitus toto orbe collecti.

v. 20. *moles pinea*] Hoc dicit propter naves Antonii, quas immenfæ magnitudinis fuiffe teftatur Florus l. 4. c. 11. *Turribus*, inquit, *atque tabulatis allevatæ, caftellorum & urbium fpecie, non fine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur; quæ quidem ipfa MOLES exitio fuit.*

v. 21. *Teucro damnata Quirino*] Romanorum gladiis, & catenis deftinata æquè, ac victimæ facrificio. Virgilius 4. Æneid.

Nondum illi flavum Proferpina vertice crinem
Abftulerat, Stygioque caput DAMNAVERAT Orco.

Quirinum autem, five Romulum, appellatum à patribus Octavianum Cæfarem, jam pervulgata res eft.

v. 23. *plenis Jovis omine velis*] Aëris, & ventorum favore clementer promovente. Catul. citat. eodem carm. 4.

— five utrumque JUPITER
Simul fecundus incidiffet in pedem.

loquitur de pede velorum. Porrò Antonius adverfo cælo & pelago ufus eft, quod colligo ex verbis Apollinis ad Cæfarem infra:

Nec

Sed quali aspexit Pelopejũ Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, ô longâ mundi servator ab Albâ
Auguste, Hectoreis cognite major avis:
Vince mari, jam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ te nunc vindice freta
Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimiùm remis audent, proh turpe, Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quòd classis centenis remiget alis,
Terreat; invito labitur illa mari.
Quòdque vehũt proræ Centaurica saxa minântes,
Ti-

OBSERVATIONES.

Nec te, quòd classis centenis remiget alis,
Terreat; invito labitur illa mari.

V. 49. *Quòdque vehunt*] *Quòd* hìc ponitur pro *licet*. Supra Eleg. 1. l. 3.

QUOD non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes:
Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas:
Non operosa rigat Martius antra liquor,
At Musæ comites &c.

Et in carmine libero eodem pacto usurpatur:

QUOD sim ligneus, ut vides, Priapus,
Et falx lignea, ligneusque penis,
Prendam te tamen &c.

Adde Ovidium 7. Metamorph.

Pace Deæ, QUOD sit roseo spectabilis ore,

 QUOD

Tigna cava, & pictos experiare metus.
FRANGIT, & attollit vires in milite causa:
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest, committe rates; ego tēporis auctor
Ducam laurigerâ Julia rostra manu.

Di-

OBSERVATIONES.

QUOD teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis QUOD alatur aquis; ego Procrin amabam,
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.

Ibid. *Centaurica saxa*] Indicat insignia navium Antonianarum Centauros fuisse, qui magni ponderis lapides in obvios emissuri viderentur. Lege Ovidium 12. Metamorph. ubi pugnam Centaurorum cum Lapithis uberrimè describit. invenies monstra illa liminibus portarum, aris, quercubus è stirpe divulsis, rupium fragminibus in adversarios utentia. De hujusmodi navi accipio Maronem 5. Æneidos, versu 121.

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen,
CENTAURO invehitur magna —

v. 50. *Tigna cava, & pictos metus*] Q d. nihil continent horrendæ istæ imagines præter speciem, & vanum terrorem. *Picti metus* sunt puerorum terricula, & locutio sapit adagium. Egregiè Lucilius apud Lactantium de falsâ religione c. 22.

Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, & esse homines; & sic isti omnia ficta
Vera putant: credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula PICTORUM, veri nihil, omnia ficta.

v. 51. *Frangit, & attollit vires*] Ad hanc sententiam pertinet pulcherrimus Ciceronis locus Orat. 2. in Catilinam, ubi hortatur Quirites ad eius exercitum opprimendum. is talis est. *Sed si omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, eget ille, Senatu, Equitibus Romanis, populo, urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus: si, inquam, his rebus omissis, ipsas CAUSAS, quæ inter se confligunt, contendere velimus: ex eo ipso, quàm valdè illi jaceant intelligere possumus: ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido:*

de-

Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus;
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi: dat femina pœnas:
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum Deus, & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circa libera signa Deæ.
Illa petit Nilum cymbâ male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Dii meliùs. quantus mulier foret una triũphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias?
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quòd ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.

Bel-

OBSERVATIONES.

denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit.

v. 57. *fide Phœbi*] Patrocinio Apollinis. Catullus c. 34.

Dianæ sumus in FIDE
Puellæ, & pueri integri.

v. 58. *Sceptra per Ionias*] Huc pertinet, quod scribit Florus cit. c. 11. l. 4. *Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quàm post victoriam. Quippe immensa classis naufragio belli facto, toto mari ferebatur: Arabumque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram, aurumque in ripam assiduè mota ventis maria revomebant.*

v. 65. *quantus mulier foret una triumphus*] Propertius Augusto cupiens adulari, ait providentiâ Deorum factum, ut Cleopatra victoris catenas evasisset, aspidibus ad venas admotis: turpe enim tanto principi, ac simul populo Romano futurum fuisse, duci mulierem in triumphum, per easdem vias, quas Jugurtha Numidiæ rex

Bella satis cecini, citharam jam poscit Apollo
  Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
  Blanditæque fluant per mea colla rosæ:
Vinaque fundantur prælis elisa Falernis,
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
INGENIUM potis irritat Musa poëtis.
  Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros,
  Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat:
Hic referat sero confessum fœdere Parthum:
  Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista trophæa suos.

Gau-

OBSERVATIONES.

captivus calcaverat.

v.77. *paludosos Sicambros*] Ut ferè omnis Germania priscis temporibus, teste Pomponio Mela l. 3. c. 3.

v.82. *Differat in pueros i. t. s.*] Miro lepore dictum. Decet enim patres gloriæ filiorum prospicere, & quodammodò vires suas temperare, ne ipsi totum victoriarum cumulum exhauriant, nihil interim præclari facinoris sanguini suo reservantes. Quamobrem legimus Alexandrum, auditis Philippi patris victoriis, ex imo pectore suspiria solitum ducere, atque his verbis impatientis animi fervorem ostendere: Quid jam Alexandro superest agendum, cum omnia Philippus illi præripiat? Egregiè Plinius Trajani Paneg. c. 38. de Nervæ mitissimi principis in filium pietate: *Hactenùs ille: parciùs fortasse, quàm decuis optimum principem, sed non parciùs, quàm optimum patrem; qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi facit, quòd delibasse quædam, seu potiùs demonstrasse contentus, largam ac prope intactam benefaciendi materiam filio reservavit.*

ELEG.

Gaude Crasse, nigras si quid sapis inter arenas,
 Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem paterâ, sic ducam carmine, donec
 Injiciat radios in mea vina dies.

ELEGIA VII.

Ait sibi dormienti Cynthiæ jam demortuæ imaginem apparuisse, conquestamque, quòd ejus funus negligenter curasset, & quòd parùm pius erga defunctæ memoriam videretur: variis denique mandatis relictis, sub solis adventum, ad Elysios, unde pedem tulerat, revertisse.

SUnt aliquid manes: *letum non omnia finit*,
 Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
 Marmor ad extremæ nuper humata viæ:

Cum

OBSERVATIONES.

ELEG. VII. v. 3. *visa est incumbere fulcro*] Idem fermè narrat Alexander ab Alexandro Dierum Genialium l. 2. c. 9. accidisse familiari suo, gravioris ingenii, & præstantis doctrinæ viro, cum exequias amici celebrasset, & mox fatigatus cubitum se recepisset. Ejus verba non pigebit afferre, quòd mirè ad Propertium faciunt: *Cumque solus degeret, & adhuc vigilans foret, fert repentè amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo fermè habitu oris, quali illum cum ægrotaret, dimiserat, ad se accessisse: quem cum fuisset intuitus, & præ timore nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset, interrogavit. Ille autem cum nihil respondisset, exutis, ut videbatur, vestibus, in eodem quo ipse jacebat lectulo, se collocavit, ac prope accessit, quasi cum amplexibus petiturus foret.* Lege reliqua.

v. 11.

Cum mihi ab exequiis somnus penderet amaris,
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos. lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethæus triverat ora liquor:
Spirantesque animos, & vocem misit. at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus.
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
  In te etiam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburræ,
  Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi
Al-

OBSERVATIONES.

V. 11. *vocem misit*] Clamorem sustulit. Argumentum Amphitruonis Plautinæ:

Donec cum sonitu VOCE MISSA ex æthere
Adulterum se Jupiter confessus est.

Juvenalis 13. Sat. versu 113.

—— audis
Jupiter hæc, nec labra moves, cum MITTERE VOCEM
Debueras vel marmoreus, vel aheneus?

V. 12. *Pollicibus fragiles increpuere manus*] Hic *erat gestus componentium se ad dicendum*, ut allatis Petronii testimoniis rectè docuit Scaliger. Huc fortasse pertinent verba D. Hieronymi Epist. ad Rusticum Monachum, ubi de Grunnio quodam loquitur: *Testudineo incedebat ad eloquendum gradu, & per intervalla quædam vix pauca verba carpebat, ut eum putares singultire, non proloqui; & tamen cum mensa posita, librorum exposuisset struem, adducto supercilio, contractis naribus, ac fronte rugata, duobus DIGITULIS CONCREPABAT, hoc signo ad audientiam provocans.*

V. 17. *demisso fune*] Vestigiis Maronis insistit, qui 2. Æneidos:

—— cavo se robore promunt
Tisandrus, Sthenelusque duces, & dirus Ulysses
DEMISSUM lapsi per FUNEM ——

v. 21.

Alternâ veniens in tua colla manu!
Sæpe Venus trivio commiſſa, & pectore miſto
Fecerunt tepidas pallia noſtra vias.
Nec crepuit fixâ me propter arundine cuſtos,
Læſit & objectum tegula curta caput.
Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quiſquam inclinavit euntes.
Unum impetraſſem te revocante diem.
Denique quis noſtro curvum te funere vidit?

Atram

OBSERVATIONES.

v. 21. *Nec crepuit fixa*] Probo quidem Scaligeri lectionem *fixa*, ſed ejuſdem explicationi auſcultare non poſſum, cum planè aliena ſit à mente Propertii. Vult ille vir doctus intelligi vulneratum janitorem ex inſidiis ab amante. Quid eſt, quæſo, ex inſidiis oſtiarium ferire? num ſpiculis arundineis januam petere, quæ cratibus ligni tranſmiſſis imprudentem ſervulum configant? Meræ nugæ; unde enim tanta vis lacertis mollium amatorculorum? Recta igitur interpretatio fuerit, ſi fixam oſtio virgam intelligamus, cujus motu cuſtodes oſtiarii importunos aditu prohibere ſolebant. τὸ autem *crepuit*, ſibilum quaſſæ arundinis denotat. Petronius Arbiter hunc morem tangit alicubi, veluti obſervavit Janus Douza P. ad Tibullum: *ARUNDINEM*, inquit, *ab oſtio rapuit: iterumque nihil reſpondentem mulcavit. ac niſi primo ictu ARUNDO quaſſata verberantis impetum minuiſſet, forſitan etiam brachia mea, caputque fregiſſet.* Rapuitne ab oſtio? cur, niſi quia fixa?

v. 22. *tegula curta*] Quibus injuriis miſeri adoleſcentes obnoxii. Pyrrhus quoque poſt ingentes clades à Romanis acceptas *in Græciam regreſſus, dum Argos oppugnat, ictu TEGULÆ proſtratus eſt*. Auctor Sext. Aurel. Victor.

v. 26. *Impetraſſem*] Optativum eſt, ut infra · *at illud juſſiſſes*.

v. 27. *curvum*] In cadaver amicæ procumbentem.

v. 29.

Atram quis lacrymis incaluiſſe togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illud
Juſſiſſes, lectum lentiùs ire meum.
Cur ventos non ipſe rogis, ingrate, petiſti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam grave erat, nullâ mercede hyacinthos
Injicere, & fracto buſta piare cado?
Quæ modò per viles inſpecta eſt publica noctes,

Hæc

OBSERVATIONES.

V. 29. *portas ultra*] Nam extra urbem cremabantur defunctorum corpora, id jubente Lege 12. tabul. Quamobrem Tiberius, Tacito referente 1. Annal. fictæ moderationi ſtudens, *populum edicto monuit, ne, ut quondam nimiis ſtudiis funus Divi Julii turbaſſent; ita Auguſtum in foro potiùs, quàm in campo Martis ſede deſtinata cremari vellent.*

V. 31. *Cur ventos*] Attulit Scaliger inſignem Homeri locum ex Iliad. 23. ſed ſuo more Latinum facere neglexit. Dabo ego, interprete Eobano Heſſo:

Poſtquam omnem non poſſe pyram comprendere flammas
Senſerat Æacides, procul aſtans voce vocabat
Horriferum Boream, Zephyrumque immane ſonantem.
Sacra vovens, auroque effundens vina precatur,
Inſpirent animas igni, flammaſque cierent.

Valdè igitur ineptit Beroaldus, qui ait ventos ideò vocatos, ut ardentem rogum extinguerent, quo nihil deterius contra pietatem admitti potuiſſet.

V. 34. *fracto buſta piare cado*] Reliquias è rogo detractas vino irrigare. vide Tibullum Eleg. 2. l. 3. Vel rogum ipſum ardentem reſtinguere. Ad quem ritum nonnulli trahunt hos Catulli verſiculos è carm. 27.

Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ.

Cur *amariores*? quòd videlicet iis rogus eſſet reſtinguendus. Et propterea bibax illa Poſthumia malebat optimum vinum intra pectoris ſui penetrale recondere, quàm inani officio perdere.

V. 35. *inſpecta eſt publica*] *Inſpici* meretricum erat, quæ venales proſtabant, vel etiam ſub imperio lenonis conductitiæ. Acriter

P.

Hæc nunc auratâ cyclade ſignat humum :
Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta meâ eſt.
Noſtraq; quòd Petale tulit ad monumẽta corollas,
Codicis immundi vincula ſentit anus.
Cæditur & Lalage tortis ſuſpenſa capillis,
Per nomen quoniam eſt auſa rogare meum.
Lygdamus uratur, candeſcat lamina vernæ:
(Senſi ego, cum inſidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat verſuta ſalivas.
Ducet damnatas ignea teſta manus.

Te

OBSERVATIONES.

P. Vinitius apud Senecam Rhetorem, Controverſia 2. in virginem à piratis captam, & mox reverſam ſacerdotium petentem : *Nuda in litore ſtetit ad faſtidium emptoris : omnes partes corporis & INSPECTÆ, & contrectatæ ſunt.*

v. 36. *aurata cyclade ſignat humum*] Pulverem verrit ſyrmate matronali.

v. 37. *iniquis penſa quaſillis*] Dominæ olim ancillis quaſillariis (erat id viliſſimum genus mancipiorum) opus lanificii diurnum æquâ lance diſpenſabant : quod exacto die abſolutum repetebant, ad eamdem trutinam revocantes. At ſi fortaſse infelices mulierculæ aliquid peccaſſent, multò graviora penſa exhibere cogebantur, iis quæ recepiſſent. Hanc autem additionem factam exiſtimo de ancillarum peculio.

v. 43. *Lygdamus uratur*] Verba ſunt novæ amicæ, in ſervos crudeliſſimè debacchantis. Par eſt illud Juvenal. 6. Sat. *Pone crucem ſervo.*

v. 44. (*Senſi ego*] Parentheſis ex ore Cynthiæ : Ego, inquit, licet corpore disjuncta, ſævientem pellicem audivi, cum epuli feralis vinum occultè biberem.

v. 45. *Nomas*] Afra venefica, quam conſuluit Lygdamus de meo capite. Nomades Numidiæ populi, teſte Plinio l. 5. c. 3.

v. 46. *Ducet*] Senſim liquefaciet. Ad hoc ſupplicii genus videtur Propertius animum adhibuiſſe, cum ita Eleg. 13. l. 2. μετωφερικῶς :

Men-

Te patiente meæ conflavit imaginis aurum,
Ardenti è nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti,
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet:

Me

OBSERVATIONES.

Mentiri noctem, promissis DUCERE amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.

v. 51. *nulli revocabile carmen*] Nescio quid in mentem venerit Heinsio legitimam & verissimam lectionem oblinere, spuriam hanc substituendo: *nulli revolubile stamen*. Debuit sanè vir doctus meminisse, Catullum, Tibullum, Ovidium ita prorsus locutos, cum sermo esset de fato & Parcis. Prior carm. 63. versu 330.

Hæ tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt CARMINE FATA.

Alter Eleg. 8. l. 1.

Hunc CECINERE diem Parcæ FATALIA nentes
Stamina, non ulli dissoluenda Deo.

Ultimus denique Tristium 5. Eleg. 3.

An dominæ FATI quidquid CECINERE sorores,
Omne sub arbitrio desinit esse Dei?

ubique fit cantus mentio. Adde quòd scriptoribus optimis, Livio cumprimis, *carmen* est formula quædam legis, pœnam delinquentibus prænuntians. Is ita lib. 1. Historiarum. *Lex horrendi CARMINIS hæc erat: DUUMVIRI PERDUELLIONEM JUDICENT, &c.* Idem l. 10. *Jurare cogebatur quodam CARMINE in exsecrationem capitis, & stirpis composito.* Nunc intelliges, cur poëtæ *canere* pro *minari* sæpe usurpent. Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Et CANIT eventus, quos Dea magna monet:
Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigeris; labentur opes &c.

Propertius verò Eleg. 22. l. 3.

Has tibi FATALES CECINIT mea pagina diras.
Eventum formæ disce timere tuæ.

Time igitur, mi lector, quoties Critici acutiores ea, quæ noctu somniarunt, mane tibi obtrudere conantur.

Me servasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpē sortita per amnem,
Turbaque diversâ remigat omnis aquâ.
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, altera Cressæ
Portat mentitæ lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phasello,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Quà numerosa fides, quâque æra rotūda Cybelles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris,
Andromedeque, & Hypermnestre sine fraude maritæ,
Narrant historiæ corpora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
In scelus hoc animum non valuisse suum.

Sic

OBSERVATIONES.

v. 53. *Si fallo*] Si pejero. supra Eleg. 15. l. 2.

Ossa tibi JURO per matris, & ossa parentis,
(SI FALLO, cinis heu sit mihi uterque gravis)

infra Eleg. 11.

Ipsa loquor pro me. SI FALLO, pœna sororum,
Infelix humeros urgeat urna meos.

v. 55. *sortita*] Παθητικῶς; id est, quam umbræ sortiuntur.

v. 58. *mentitæ lignea monstra bovis*] Pasiphaën horrendo tauri concubitu infamem.

v. 61. *Qua numerosa fides*] Quà plures chordæ musicæ.

v. 64. *historiæ corpora nota suæ*] Summam gestorum suorum. Ego minimâ licentiâ legerem: *Narrant historiæ corpora nota sua*, id est pulchritudinem corporum suorum historiis pervulgatam. Sed non ausim; metuo enim eâ censu-

râ

Sic mortis lacrymis vitæ ſanamus amores.
Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus, ſi fortè moveris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid deſideret annis
Parthenie. patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab uſu eſt,
Ne ſpeculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoſcumque meo feciſti nomine verſus,
Ure mihi: laudes deſine habere meas.
Pelle ederâ tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
Mollia contortis alligat oſſa comis.
Ramoſis Anio quà pomifer incubat arvis,
Et numquam Herculeo numine pallet ebur:
Hoc carmen mediâ dignum me ſcribe columnâ,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:

HIC.

OBSERVATIONES.

ſâ notari, quâ ſæpe alios caſtigo.

v.72. *Chloridos herba*] Incantamenta, quibus te Chloris in amorem ſui pellicit. Supra Eleg 4. l. 3.

Non me moribus illa, ſed HERBIS improba vicit.

v.75. *Latris, cui nomen ab uſu eſt*] V. Indicem noſtrum ſuo loco

v.82. *Et numquam Herculeo &c.*] Optimè Beroaldus meo iudicio: *Quia*, inquit, *aer Tiburtinus credebatur rebus præſtare candorem*, & confirmat Martialis verſibus:

Tibur in Herculeum migravit fuſca Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Quibus adjungas licet Epigramma 13. l. 7.

Dum Tiburtinis albeſcere ſolibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris EBUR,
Venit in HERCULEOS colles. quid Tiburis alti
Aura valet! parvo tempore nigra redit.

Non erat *ebur* ſcilicet Lycoris.

v.87.

HIC. TIBVRTINA. IACET. AVREA. CYNTHIA. TERRA.
ACCESSIT. RIPAE. LAVS. ANIENE. TVAE.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis;
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur: nox clausas liberat umbras,
Errat & abjectâ Cerberus ipse serâ.
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti.
Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ, mox sola tenebo.
Mecum eris, & mistis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querulâ mecũ sub voce peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

ELE-

OBSERVATIONES.

v.87. *piis venientia somnia portis*] Quod nonnulli garriunt de geminis somni portis apud Maronem, minùs placet. Piæ portæ Propertio sunt illæ, per quas justorum umbris ad Elysios aditus patet Omnino legendus Valerius Flaccus 1. Argonauticon in calce, ubi latè illas describit.

v.88. *pia somnia*] Hæc Persius 2. Sat. vocat *pituita purgatissima*.

v.91. *Luce jubent leges*] Adventante Aurorá nocturni lemures diffugiunt, quasi proximi Solis radios perferre nequeant. Ex hac opinione Virgilius Æneid. 5. inducit umbram Anchisæ à filio discedentem his verbis:

Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.

Dixerat, & tenues fugit, ceu fumus, in auras.

Elegia VIII.

Cynthiâ vocantibus negotiis Lanuvium profectâ, ubi Draco ille fatalis, narrat se cum duabus meretriculis voluptati operam dare constituisse, at subito dominæ adventu deprensos omnes probè vapulasse: tandem se certis legibus acceptis in gratiam rediisse.

Disce quid Esquilias hâc nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,

Hìc,

OBSERVATIONES.

ELEG. VIII. v. 1. *Disce quid Esquilias*] Pessimè olim indocti homines Elegiam hanc lepidissimam in duo frusta dissecuerunt: quorum alteri principium esset ab illis: *Phyllis Aventinæ &c.* non advertentes hìc mentionem fieri de habitatoribus Esquiliinis, nocturnæ rixæ strepitu excitatis, cuius caussam se narraturum lectori promittit, nec ante narrat, quàm & Cynthiæ profectionem Lanuvium versùs, & obiter Draconis historiam absolverit. Infra tandem versu 59. postquàm jocosæ Tragœdiæ summam exsecutus est, subdit:

Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis & insana semita nocte sonat.

Ut nemini jam dubium esse possit, posteriora illa cum superioribus continuari oportere.

v. 3. *vetus est tutela*] Non quòd Lanuvini Draconem tuerentur, sed magis quòd Draco Lanuvinos. Auctor obscœni carminis:

Est TUTELA Rhodos beata Solis.

Ibid. *Draconis*] Ælianus disertissimè rem totam explicat lib. 11. de Animal. c. 16. Eius autem Græca verba cum à Scaligero allata videam, reliquum est mihi, ut versionem Conradi Gesneri diligenter transcribam, præcipuè in gratiam illorum, qui Græcè nesciunt. *Cæterùm*, inquit Ælianus, *in Lavinio sacer est lucus, magnus & opacus, juxtaque ipsum ædes Junonis Argolidis. In eodem luco latibulum est amplum ac profundum, DRACONIS cubile. In lucum quotannis VIRGINES certis diebus ingrediuntur,*

Hic, ubi Tartareæ non perit hora moræ.
Quà sacer abripitur cæco descensus hjatu,
Quà penetrat virgo (tale iter omne cave)
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, & ex imâ sibila torquet humo.

Ta-

OBSERVATIONES.

tur, quæ mazam gestant manibus, oculos fasciis devinctæ. Eas rectà ad latibulum divinus quidam spiritus deducit. Progrediuntur illæ sensim, ac pedetentim sine offensione, ac si detectis oculis viderent. Quòd SI VIRGINES FUERINT, cibos tanquam puros, & Deo gratæ animanti convenientes, admittit DRACO: sin minùs, non attingit, corruptas esse intelligens, & divinans. formicæ verò hanc relictam ab illo mazam minutatim confractam, ut levius ferant, è luco exportant, expurgandi gratia loci. Hoc cum fit, ab indigenis animadvertitur, & quæ ingressæ fuerint judicantur, examinanturque, & cujus pudicitiam esse violatam constiterit, pœna legibus constituta plectitur. Neminem verò movere debet, ab Æliano Draconem istum in Lavinii luco collocari, quem Propertius Lanuvinum autumat; si quidem Lavinium & Lanuvium verbo discrepant, re unum & idem sunt oppidum, ut rectè cit. Scaliger contra nonnullos, qui aliter sentiunt. Sanè in CODD. Valerii Maximi l. 1. c. 6. legitur: *Cum Lavinii sacrificium facere vellet*, sed in quibusdam: *Cum Lanuvii*; fortasse quòd una urbs duplici nomine gauderet, nec librarii magnum delictum committere arbitrarentur hac mutatione. Omnia omnium adversariorum argumenta infringit locus Æliani, quem turpiter memoriâ lapsum judicare animus reformidat.

v. 4. *Hic, ubi*] δεικτικῶς Etenim Lavinium, seu Lanuvium 15. ferre milibus passuum Româ distabat. Virgil. Eclogâ 3. *Aut HIC ad veteres fagos*. Cæterùm vetsum depravavit Beroaldus, cum in antiquis libris ita sit conceptus.

Hic, ubi tam raræ non perit hora moræ.

Lectio Propertio dignissima, quem scimus frequentissimè uti adverbio *tam*. Ait autem poëta Draconem ibi perpetuò commorari, nec umquam vel minimum horæ spatium abesse. *Rara mora*, est domicilium illustre, celebris habitatio. Idem Eleg. 17. l. 1.

Quamvis dura, tamen RARA puella fuit.

v. 6. *tale iter omne cave*] Exclamatio frigentis præ horrore, cuinsmo di

Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas à virgine corripit escas.
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ, fertilis annus erit.
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis;
Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia dic quæso quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcanâ sonuit cum rixa tabernâ:
Si sine me, famæ non sine labe meæ.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit
Ausa per impuros fræna movere locos.

Stri-

OBSERVATIONES.

modi plures apud Maronem, veluti Georg. 3.

Dii meliora piis, erroremque hostibus illum.

Æneid 3. *Dii TALEM terris avertite pestem.*

v. 9. *pallent*] Quæ sibi consciæ sunt secreti stupri; vel simplicius, quia timidæ, ut mulieres omnes.

v. 10. *anguineo*] Catullus de Nupt. Pelei ac Thetidos:

Eumenides, quibus ANGUINEO redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras.

v. 11. *escas*] Mazam, de quâ Ælianus. Fuit autem placenta ex farinâ, oleo, & aquâ, teste Svidâ.

v. 13. *Si fuerint castæ*] Deest alterum divisionis membrum: *& si pollutæ reperiuntur, cervicem securi supponunt*, vel quippiam simile.

v. 16. *Causa fuit Juno, sed mage causa Venus*] Cynthia quidem Lanuvium profecta est ad visendum templum Sospitæ Junonis: at hæc potissima causa non fuit, cur tantum itineris capesseret; amoribus enim suis magis inserviebat, quàm religioni.

v. 21. *primo temone*] Scamno equis proximo, ubi sedent aurigæ. Phædrus fab. 6. l. 3.

Sed

Striga, nam capto volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes.
Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro toties injuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ,
Sobria grata parum;cum bibit,omne decet.
Altera Tarpejos est inter Teïa lucos,
Candida, sed potæ non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,

Et

OBSERVATIONES.

Sed istum timeo, sellæ qui PRIMA SEDENS
Jugum flagello temperas lento meum.
Et lora frænis contines spumantibus.

v. 23. *Striga*] Verba Cynthiæ ad rhedarium. De his consule Scaligerum. Vult autem puella equos interquiescere, ut postea majori celeritate assequantur luxuriosi, & delicatuli decoctoris carpenta. Nos Galli Cisalpini dicimus *alto, alto*.

v. 25. *venalia fata saginæ*] Qui ob victum quæritandum lanistæ se tradet. Gladiatores autem epulis largioribus distendebantur, ad corporis vires augendas. Inde Tacitus in libris Historiarum: *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tamquam gladiatorium SAGINAM, dividebat*. Et Manilius planè in Propertii sententiam l. 4. Astronom.

Nunc caput in mortem VENDUNT, & funus arenæ.

v. 26. *Vincet ubi erasas*] Cum, ætatis flore dilabente, novaculæ diligentiam eludet pilus quotidiè succrescens. Huc mirificè pertinet locus Persii, muliebre id hominum genus vellicantis 4. Sat.

Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

v. 33. *vocatis*] Ad cænam invitatis. Catul. c. 47.

Quærunt in triviis VOCATIONES.

Et Venere ignotâ furta novare mea.
Unus erat tribus in secretâ lectulus herbâ.
Quæris concubitus? inter utramque fui.

Lyg-

OBSERVATIONES.

v. 35. *tribus in secreta lectulus herba*] Scaliger hic nescio quod adagium somniat, sed re verâ torus discubitorius fuit, in horti angulo compositus. Constat enim, Esquilias industriâ Mæcenatis pomariis, & amœnis nemoribus consitas: cum antea squallerent sepulcretis. Porrò convivia sub arborum umbris celebrari solita innuit Propertius ipse Eleg. 6. hujus libri:

Candida nunc molli subeant convivia luco.

& Horat. Od. 11. l. 2.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temerè, & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti? ——

Adde quòd numerus trinus legitimus erat implendo toro, ut videre est apud auctores, qui de triclinio scripserunt: quamobrem idem Horatius Sat. 4. l. 1. sordibus tribuere videtur, plures uno in lectulo constipare:

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

clarius verò Tullius in Pisonem: *nihil* inquit *apud hunc lautum, nihil elegans....... Græci quini stipati in lectulis, sæpe plures.* Si quis velit intelligere torum ipsum ex herbâ constructum, habet quo tueatur opinionem suam, calculum videlicet Maronis ac Tibulli. Prior Æneid. 5. ita:

Proximus ut viridante toro consederat HERBÆ.

Alter Eleg. 5 l. 2.

At sibi quisque dapes, & festas exstruet altè
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

His Apuleium adjungere poterit l. 5. Milesiarum fabellarum: *Psyche teneris, & herbosis locis, in ipso toro roscidi graminis suave recubans.* Quin Propertium inveniet sibi facem præluxisse Eleg. 11. l. 3. hoc versiculo:

Altaque nativo creverat HERBA toro.

v. 36. *Quæris concubitus?*] Hæc quoque Veneris bella in pratis, & silvis non rarò exercita. Petronius testis: *In hoc gramine pariter compositi mille osculis lusimus, quærentes voluptatem robustam.* Nec aliovorsum tendunt querelæ Narcissi 3. Metamorph.

Ecquis, io, silvæ crudeliùs, inquit, amavit?
Scitis enim, & multis latebra opportuna fuistis.

v. 37.

Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,
 Et Methymnæi Grajæ saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Philis,
 Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus & ipse suos breviter contractus in artus,
 Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
 Decidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoq; per talos Venerē quærente secundos,
 Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora cæco.
 Lanuvii ad portas heu mihi solus eram:

Cum

OBSERVATIONES.

v. 37. *Lygdamus ad cyathos*] Pincerna, cujus erat merum postulantibus miscere. Ita Horatius Ode 29. l. 1.

Puer quis ex aula capillis
Ad CYATHUM statuetur unctis?

Juvenalis Sat. 13. v. 43.

Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
AD CYATHOS ——

Svetonius in Julio c. 49. *Sed C. Memmius etiam AD CYATHUM & vinum Nicomedi stetisse objecit, cum reliquis exoletis.*

v. 38. *Graja saliva meri*] Salivam pro sapore usurpat, quemadmodum Persius 6. Sat.

Nec tenuem solers turdorum nosse SALIVAM.

v 45. *per talos*] Tali adhibiti à potoribus frequenter. Inde Auctor Copæ:

Pone merum, & TALOS: pereat qui crastina curat.

Eorum jactu symposiarches creatus, ut liquet ex Horatio Ode 4 l. 1.

Nec regna vini sortiere TALIS.

Qua propter egimus apud Plautum Curcul. *jacto basilicum*, idest Venerem, cujus adminiculo convivii præfectura obtinetur.

v. 48. *Lanuvii ad portas*] Mente ferebat Lanuvium, ubi amores mei. Ita Gallus Virgilianus animo sequitur Lycoridem, Antonii castra secutam:

Nunc insanus Amor duri me Martis in armis,

Te-

Cum subitò rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta lares.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mî digitos inter cecidere remissos,
Pallueruntque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, & quantùm femina sævit.
Spectaclum captâ nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ungues:
Territa vicinas Teïa clamat aquas.

Lu-

OBSERVATIONES.

Tela inter media, atque adversos detinet hostes.

Quod Tibullus fatetur sibi usuvenisse Eleg. 6. l. 1.

Sæpe aliam tenui, sed jam cum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruitque Venus.

Lucretius l. 4. attingit rationem, quare id fiat:

Nam si abest, quod ames: præstò simulacra tamen sunt
Illius, & nomen dulce obversatur ad aures.

Valdè ridiculus est Rhodiginus, qui Propertium ad obscœnitatem trahere conatur; fingamus enim à poëtis quandoque muliebria *portas* vocari, quid agendum postea de Lanuvio? His tamen erroribus campum aperuit inepta hujus Elegiæ divisio.

v. 53. *Pocula mi digitos*] Subito pavore consternati hominis mira descriptio. Arbitror Persium hinc mutuatum esse, quæ habet Sat. 3. hujusmodi:

Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria LABRIS.

Simul confer, germana sunt. Quamvis iste de Apoplexiâ loquatur.

v. 58. *Teja clamat aquas*] Locus obscurus, ut ingenuè fatear, quem tamen triplici ratione explicare contendam. *Clamat aquas*, i. e. Nymphas & numina fontium invocat, ut à se furorem Cynthiæ sævientis avertant. Vel rivulum obstare conqueritur, quo prohibita nequeat jam ulteriùs retrocede-

re.

Lumina ſopitos turbant elata Quirites,
Omnis & inſanâ ſemita nocte ſonat.
Illas direptiſque comis, tuniciſque ſolutis,
Excipit obſcuræ prima taberna viæ.
Cynthia in exuviis gaudet, victrixque recurrit,
Et mea perversâ ſauciat ora manu:
Imponitque notam collo, morſuque cruentat,
Præcipuéque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam noſtris laſſavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra ſiniſtra jacens
Exuitur, geniumque meum proſtratus adorat.
Lygdame nil potui, tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Cum vix tangendos præbuit illa pedes.

At-

OBSERVATIONES.

re. Supra enim poëta *Esquilias aquoſas* appellavit. Vel, quod veriſſimum arbitror, ut inquilinos regionis ad ſibi ferendas ſuppetias undique cogat, aquis opus eſſe fingit ad ſubitum incendium reſtinguendum. Ut in hanc ſententiam pedibus eam, facit locus Apuleii 4. lib. Metamorph. ubi Lamachi latronis exitium deſcribit: *Sed dudum ſcilicet omnium bipedum nequiſſimus Chryſeros vigilans & ſingula rerum ſentiens, lenem gradum & obnixum ſilentium tolerans, paulatim adrepit: grandique clavo manum ducis noſtri repentè niſu fortiſſimo ad oſtii tabulam affigit, & exitiabili nexu patibulatum relinquens, gurguſtioli ſui tectum aſcendit: atque indè contentiſſima voce CLAMITANS rogansque VICINOS, & unumquemque proprio nomine ciens, & ſalutis communis admonens, diffamat INCENDIO repentino domum ſuam poſſideri*.

V. 69. *Exuitur*] Ad ſervilia verbera nudatur.

Ibid. *geniumque meum proſtratus adorat*] Orat me per genium meum, ut ſibi opem feram in caſu noviſſimo.

v. 78.

Atque ait: Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe, quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompejâ spatiabere cultus in umbrâ,
Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrũ,
Aut lectica tuæ sudet aperta moræ.
Lygdamus in primis omnis mihi causa querelæ
Væneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi ego, legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locũ externæ tetigere puellæ,
Suffocat, & purâ limina tergit aquâ.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulphuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto
Respondi; & toto solvimus arma toro.

ELE-

OBSERVATIONES.

v. 78. *lectica tuæ sudet aperta moræ*] Lecticam accipit pro servis lecticariis, qui fatigantur, dum amator puellam inclusam per fenestram alloquitur: nam interea ipsi stare coguntur magno cum labore. Hos loquendi modos Propertio familiares nemo ignorat.

v. 80. *Væneat, & pedibus vincula bina trahat*] Servi nequam pessimis conditionibus non rarò in emptoris manum dabantur, puta ut duriùs haberentur, ne umquam liberi fierent, ne ad urbis pomœrium accederent, ut opus facerent in ergastulo: quæ abundè tractant Jurisconsulti Digest. l. 18. tit. 7. *De servis exportandis.*

v. 88. *Respondi*] Iterum promisi, me desertorem fidei non amplius futurum.

ELEG.

ELEGIA IX.

Narrat, Herculem Caco latrone interempto, ut exortam sitim expleret, arcanum quoddam fœminarum sacrum, quæ ipsi haustum aquæ negaverant, violasse, aramque maximam ibidem fundasse.

AMphitryoniades quâ tempestate juvencos
  Egerat à stabulis, ô Erithea, tuis,
Venit ad invictos pecorosa Palatia montes,
  Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Quà Velabra suo stagnabant flumine; quàque
  Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
  Incolumes; furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
  Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
  Aversos caudâ traxit in antra boves.
Nec sine teste Deo; furem sonuere juvenci,
  Furis & implacidas diruit ira fores.
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
  Cacus, & Alcides sic ait, Ite boves,
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ,
  Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boves:
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
  Nobile erit Romæ pascua nostra forum.

Di-

Dixerat, & ficco torret fitis ora palato,
Terraque non ullas fœta miniftrat aquas.
Sed procul inclufas audit ridere puellas.
Lucus ab umbrofo fecerat orbe nemus,
Femineæ loca claufa Deæ, fontefque piandos,
Impunè & nullis facra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ:
Putris odorato luxerat igne cafa.
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in ficcam congefto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora Deo:
Vos precor ô luci facro quæ luditis antro,
Pandite defeffis hofpita fana viris.
Fontis egens erro, circoque fonantia lymphis,
Et cava fufcepto flumine palma fat eft.
Audiftifne aliquem, tergo qui fuftulit orbem?
Ille

OBSERVATIONES.

ELEG. IX. v. 25. *Femineæ loca claufa Deæ*] Bonam Deam tantâ fuperftitione mulieres colebant, ut imagines mafculini fexus velamine operirent, non modò viros univerfos à templi limine arcerent. Clodius tamen libidine incenfus pfaltriæ habitu fumpto ad Pompeiam Cæfaris uxorem conftuprandam illuc penetravit. Facetè Juvenalis 6. Sat.

——— fed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quæ pfaltria penem
Majorem, quàm fint duo Cæfaris Anticatones,
Illuc, tefticuli fibi confcius unde fugit mus,
Intulerit: ubi velari pictura jubetur,
Quæcunque alterius fexus imitata figuram eft.

v. 38.

Ille ego sum. Alcidem terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?
Et numquam ad natas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
* * * * * *
Quòd si Junoni sacrum faceretis amaræ,
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setæque leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidoniâ feci servilia pallâ
Officia, & Lydâ pensa diurna colo:
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides. at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis hospes, lucòque abscede verendo:
Cede agedum, & tutâ limina linque fugâ.
Interdicta viris metuendâ lege piatur,
Quæ se summotâ vindicat ara casâ.

Ma-

OBSERVATIONES.

v.38. *terra recepta*] A latronibus, & monstris in pacem libertatemque vindicata. Sallust. Catilin. *Postquam L.Sulla, armis RECEPTA Republica, bonis initiis malos eventus habuit.* Cicero de Senect. *Tarentum verò qua vigilantia, quo consilio RECEPIT!*

v.41. *uni Stygias*] Falsum hoc, nam & Orpheus, & Theseus inferos adierunt; nisi fortè Alcides ante omnes.

v.50. *apta puella*] Vide quæ de voce *aptus* observamus ad carm. 28. Catul.

v.53. *Parce oculis*] Tibul. Eleg. 2.l.1 *Parcite luminibus.*

v.56. *summota*] Male mutat Heinsius:

Quæ se se almota vindicat ara sera.

Sum-

Magnò Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum positâ Gorgone membra lavat.
Dii tibi dent alios fontes, hæc lympha puellis
Avia secreti liminis una fuit.
Sic anus. ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia jura labris:
Angulus hic mundi nũc me mea fata trahentẽ
Accipit, hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus devota est ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus,
Hæc nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte velis libro dexter inesse meo.

Hunc

OBSERVATIONES.

Summota casa, est à viâ publicâ procul sita. Supra:

Devia punicea velabant limina vittæ.

V. 57. *Magnò Tiresias aspexit Pallada*] Divina Lipsii conjectura, cum antea legeretur *magnam*, frigidè admodùm, & imperfecto sensu. Callimachus Εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος nos dubitare non sinit de veritate hujus lectionis, cum ab illo Propertius fabulam derivaverit. Sunt autem verba Calimachi:

Ὅς κε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Quicumque aliquem immortalium viderit, quandò ipse Deus noluerit, eumdem videat magna mercede.

V. 62. *sitim*] Herculem sitientem.

V. 67. *gregibus devota est ara repertis*] Quam parenti vovi, si greges reperissem.

V. 71. *Sancte pater*] *Sanctus* propria Herculis denominatio. Phædrus fab. 4. l. 6.

Quidam immolasset verrem cum

SAN-

Hunc quoniã manibus purgatum sanxerat orbẽ,
Sic sanctum Tatii composuere Cures.

ELEGIA X.

Cur Jupiter Feretrius nominatus; & qui Romani Imperatores, occisis hostium ducibus, opima spolia reportaverint.

NUnc Jovis incipiam causas aperire Feretrî,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.
NON juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu Romule palmæ
Hujus, & exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Ceninum Acronă petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Ceninâ ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Jupiter, hæc hodiè tibi victima corruet Acron.
Voverat, & spolium corruit ille Jovi.

Ur-

OBSERVATIONES.

SANCTO HERCULI. ad quem locum Rigaltius affert antiquam inscriptionẽ hujusmodi:

HERCULI. SANCTO. SAC.
P. POMPONIUS. NOETUS.
VOTUM. SOLVIT.

ELEG-

Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,
  Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques & frænis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsutâ compta lupina jubâ.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo;
  Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis cæde Tolumnî,
  Vincere cum Vejos posse laboris erat.
Nec dũ ultra Tiberim belli sonus, ultima præda
  Nomentum, & captæ jugera pauca Coræ.
Et Veii veteres, & Volscûm regna fuistis,
  Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
  Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.
Fortè super portæ dux Veius adstitit arcem,
  Colloquiumque suâ fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
  Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cos-

OBSERVATIONES.

ELEG. X. v.18. *aprico lare*] Indicat, Romulum Penates Deos non in Lararío habuisse; at sub dio coluisse.

v.29 *lenti*] Feriati, seu ab opere cessantis. Virg. Eclogâ 1.

—— *tu Tityre LENTUS in umbra.*

v.34. *Vineaque inductum*] Hoc genus machinæ graphicè describit Vegetius l.4. c. 15. *Vineas*, inquit, *dixerunt veteres, quas nunc Barbaro militarique, vocabulo Causias vocant: E lignis levioribus machina colligitur, alta pedibus octo, lata septem, longa sedecim. Hujus tectum duplici munitione, tabulatis cratibusque contexitur: latera quoque, vimine sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur.*

Cum

Cossus ait: Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit uterque gradu.
Dii Latias juvere manus; desecta Tolumnî
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius à Rheno trajectos arcuit hostes
Belligerans. vasti parma relata ducis
Virdomari. genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis,
Torquis ab incisâ decidit unca gulâ.
Nunc spolia in tẽplo tria condita;causa Feretrî,
Omine quòd certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretrî dicta est ara superba Jovis.

ELE-

OBSERVATIONES.

Cum plures factæ fuerint, jũguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Igitur *vinea longa* Propertio, sunt plures hujuscemodi machinæ in ordinem junctæ.

V.42. *gesa*] Missilia Gallis usitatissima. Digni sunt, qui ad hunc locum legantur Virgilii versus 8. Æneidos:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
VIRGATIS lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quisque Alpina coruscant
GESA manu, scutis protecti corpora longis.

Reges autem è quadrigâ pugnasse, nemo est, qui nesciat.

ELEGIA XI.

Corneliæ Romanæ matronæ, Paulo censori nuptæ, umbram loquentem inducit. Ea primùm solatur maritum, ne lugeat, quòd Orcus non flectatur precibus, & quòd ipsa egregiam de se famam reliquerit, natalium, conjugii, morumque dignitate percelebris: deinde prolem Paulo commendat: postremò liberos, & filiam suarum partium sigillatim commonet.

DEsine Paule meum lacrymis urgere sepulcrũ,
  Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
  Nempe tuas lacrymas litora surda bibent.
Vota movent superos; ubi portitor æra recepit,
Ob-

OBSERVATIONES.

ELEG. XI. v. 1. *Desine*] Verbum solenne consolantibus. Horatius Ode 9. l. 2. *DESINE mollium tandem querelarum*. Sibylla ad Palinurum 6. Æneidos:

DESINE fata Deum flecti sperare precando,
Sed cape dicta memor duri solatia casus.

Tibullus variavit Eleg. 9. l. 1.

Desistas lacrymare puer, non flectitur illa.

Ibid. *lacrymis urgere sepulcrum*] Cum veteres levem terram optarent ossibus defunctorum, admone. Paulum Cornelia, ne uberrimo fletu gravare velit uxorium tumulum; quæ verissima est interpretatio. Omni humorum generi suum pondus inest, præcipuè verò lacrymis. idcircò Ovid. Epist. Ariadnæ:

Et tunicas lacrymis, sicut ab imbre, graves.

v. 8.

Obſerat umbroſos lurida porta rogos.
Sic mœſtæ cecinere tubæ, cum ſubdita noſtrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Pauli, quid currus avorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?
Num minùs immites habui Cornelia Parcas?
En ſum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quæcumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater hìc umbræ mollia jura meæ.

Aut

OBSERVATIONES.

v. 8. *rogos*] Libentiùs legerem *locos*, ut videtur ſententia poſtulare.

v. 9 *Sic mæſtæ*] Ita viſi ſunt cecinisse tubicines, quaſi Plutonis præcones.

v. 14. *quod digitis quinque levatur onus*] Non audiendus Meurſius, qui ait, feminarum funus inter manus latum hac potiſſimùm de cauſâ, quòd nollent viri muliebrem ſexum ne quidem in morte ſibi ſuperiorem eſſe. Gerræ maximæ; nam & virorum illuſtrium cineres hoc ritu geſtatos novimus, puta Germanici ab Agrippina, ut Corn. Tacitus initio 3. Annalium poſteris tradidit: & Septimii Severi à Coſs. Herodiano auctore cap. 1. l. 4.

v. 17. *non noxia*] Crediderim à Virgilio deſumptum, qui ex ore Turni 12. Æneid.

—— vos o mihi Manes
Eſte boni, quoniam Superis averſa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque iſtius inſcia culpæ
Deſcendam, magnorum haud umquam indignus avorum.

v. 18. *Det pater*] Plutonem intelligit regem inferorum. Valerius Flaccus 1. Argon. verſu 827.

Cardine ſub noſtro, rebuſque abſciſſa ſupernis.
Tartarei ſedet aula PATRIS ——

Juris autem Plutonici disertè meminit Papinius 8. Thebaid. in oratione Amphiarai. Plures verſus adſcribam, quia mirè faciunt ad illuſtrandum Propertium:

Si licet, & ſanctis hìc ora reſolvere fas eſt

Aut si quis positâ judex sedet Æacus urnâ,
In mea sortitâ judicet ossa pilâ.
Assideant fratres: juxta Minoia sella, &
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces, taceant Ixionis orbes,
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodiè petat improbus umbras,
Et jaceat tacitâ lapsa catena serâ.

Ipsa

OBSERVATIONES.

Manibus, O cunctis finitor maxime rerum,
At mihi, qui quondam causas, elementaque noram,
Et sator: oro, minas, stimulataque corda remulce,
Neve ira dignare hominem, & tua JURA timentem.

Ubi velim advertas, à doctissimo augure Plutonem vocari *rerum satorem*, quòd existimarent antiqui sapientes, infinitum illud Chaos, unde mundus emerserat juxta ipsorum opinionem, latere adhuc in Tartari fundamentis, & priore absorptâ materiâ novas rerum formas posse producere. Hinc sequitur apud Valerium loco citato:

Ingenti jacet ore Chaos, quod pondere fessam
Materiem, lapsumque queat consumere mundum.

Claudianus pariter l. 2. in Rufinum, Rhadamantum ita loquentem inducit:

——— agitate flagellis
Trans Styga, trans Erebum. vacuo mandate Barathro
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos, quà noctis opacæ
Fundamenta latent ———

v. 19. *Si quis*] Absolutè, pro *qui*, ut sæpe aliàs.

v. 20. *sortita pila*] Nomina judicum pilulis inscribi solebant, atque in urnam conjecta deinceps extrahi; sic autem forte ducti sententiam ferebant. Vide Asconium Pedianum in orationem Cic. pro Milone.

v. 21. *fratres*] Minos, & Rhadamantus.

v. 22. *foro*] Claudianus cit. *Stygiique negotia solvit dura FORI.*

v. 29.

Ipsa loquor pro me. si fallo, pœna sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita trophæa decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas:
Jungor, Paule, tuo sic discessura cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos;
Sub quorum titulis Africa tanta jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos.

Me

OBSERVATIONES.

v. 29. *per avita trophæa*] Similis est locutio illa Eleg. 7. l. 3.

Atque onerare tuam fixa PER arma domum.

v. 31. *Altera maternos*] Ovidius 13. Metamorph. ubi de Ulyssis genere, hoc Distichon expressit:

Est quoque per MATREM Cyllenius addita nobis
ALTERA nobilitas: Deus est in UTROQUE parente.

v. 39. *Et Persen proavi*] Freinshemius ad Curtium l. 4. c. 6. monet, hunc versiculum ita legendum:

Et Persen proavo stimulantem pectus Achille.

Quæ lectio valdè placet, sunt enim exempla majorum acres ad virtutem stimuli. Egregiè, ut omnia, Maro Æneidos 12.

Tu facito mox, cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, atque animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

v. 40. *proavus*] Publius Scipio Æmilianus, Pauli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, qui, teste Aurelio Victore, *victum Persen tam pertinaciter persecutus est, ut media nocte in castra redierit*. Constat igitur, Æmiliam gentem Corneliæ familiæ ope

ado-

Me neque censuræ legem mollisse, nec ullâ
  Labe meâ vestros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
  Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est.
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mî natura dedit leges à sanguine ductas,
  Nec possim melior judicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat urna tabellas,
  Turpior assessu non erit ulla meo:
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybellen,
  Claudia turritæ rara ministra Deæ:
Vel cui commissos cum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput mater Scribonia læsi.
  In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
  Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.

Ille

OBSERVATIONES.

adoptionis insertam fuisse.

v. 50. *Turpior assessu*] Castissimis quibuslibet feminis assidere possum, absque illarum pudore. Supra Eleg. 19. l. 2. ad Cynthiam:

Et tibi Mæonias inter Heroidas omnes
Primus eris, nulla non tribuente, locus.

v. 54. *Exhibuit vivos*] Historiam prolixè narrat Dionysius Halicarnassæus l. 2. brevius Valerius Maximus l. 1. c. 1. his verbis: *Maximæ verò virginis Æmiliæ discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ numen præstitit; quâ adorante, cum CARBASUM, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit.*

v. 56. *In me mutatum*] Fortunis meis plurimum defuit, pudicitiæ nihil. Euripides Alcestide: Σώφρων

μὲν

Ille sua natâ dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Te Lepide, & te Paule meum post fata levamen
(Condita sunt vestro lumina nostra sinu)
Vidimus, & fratrem sellam geminasse curulem:
Consule quo facto, tempore rapta soror.
Et bene habet. numquam mater lugubria sumpsi.
Venit in exequias tota caterva meas.
Nunc tibi commendo communia pignora natos;
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus pater: illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.

Os-

OBSERVATIONES.

μῆ οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως: *Non quidem castior, sed fortasse felicior.*

v. 59. *Ille sua nata*] Dictitat Augustus me dignam fuisse, quam ipse filiam sortitus esset, Juliæque suæ sororem germanam.

v. 62. *rapina*] Παθητικῶς, hoc est: nec rapta sum de domo sterili. Festus Pompejus: *RAPI simulatur virgo ex gremio matris: aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Adeundus Livius lib. 1. de raptu Sabinarum. Catullus hunc morem attigit c. 60. Hymenæum alloquens: *Qui RAPIS teneram ad virum Virginem.*

v. 63. *Te Lepide, & te Paule*] Nomina filiorum, quos ex Paulo censore Cornelia peperit.

v. 64. *sinu*] Veste in sinum collectâ.

v. 66. *tempore*] Opportunè, tempestivè. Cicero Act. 4. in Verrem n. 89. *Satis putabat se ad comitia TEMPORE venturum.* Idem ad familiares l. 7. Epist. 18. *Ego enim renovabo commendationem, sed TEMPORE.*

v. 89.

Oſcula cum dederis tua flentibus, adjice matris ;
 Tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.
Et ſi quid doliturus eris ſine teſtibus illis,
 Cum venient, ſiccis oſcula falle genis.
Sat tibi ſint noctes, quas de me, Paule, fatiges:
 Somniaque in faciem credita ſæpe meam.
Atque ubi ſecretò noſtra ad ſimulacra loquêris,
 Ut reſponſuræ ſingula verba jace.
Seu tamen adverſum mutarit janua lectum,
 Sederit & noſtro cauta noverca toro:
Conjugium, pueri, laudate, & ferte paternum.
 Capta dabit veſtris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
 Vertet in offenſas libera verba ſuas.
Seu memor ille meâ contentus manſerit umbrâ,
 Et tanti cineres duxerit eſſe meos:
Diſcite venturam jam nunc ſentire ſenectam,
 Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.

Quòd

OBSERVATIONES.

v.80. *ſingula verba jace*] Noſter Eleg. 1. l. 2.

Taliaque illacrymans mutæ JACE VERBA favillæ.

v.81. *Seu tamen adverſum*] Omninò videndus Juſtus Lipſius Electorum l.2. cap.17. Domum ingrediente novâ nuptâ, lectus in atrio ſternebatur è regione januæ, ſuper quo ſedentes matres familias operam lanificio navabant: at repudiatâ, vel mortuâ conjuge, ſi maritus aliam duxiſſet, lectus ipſe mutabatur.

v.90. *nec vacet ulla via*] Nullum officium prætermittite, quod pietati veſtræ in parentem cœlibem convenire videatur. *Viam* pro modo & ratione uſurpavit etiam Terentius Eunucho Act.2. Sc.2.

Hoc novum eſt aucupium: ego adeo hanc primus inveni VIAM.

v. 95.

Quod mihi detractũ eſt, veſtros accedat ad annos,
  Prole meâ Paulum ſic juvat eſſe ſenem.
Filia tu ſpecimen cenſuræ nacta paternæ,
  Fac teneas unum nos imitata virum;
Et ſerie fulcite genus. mihi cymba volenti
  Solvitur, aucturis tot mea fata malis.
Hæc eſt feminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Cauſa perorata eſt. flentes me ſurgite teſtes,
  Dum pretium vitæ grata rependit humus,

Mo-

OBSERVATIONES.

v. 95. *mihi cymba volenti ſolvitur*] Lubens Charontis ratem ingredior, omni turbâ meorum ſuperſtite, nec expe ta ſenecturis tædia. Penes Franciſcum Petrarcham Etruſcorũ poëtarũ elegantiſſimũ, ita Mors hortatu Lauram ſingulari formâ & caſtitate puellam:

Se uel conſiglio mio punto ti fidi,
Che sforzar poſſo, egl'e pure il migliore
Fuggir vecchiezza, e ſuoi molti faſtidi.

v. 96. *aucturis tot mea fata malis*] Quippe ſi longius vitam produxiſſem, fortaſſe mariti, filiorum, cognatorum obitus, vel infortunia cernere mihi contigiſſet, adeoque miſerior tãdem ad Orci ſtagna migraſſem. Facit Juvenalis inſignis locus 10. Sat. verſu 240.

Ut vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum, rogus aſpiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diù viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & pulla veſte ſeneſcant.

v. 98. *libera fama*] Nec metu, nec adulatione deterrita. Corn. Tacitus 1. Annalium: *Tiberii, Caiique & Claudii ac Neronis res florentibus ipſis ob metum falſæ, poſtquam occiderunt recentibus odiis compoſitæ ſunt.*

v. 99. *ſurgite*] Sedentes enim flebant, ut docemus ad Eleg. 7. l. 2. Tibulli verſu 15.

v. 100. *grata rependit humus*] Plinius

Moribus & cælum patuit. sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

OBSERVATIONES.

nius hanc terræ benignitatem summis laudibus extollit l. 2. c. 63. *Novissimè*, inquit, *complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè, ut mater, operiens: nullo magis sacramento, quàm quo nos quoque sacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, & memoriam extendens contra brevitatem ævi.*

v. 101. *Moribus & cælum patuit*] Ridicula Ethnicorum superstitio hominem è quatuor partibus constare putavit, videlicet Carne, Spiritu, Manibus, Umbrâ, & harum unicuique post mortem certum domicilium esse. Vide Ciceronem in somnio Scipionis, & in eum Macrobii Commentarium.

v. 102. *Cujus honoratis ossa vehantur equis*] Matronalis funeris pompam intellige, non dissimilem triumpho; quod Josepho Scaligero placuisse video, & confirmant superiora:

Hæc est feminei merces extrema triumphi.

Ad hunc ritum quoquo modo illustrandum faciunt ea, quæ narrat Svetonius de Claudio c. 11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit. parentibus inferias publicas, & hoc ampliùs, patri Circenses annuos natali die, matri carpentum, quo per Circum duceretur, & cognomen Augustæ ab avia recusatum.* Malè igitur quidam legunt *aquis*, vel *avis*.

FINIS.

Μόνῳ τῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα.

Præ-

Prætermissa, & suis locis inserenda.

AD CATULL.

CARM. X. v. 22. *Fractum qui veteris pedem grabati &c.*] Simile illud Apuleii lib. 1. Asini aurei: *GRABATULUS alioqui breviculus, & uno PEDE mutilus ac putris, impetus tanti violentia prosternitur.*

CARM. XLII. v. 16. *ruborem Ferreo canis exprimamus ore*] Isaacus Vossius nimis aberrat à sententiæ simplicitate, dum ita explicat: *Forsan id ita accipiendum, ac si dixisset fidiculis exprimamus. Notum enim canem vel catellum esse vinculi genus. Os canis* Catullo idem est, quod Græcis κυνῶπις, sive *impudens & perfrictæ frontis*; ducta metaphora ab eo genere animalium, quæ passim & in quadriviis coëunt. *Ruborem* igitur *exprimere ferreo canis ore*, est inverecundam feminam, si non ad reddenda pugillaria, saltem ad aliquam faciei mutationem, conviciis & clamoribus adigere. Dixerat verò supra: *Ridentem CATULIORE Gallicani*

AD TIBULL.

ELEG. III. l. 1. v. 90. *Sed videar cælo missus adesse tibi*] Minutius Felix eo Dialogo, quem Octavium inscripsit: *In hodiernum*, ait, *inopinatè visos, CÆLO MISSOS: ignobiles & ignotos, terræ filios vocamus.* Ipse Tibullus lib. 4. carm. 13.

Nunc licet è CÆLO MITTATUR amica Tibullo,
Mittetur frustra &c.

ELEG. III. l. 2. v. 7. *Agricolæque modo*] i. e. ritu & consuetudine agresti. Eodem pacto Plautus Amphitruone Act. 1. Sc. 1.

Nos nostras MORE nostro, & MODO instruximus legiones.

Terentius pariter Andriæ Act. 1. Sc. 1.

Prope adest, cum alieno MORE vivendum est mihi:
Sine, nunc meo me vivere interea MODO.

Horatius denique, ut jam docti viri observarunt, Ode 2. l. 4.

—— apis Matinæ
MORE MODOQUE &c

ELEG. IV. l. 2. v. 2. *libertas illa paterna*] Cicero pro Quintio edit. Caroli Stephani n 6. ubi de Sex. Nævii moribus loquitur: *cum ei natura nihil melius quàm vocem dedisset, PATER nihil præter LIBERTATEM reliquisset, vocem in quæstum contulit, libertate usus est, quo impunius dicax esset.*

ELEG. V. l. 2. v. 91. *natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet*] Apuleius l. 6. Metamorph. *Jupiter PRENSA Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consuaviat.*

CARM. I. l. 4. v. 77. *Non amor, & fecunda Atlantidos arva Calypsus*] post *vi inertes*. Auget suspicionem

Sy-

Solinus cap. 3. Polyhistoris. *Quamvis*, inquit, *Trogus auctor affirmet, in Ægypto septenos uno utero simul gigni. Quod ibi minùs mirum, cum fœtifero potu Nilus, non tantùm terrarum, sed & hominum FECUNDET ARVA.*

AD PROPERT.

ELEG. IV. l. 1. v. 24. *Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.*] Octavius Minutii Felicis ridiculam hanc superstitionem ita carpit: *Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhærentem, sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento die in LAPIDES eum patiaris impingere effigiatos sanè, & unctos, & coronatos.*

ELEG. XVI. l. 2. v. 81. *Tu loqueris?*] Petron. Satyr. *At illa complosis manibus, Scelerate, inquit, etiam LOQUERIS?*

ELEG. IV. l. 4. v. 46. *lacrymis spargitur ara meis*] Non dubito, quin Propertius ante oculos habuerit, cum hæc scriberet, orationem M. Tullii pro Fonteio, in cujus calce hæc leguntur quàm simillima: *Nolite pati judices aras Deorum immortalium Vestæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoveri. Prospicite, ne IGNIS ille æternus nocturnis Fonteja laboribus vigiliisque servatus, sacerdotis Vestæ LACRYMIS EXTINCTUS esse dicatur.*

Cum

Cum à Typographo admonitus essem, pagellas aliquot vacuas futuras, visum est mibi, ut ad illas explendas breve hoc poetici studii nostri specimen adjungerem; quod si non omnino injucundum fuisse intellexero, fortasse alia nonnulla, quæ in scriniis delitescunt, lectoribus meis olim permittere audebo.

Rusticæ, tranquillæque vitæ desiderium.

Elegia.

SI Fortuna mihi, vultu blandita sereno,
  Deferat arbitrii vela regenda sui;
Non ego divitiis optem superare beatos,
  Libera non Indi sceptra tenere maris:
Invidiam fugisse velim, curisque solutus
  Vertere privato jugera pauca bove:
Et modò pastorum calamos æquare canendo,
  Et modò gramineo flectere membra toro.
Aspiciam presso surgentes vomere glebas,
  Cum properat durum fortis arator opus.
Nostraque sit fœtam segetem tondere voluptas,
  Qualibet æstivum nube tegente diem.
Et religem sectos agresti more maniplos.
  Hæc fuerat priscis gloria Consulibus.
Illic non pudeat, desit si fortè minister,
  Condita sordenti promere vina cado.
Illic, dum puro niteat mihi mensa salino,
  Fictilibus cœnem dulce libenter olus.
Ante focum sedeam turbâ vallatus amicâ,
  Frigus, & hibernas fallere doctus aquas.

Vil-

Villica lanificos deducat pollice fusos;
  Sopitæque fluant mollia pensa manu.
Tunc placeat largo crateras vertere Baccho,
  Omnibus, & regem ducere forte merì.
Felices, quibus ista licent, quos ambitus urbis
  Non capit, aut multo limina trita pede.
Hos nec sollicitos auri malesana cupîdo,
  Nec tumidum salsis fluctibus æquor habet.
Ignorant cædes, ignorant Martia castra,
  Quæque sonant rauco vendita verba foro.
Hi commune trahunt Diis immortalibus ævum;
  Si tamen Admeti pavit Apollo greges:
Et soror occultos nemorum Dictynna recessus
  Incolit, errantes usque secuta feras.
Tu quoque, flava Ceres, parci tutela coloni;
  Temporaque incinctus vite Bimater ades.
Capripedes adsunt Fauni, Satyrique bicornes;
  Et Nymphæ Arcadio grata rapina Deo.
Quique solet molles hortis defendere fures
  Turgidus, & sævâ non modò falce minax.
Terminus accedit dubii finitor agelli,
  Factaque de querno stipite magna Pales.
Dicitur & volucer villas habitare Cupîdo,
  Mutet ubi pennas, & sua tela novet.
Dire puer, nigro quid fœda mapalia fumo;
  Quid miseri agricolæ juncea tecta subis?
Hìc labor insanas depellit pectore curas,
  Otia nec blandis artibus apta vides.
Hìc tenuis victus, hìc usti solibus artus,
  Hìc riget æstivo pulvere densa coma.
Nil agis. auratas aliò converte sagittas,
  Cordaque deliciis pervia quære tuis.

Mil-

Mille patent aditus, ubi cultu forma paratur,
Torquet ubi lautos femina compta viros:
Et laxant animos epulæ, rebusque secundis
Discurrit mediâ candidus urbe jocus.
Me sine securis tranquillum vivere silvis.
En vetus innatâ vix cute vulnus hiat.
Ah memini, cum plaga recens, rudibusque medullis
Ignotus nitido venit ab ore furor,
Pertulerim quantos insomnis nocte dolores,
Quotque pererratæ sint mihi luce viæ.
Mitiùs inclusos urebant æra Perilli,
Sævit montani mitior ira lupi,
Quàm tua tartareo cuspis medicata veneno,
Et solitæ mœsto crescere ab imbre faces.
Ad laqueos mage cautus ero. quæ retia fugit,
Eminus insidias provida sentit avis.
Sit mihi, Pegasides, vestros haurire liquores,
Et de Pierio carpere serta jugo.
Nec terrent dumeta, & inhospita lustra ferarum;
Præruptumque favor Numinis æquat iter.
O utinam talem detur deducere vitam,
Et moveant faciles vota modesta Deos!
Interea Spes alma sedet, creditque futurum;
Exploransque oculis, crastina fata manet.



INDEX LOCUTIONUM
FERÈ OMNIUM,

Quæ in contextu Catulli, Tibulli, & Propertii reperiuntur.

Adiectæ sunt, ubi oportuit, explicationes

Grammaticæ, Historicæ, Geographicæ, ac Mythologicæ.

OPUS
A JO. ANTONIO VULPIO

J.U.D. summâ industriâ, & labore concinnatum, maximoque horum poëtarum studiosis usui futurum.

Littera C. Catullum, T. Tibullum, P. Propertium denotat.

Ad Catullum prior numerus carmen, secundus versiculum: Ad reliquos duos primus librum, alter Elegiam, tertius versum indicat.

INDEX IN CATUL.

A

advet-

ce

amori

angui-

cu-

ara-

Argus

INDEX IN CATUL.

arte

astra

aura-

bom-

C

cęca-

Cano-

castra

cera

chry-

colum-

con-

copia

cuca-

DA-

Dianæ

dives

Duli-

Rus-

fortia

G

Gallus

Grajæ

va-

Hip-

I

Idæi

 im-

Ju-

lym-

mala

manus

mi-

multis

Ne-

lon-

lym-

mi-

multis

Ne-

DO-

num-

ocu-

ostrini

peni-

penitus crudelior. P.1,16,17.
pennis felicibus *in lucem* editus, *i. e. bonis avibus natus.* P.3, 8, 11.
PENSA carpere. P.3,4,15. trahere. P.3,9,20.
penſa caſtrenſia laborare, *i.e. lacernam texere militarem.* P.4, 3, 33.
penſa diurna facere. P.4,9,48.
penſa graviora rependere iniquis quaſillis. P.4,7, 37. *v. obſerv.*
penſis affixa puella. T.1, 3, 87.
penſis iniquis famulam onerare. P.3, 13, 5.
penſis manum lanificam imponere. T.2,1,10.
Penthesilea, *Amazonum regina, Troianorum auxiliaria, ab Achille occiſa.* Mæotis, *i.e. Scythica.* P.3,9,14.
Pentheus *Thebanus, qui ſacra Bacchi irridens, à matre, duabuſque materteris aprum venari putantibus miſerè diſcerptus eſt.* P.3,6,24. 3,15,24. 3,20, 33. *v.* Agave.
PER artem agitare ſaxa. P.3,1,43.
per cauſſam aliquid agere. *i.e. conſilio ſuo extersus aliquid prætendere.* T. 1, 7, 26.
per has manus, *i.e. ope harum manuũ.* P.4,9,68.
per jocum atque vinum. C.50,6.
per oculos ſuos jurare & c. T.3, 6, 47. *v.* jurare.
per ora, *i.e. ante conſpectum.* P.3,11,12.
per ſe pati, *i.e. propriis viribus.* P.2,23, 49.
per te, *i.e. opera tua.* P.2,7,14.
peræquè. P.2,19,9.
peragere *aliquid* ſub voce querula. P.4,7,95.
perambulare cubilia. *in obſcœnis.* C. 29, 8.
perdepſere. *in obſcœnis* C. 73, 3.
perdere pectus ferro, & veneno. P.2, 23, 13.
perditus in quadam. P.1,13,7.
perditè amare. C.45,3.
peregrina munera. P.1,2, 4.
perfidia, *pro mendacio.* C.63,322.
Pergama, *i.e. muri Troiani.* P.2, 1, 21. 2,2,45. manu Apollinis conſtructa. P.3, 7, 39.
Pergamea mala. P.3, 11, 64.
Pergamea vates, *i.e. Caſſandra Priami filia.* P.4,1,51.
perhoſpita. T.4,1, 143.
periculo demitti. P.2,19,59.
pericula viæ maritimæ, ac terreſtris. P.2,18,64.
pericula geminare. T.1,6, 21.
Perillus *faber, qui Phalaridi Agrigenti tyranno taurum aneum formavit, quo incluſi rei torquerentur igne ſuppoſito. Ob id à rege damnatus, uti primus omnium ſuum opus imbueret.* P. 2, 17, 52.
Perimedea manus, *i. e. Perimedis Ulyſſis ſocii, quem Circe unà cum aliis in feram convertit.* P.2,1,74.
perire, *pro deperire, ſive amare.* P.2,12, 13. 2,17,27. C.45, 5.
peream, ſi me iſta movent diſpendia. P. 2, 16, 63.
pereant ſilvæ. T.4, 3, 6.
peritum facere. P.1,9,7.
periuri amantes. P.2,13, 47.
periuria verbis revocare. P.1,15, 25.
permenſo lucis tempore defungi. T. 3, 3, 9.
Permeſſus, *Bœotia fluvius, Muſis ſacer.* P.2,8,30.
perniciter. C.61, 8.
Pero, *Nelei filia.* P.2,2,17. *v.* Melampus.
Perrhebus Pindus. P.3,3,55. *v.* Pindus.
perſedere. P.3,10,37.
Perſephone, *regina inferorum, eadem quæ Proſerpina.* T.3,5,5. P.2,19,45.
Perſephonæ dona ferre. P.2,10, 25.
perſequi pœnis. T.1,9,28.
Perſes, *pro Perſeo rege Macedonum, de quo L. Æmilius Paulus triumphavit.* P.4,11,39.
Perſeus, *Jovis & Danaes filius, qui pedibus pennas geſtans, Andromeden à ceto, cui obiecta fuerat, liberavit, uxoremque duxit.* *v.* Andromede, Meduſa. C.55, 25.
Perſei ala. P.2,21, 56.
Perſei uxor. P.2,19,22.
Perſea manus. P.3,20, 8.
Perſis, *regio Aſiæ, terrarum quondam*

pla-

popu-

pre-

pro-

Q

quæ-

quod-

R

RE-

Ro-

ſan-

tæ-

Solis

ſte-

ſub-

ſua

tor-

tutus

V

i 4 P. 2,

vesci

Uly-

F I N I S.

Excer-

Excerpta è Bibliotheca Latina Jo. Alberti Fabricii V. C. impressa Hamburgi, An. 1708. 8. Sumptu Beniamini Schilleri. è C. 5. l. 1. p. 50.

C. VALERIUS CATULLUS.

Catulli ætas. 1. *Carmina.* 2. *reperta à Francisco quodam Veronensi.* 3. *Divisio in libros.* 4. *Editiones una cum Tibullo & Propertio sine notis.* 5. *cum notis.* 6. *Editiones Catulli separatim illustrati.* 7. *Alia scripta Catullo lucem afferentia.* 8. *Malè ad Catullum referuntur Ciris & pervigilium Veneris.* 9. *Catulli carmina deperdita.* 10.

I. C. VALERIUS CATULLUS (a) natus Anno V.C.DCLXVIII. claro genere in peninsula Sirmione lacus Benaci in agro Veronensi; Poeta lepidus, & prisca suavitate venustus, at salibus admistis passim, quod merito fugias, obscœnis. Hinc, veluti à nequitiis, *docti* nomen tulisse Barthio visus lib. 52. c. 16. Advers.

(a) *Quintum* pro *Caio* vocant nonnulli Catulli Codices, & Plinii XXXVII. 6. atque cum his Josephus Scaliger. Sed *Caium* cum Apuleio in Apologia & S. Hieronymo in Chron. Is. Vossius. Alius certe *Q. Catullus* fuit, cujus integrum nomen *Q. Lucatius Catullus*, mimographus, de quo videndus Scholiastes ad Juvenal. VIII. 185. ad verba: *clamosum ageres ut phasma Catulli.* & ad XIII. 109. Q. Catulli Epigramma è Callimachi Epig. XLIII. suaviter expressum refert Gellius XIX. 9. quod incipit: *Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotimum.* Omitto Cinnam Catullum Stoicum, quem audivit M. Antoninus Imperator teste Capitolino in Marci vita, c. 3. Nam & illius verum nomen Catulus erat, ut constat ex M. Antonini lib. 1. sect. 13.

verſ. Sapphonis non infelix imitator. Obiit Romæ, cum jam Julii Cęſaris magna eſſet in Rep. auctoritas, (*b*) circa annum U.C. DCCV. quo bellum civile Pompejo ac Reip. funeſtum cœpit anno ante natum CHRISTUM XLIX.

II. Exſtat ejus *Liber Epigrammatum*, *variorumque Poematum* diverſo carminis genere ſcriptorum, dicatus Cornelio Nepoti. In hoc libro occurrunt etiam num. LXII. LXIII. LXV. Epithalamia quædam perquam amœna & ſeculare carmen, (*c*) atque nonnulla è Sapphone (*d*) verſa ac (*e*) Callimacho. Tum Elegia qua fratris Troade Bithyniæ defuncti mortem (*f*) molliſſimo affectu luget. Denique Galliambi (*g*) in Atyn.

III. Catulli quæ habemus, in Gallia primum reperta fuiſſe, idque eum ipſum, qui publicavit, Epigrammate ſcripto eſſe teſtatum, notat Joſephus Scaliger. *At enim qui*

(*b*) Quod Catullus Cęſarem quoque ſupervixerit, contendit Joſephus Scaliger ad Euſebii num. MDCCCCLX. aſſentiente Is. Caſaubono ad Svetonii Cęſarem cap. 73. ſed vide quæſo, quæ contra illam ſententiam diſputat Is. Voſſius ad Catullum p. 35. 72. 81. ſeq. & 317. Petrus item Bælius in Lexico. Quod verò Martialis IV. 14. ſcripſit,

Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

hoc non ita poteſt intelligi, ac ſi revera ad Virgilium carmina ſua vel carmen de paſſere miſerit Catullus, nam alioqui non dixiſſet Martialis, *ſic forſan:* ſed quod Martialis ſua voluerit Epigrammata cum Catullianis, & Silium, ad quem ſcribit, comparare cum Marone; licet accurate loquendo non jam ita claruerit Virgilius cum Catullus ſcriberet, ut ad eum miſiſſe carmina ſua credi poſſit. Sed quantacunque etiam deinde fuit Virgilii fama, non dubitaſſet forte Catullus ſi tum vixiſſet, paſſerem ſuum illi jocoſque mittere. Ita Martialis quoque Epigrammata ſua ait ſe offerre Silio.

(*c*) Carmen XXXV. p. 80. edit. Is. Voſſii, quamquam ſæculare eſſe carmen negat Jo. Taffinus libro de ludis ſæcularibus cap. 16.

(*d*) p. 112. carmen LII. confer Longinum Jac. Tollii p. 76.

(*e*) Coma Beronices. p. 253. eſt carmen LXVII.

(*f*) Carmine LXIX. ad Manlium. p. 278. edit. Is. Voſſii.

(*g*) Carmine LXIV.

qui Epigramma conscripsit, Baptista Guarinus Veronensis est, uti patet in veteri editione Catulli qua apud me est, ubi legitur Hexasthicum Guarini Veronensis Oratoris clarissimi in libellum Valerii Catulli, ejus Concivis:

Ad patriam venio longis de finibus exsul,
Causa mei reditus compatriota fuit.
Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen,
Quique notat turbæ prætereuntis iter.
Quo licet ingenio vestrum celebrate Catullum,
Quoius sub modio clausa papyrus erat.

Neque vero ille versus:Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen, *aliam interpretationem recipit, quam a Francisco quodam repertum alicubi, & forte in horreo codicem Catulli*. Hæc Laurentius Pignorius, Epist. XVI.

IV. Catulli Poemata in *libros tres* dividi, lyricorum unum, alterum elegiarum & tertium Epigrammatum scribit Petrus Crinitus in Poetæ vita, hæc enim distinctio apparet in editione Veneta 1487.fol. cum commentariis *Antonii Parthenii Lasicii* Veronensis. Verum in M. S. antiquis codicibus, quemadmodum in eximio illo membranaceo quem in Bibliotheca Gudiana inspexi, neutiquam reperitur, atque recte in reliquis fere omnibus editionibus omissa est, etiam in Veneta anno 1493 fol. apud Simonem Bevilaquam Papiensem, in qua Tibullus primo loco cum commentariis Bernardini Veronensis, Catullus deinde cum Parthenii, & denique Propertius cum Phil. Beroaldi exhibetur. Repetita editio cum commentariis *Palladii Fusci Patavini*, *Alex. Guarini Ferrariensis*, & emendationibus *Hieron. Avantii*, in Catullum. Venet. 1500. fol.

V. Sæpius deinde hi amorum triumviri *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius* coniunctim prodierunt, *sine notis* quidem Venetiis apud Aldum, 1502. 8. & 1515. 8.

k Pa-

Paris. 1529. 8.
Basil. 1530. 8. 1569. 8.

Antwerpiæ 1560. 12. e recensione *G. Canteri* ap. Plantin. &c.

Lugd. Batav. 1588. 12.

Lugd. 1559. 8. 1594. 12. & apud Gryph. 1546. 1551. 1573. cum *Galli* fragmentis. 12.

Basil. 1592. 8.

Hanoviæ 1608. cum *Corn. Galli* poematis, & indice omnium verborum, quem concinnavit *Horatius Tuscanella* Florentinus.

Amsterod. 1619. 1630. 1664. 1670. 1686. forma minore.

Parisiis e typographia Regia, typis majoribus, fol.

Cum variis Lect. Cantabrig. 1702. 4. eximia editio.

VI. *Cum notis M. Antonii Mureti.* Lugd. 1559. 8. Venetiis 1558. & 1562. 8.

Cum Commentario erudito *Josephi Scaligeri*. Parisiis 1577. 8. apud Patissonium.

Heidelb. ap. Comelin. 1600. 8.

Cum notis Mureti & Scaligeri. Antw. 1582. 8.

Cum præcidaneis *Jani Dousæ* pro Catullo & coniectaneis *Jani Dousæ filii* in Catull. Tibull. Propert. & *Patris* paralipomenis in Propertium. Lugd. Batav. 1588. 1592. 12.

Cum notis variorum, Paris. 1604. fol. curante Fed. Morello, qua in editione exstant notæ integræ *ad Catullum* quidem Antonii Parthenii, Palladii Fusci, Achillis Statii, Mureti, Dousæ Fil Josephi Scaligeri, & Theodori Marcilii, Roberti item Titii prælectiones in carmen LXIV. & Francisci Robortelli ac Constantini Landi, Complani Comitis, in Epithalamium Juliæ & Manlii (LXII.) Florentis quoque Christiani Metaphrasis Græca

ea Carminis LXIII. cum notis. Præterea *ad Tibullum* Bernardini Cyllenii Veronensis, Achillis Statii, Mureti, Scaligeri, & Dousæ Fil. Denique *in Propertium* Philippi Beroaldi, Mureti, Dousæ Patris, Filiique, & Josephi Scaligeri, tum Jo Annii in Propert. IV. 2. Subiiciuntur quoque Dousæ præcidanea & succidanea in Catull. Tibull. Propert. & Hieronymi Avantii Veronensis in Catullum emendationes.

Cum eximio *Jo. Passeratii* commentario, Paris. 1608. fol.

Cum *Jani Gebhardi* notis. Hanoviæ. 1618. 8.

Cum notis Jani Gebhardi & Joannis Livineii, Francofurti 1621. 8. addito *Jani Meleagri* Spicilegio & indice Tuscanellæ.

Cum interpretatione Gallica prosaria *Michaelis de Marolles*. Parisiis 1653. 8. 3. Vol.

Cum selectis *Variorum* commentariis, curante *Simone Abbesio Gebbema*. Trajecti 1659. 8. subjunctis Elegiis quæ Cornelio Gallo tribuuntur.

In usum Delphini, opera *Philippi Sylvii*, Paris. 1685. 4. In qua editione Sylvius exiguum operæ pretium fecit, unde passim exagitatur ab acutissimo Broukhusio ad Propertium. Vide etiam sis illustrem Ez. Spanhemium ad Callimachum p. 424. & Nic. Dispontini præfationem exquisitis ad Phædrum collectaneis præmissam. In hac editione, ut in aliis ad Delphini usum editis scriptoribus omnibus, obscœna & lasciva ad calcem rejecta sunt, consilio non improbando, nisi hac ratione plures etiam ad ea legenda allicerentur, quorum forte oculos eadem Scriptoris corpori suo loco inserta citius latuissent. Nam πλεῖστοι κακοί, πλεῖστοι ἀργοί, pauci solidam eruditionem consectati integros legunt auctores: multi contra qui eos obiter evolvunt, missis utilibus, instar κανθάρων

k 2 irruunt

irruunt εἰς τὴν κοιλίαν, cujus gustu tenentur, quamque gaudent & gratulantur sibi ab editoribus congestam veluti in cumulum. Angli quidem quoties editiones in usum Delphini curarunt recudi, loca illa suis quæque locis restituerunt, etsi vicissim indices omnium vocabulorum minus plenos passim ab illis exhiberi dolet Tho. Crenius V.C. part.III. animadvers. p.6.

Cum notis integris Scaligeri, Mureti, Achillis Statii, Rob. Titii, Hieron. Avantii, Jani Dousæ patris & filii, Theodorique Marcilii, & selectis *Passeratii aliorumque* notis, ex recensione *Jo. Georgii Grævii*. Trajecti ad Rhenum. 1680. 8.

VII. *Catullus seorsim editus* cum *A. Mureti* notis apud Aldum Pauli F. 8. 1558. non adeo emendatè, ut notavit Tho. Crenius parte X. animadvers. p.61. Secuti deinde separatis voluminibus Tibullus & Propertius.

Cum Commentario *Achillis Statii* Lusitani, Ven. 1566. 8.

Cum eruditissimo *Is. Vossii* commentario Londini 1684. 4. quæ editio reliquis quidem hactenus præstat. Usus Vossius est præter alios Codices omnium vetustissimo Mediolanensi, quem laudat passim, & reliquis uti antiquiorem ita emendatiorem quoque esse prædicat p.215. Utinam vero politissimi vir ingenii cui nuper Propertium debere cœpimus ac mox debebimus Tibullum, similiter etiam Catullum ingenio atque doctrina sua illustrandum sibi sumat, ita enim nihil erit amplius, quod ad venustissimi Poetę lucem studiosi poterunt desiderare.

Codicem Catulli, Tibulli & Propertii, sylvarumque Statii ab Antonio Sinibaldo Florentiæ an. 1484. descriptum Neapoli in Bibliotheca Olivetanorum, vidit Bernhardus de Montfaucon, ut refert ipse in Diario Italico. p. 305.

VIII.

VIII. *Rob.Titii* prælectiones ad Catulli Galliambum sive Carmen LXIV. Bononiæ 1599. 4. cum aliis quibusdam ejus viri scriptis prodierunt, & in Grævii editione Catulli leguntur, atque in Parisina an. 1604. fol.p.216.

Catulli Epithalamium Græca Metaphrasi poetica donatum à *Q. Septimio Florente Christiano*. Paris. 1587. 4. apud Morell. & in editione Parisiensi Catulli, Tibulli, & Propertii, an. 1604. fol. 197. seq.

Catulli Phaselus cum annotationibus doctorum virorum per *Sixtum Octavianum*. Eboraci 1579. 8. & Lugd. 1593. 12. Idem Catulli carmen cum Andreæ Senftlebii commentario & parodiis amplius quinquaginta, & Græca Josephi Scaligeri Metaphrasi, e Bibliotheca Nicolai Henelii. Lipsiæ 1642. 8.

Amores Catulli ex poematis ipsius petito argumento Gallica prosa ingeniose descripsit, conjecturisque suis explicuit *Joannes Capellanus* Paris. 1680. & Amst. 1699. 12. duobus voluminibus, atque inter ejus opera Paris. 1700. 12. Gallum secutus Germanus & in libro cui titulus: *Joachim. Meyers* uon Perlenberg Durchlauchtigste Romerin Lesbia &c. Lipf. 1690. 8.

IX. Præter rem omnino *Cirin* Catullo tribuit Eglinus, ut dicam infra in Virgilio, quem Catulli non raro imitatorem probat Leonhardus Friso l. 3. de poemate. Neque verius alii *Carmen de Vere*, sive *Pervigilium Veneris* ad Catullum tanquam auctorem retulerunt, quorum sententiam confutat Lipsius libro I. Electorum cap. V.

X. *Dubitandum vero minime est, opus Catulli ad nos lacerum pervenisse. Longe enim plura scripsisse testes sunt veteres Grammatici, qui de ejus poematiis ea producunt, quæ hodie non exstant. Itaque apud Virgilium lib. V.* per mille coloribus arcum, *ibi Servius:* De Iride arcum in genere masculino dixit Virgilius. Catullus & alii in femini-

k 3 no,

no, referentes ad originem. *Atqui tale nihil hodie in Catullianis. Praeterea ejus opus videtur in genera carminum distinctum fuisse*, Hendecasyllabos, Heroica, Lyrica, Elegiaca. *Itaque Charisius citat Catullum* in Hendecasyllabis, *quod sane non fecisset, nisi ita distributum fuisset volumen. Rursus apud Virgilium legimus*. Et quo te carmine dicam Retica? -- *ibi Servius refert, Virgilium cum sciret Reticum vinum summopere laudari à Catone, contra autem vituperari à Catullo, ne se in eam dissensionem interponeret, hoc modo locutum. Atqui in hodiernis Catullianis nulla nota ejus rei exstat. Denique Nonius ex Priapeo Catulli adducit*: de meo ligurire libido est. *Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos pervenisse minimè dubium. Quid praeterea dicam, quae citat ex Catullo Maurus Terentianus, quae nusquam comparent?* Hæc de carminibus Catulli perditis Josephus Scaliger, quibus inepte quidam *Phasma & Laureolum* è Juvenale ac Tertulliano adjungunt. Vide Sam. Petitum ad Leges Atticas p. 285 seq. & Pamelium ad Tertullianum. C. XIV. contra Valentinianos.

Ex eadem l. 1. cap. XIV. p. 251.

De Tibullo. 6. Ejus editiones. 7. De Propertio. 8. Ejus editiones. 9. infra p. 256.

VI. ALBIUS TIBULLUS (*) Eques Romanus miræ suavitatis tersæque elegantiæ Poeta, qui triginta minimum annis

(*) Huic inscripsit Horatius libri I. Odam 33. & libri I. Epist. 4. De ætate Tibulli consulendus Janus Dousa in schediasmate succidaneo ad Tibullum, quod suæ editioni subjunxit Clariss. Broukhusius.

annis Ovidio anteceſſit, non multo poſt Virgilium tempore ereptus è vivis.

Exſtant ejus *Elegiarum libri IV.* In quibus *Panegyricus ad Meſſalam*, qui eſt in limine libri ultimi, Heroico carmine decurrit. Librum quartum excepto jam dicto in Meſſalam Panegyrico Barthius LIX. 16. ſuſpicatur eſſe non Tibulli, ſed *Sulpiciæ* ejuſque mariti *Caleni*. Sulpiciæ etiam tribuit doctiſſimus Broukhuſius. (QUAM TAMEN OPINIONEM FALSAM ESSE DOCEO EGO JO. ANTONIUS VULPIUS AD CARM. II. LIB. IV. TIBULLI.)

Amores Deliæ ſuæ (ſive Planiæ libertinæ) vel Nemeſis, vel Neæræ denique ubique ſpirat hic poeta, unde Antonius Poſſevinus ad ejus lectionem acceſſurus, flexis genibus orabat Deum, ne ſuavitate verſuum ipſius ad libidinem moveretur, ut refert Menagius in Anti-Bailleto T. 2. p. 333.

Chariſius e Tibullo duobus locis affert hemiſtichion: *implicuitque femur femini*, quod in elegiis quas habemus non legitur, etſi ſimile quid lib. 1. IX. 26. occurrit. Forte exſtitit in Epiſtolis ejus brevibus amatoriis, quas auctor vitæ ejus commemorat.

VII. Sæpiſſime Tibullus una cum Catullo ac Propertio editus & à variis hominibus eruditis illuſtratus eſt, uti ſupra cap. V. dixi, neque habeo in præſenti, quas editionibus ibidem laudatis adiungam, præter uſurpatas noviſſimo editori principem editionem Venetam 1475. & alteram quæ Regii Lepidi prodiit 1481. tertiamque Brixienſem 1481. Denique hanc ipſam perquam emendatam nitidamque, quæ noviſſime lucem vidit cum commentario *Jani Broukhuſii* paulò poſt defuncti, Poetæ non minus quam Critici & interpretis poetarum feliciſſimi, Amſtelod. apud H. Wetſten. 1707. 4. ex pluribus

bus

bus Cod. M.S. castigata, additis, præter variar. lect. libellum, notis Nic. Heinsii & indice omnium vocabulorum.

VIII. SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS (a) Umber, non minorem laudem scriptis elegis apud Latinos consecutus, quam apud Græcos Callimachus, Cousque Philetas, quos æmulatum esse se ipse prædicat; uti Propertium à quo genus ducebat Passienus Paulus, cujus elegos (sed pridem deperditos) opus tersum, molle, jucundum, & plane in Propertii domo scriptum laudat Plinius lib. 9. Epist. 22. ad Severum. Floruit post Tibullum eodem quo Ovidius tempore, ante Ovidium sodalem suum defunctus, ut hic testatur lib. IV. Tristium Eleg. 9.

Successor fuit hic (Tibullus) *tibi, Galle: Propertius illi.*
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Exstant Propertii quoque *libri* (b) *quatuor Elegiarum*, lascivi passim, quibus (c) cœlebs ipse Cynthiæ sive Hostiæ nu-

(a) In M. S. Beroaldus & post eum alii offenderunt Propertii nomini additum alterum cognomen *Nauta*, pro quo *Nacta* malit Lipsius lib. III. Var. Lect. cap. 23. Sed uti Martialis *coquus*, Plautus *Asinius* quibusdam librariis audit (vide Barthii lib. VI. c. 1. Advers.) ita etiam Propertius *nauta* dictus est ex male lecto versu 24. Elegiæ 19. libri II. *quamvis navita dives eras*, pro quo Scaliger & ante eum Beroaldus, & apud Alex. ab Alexand. lib. 2. dierum genial. c. 1. Sannazarius docuere legendum *non ita dives eras*. Umbrum se testatur ipse Propertius IV. 1. 64. *Umbria Romani patria Callimachi.* Fallitur enim Blondus, qui de alio quodam loqui Propertium existimavit. At num Mevania, an vero Asisium vel Ameria Propertium protulerit, vide Scalig. ad IV. 1. Thaddæi Donnolæ J. C. Hispellatis divinationem editam Fulginiæ 1629. 4. Rufini Bini Assisiatis dissertatio qua Propertium Assisiatem fuisse adversus Mevanates disputavit, memoratur à Labbeo Bibl. nov. M. S. p. 63.

(b) Apud Martialem in Apophoretis Epig. 189. Codd. M. S. exhibent tituli loco *Propertii Monobiblon*, quem libro 1. Scaliger, Lipsius lib. 1. c. 16. Var. lect. contendit competere lib. 4. ut de tribus prioribus accipiatur hoc Propertii II. 10. 25. *Sat sit magna mei si tres sint pompa libelli, Quos ego Persephonæ maxima dona feram.*

(c) Vide Broukhusium ad II. 6.

nuptæ blanditur, cęterum Tibullianis non concedentes lepore & elegantia eruditione vero illos etiam antevertentes. Loca quæ è Propertio affert Fulgentius *in dividias, dividias mentis conficit omnis amor* & in *cantillare, cantillata geris vadimonia*, in libris quos habemus incassum quæres.

IX. Jovianus Pontanus apud Alexandrum de Alexandro lib. 2. Genial. dierum c. 2. refert Propertii elegias se adolescentulo primum in lucem prodiisse, cum antea inscitia temporum incompertæ forent, & incognitæ, opusq; oblitteratum, & longissimo ævo absumptum corrosis & labentibus litteris in cella vinaria sub doliis inventum apparuisse, & cum libelli vetustate verbis & nominibus absumptis longo situ & senio, quòd in diuturna obscuritate latuerat, veram lectionem assequi nequirent, effectum ut mendosi inde codices prodirent, paulatimque discuti errores & corrigi cęptos, nec tamen effici quisse ut posteris omnino integri inoffensique darentur. Editus fuit Propertius primum An 1474. deinde Venetiis An. 1475. quam editionem nihilo inferiorem M. S. laudat Broukhusius. Inde Regii Lepidi An. 1481. quam pro principe editione perperam habebat Vossius pater in Aristarcho. Tum ab Antonio Volsco sed conjecturis suis nimium passim tribuente anno 1488. Evolvi quoq; eximiam Propertii editionem vulgatam Parisiis 1499. 4. apud Mich. Tolosam. Alias editiones in Catullo supra videbis ac Tibullo, quibus Propertium jungi solere etiam pueris est notissimum. Itaque hoc loco tantum addam eum separatim exstare excusum è recognitione *Guil. Canteri* in officina Plantiniana an. 1591. & luculentis commentariis illustratum *à Joanne Passeratio* Paris. 1668. fol. Novam vero eximiam hujus Poetæ editionem e M. S. emendatam diligenter, & animadversionibus

eru-

eruditis atque ingeniosis illustratam publico nuper dedit, qui omnes ejus Veneres imbibit elegantissimus *Janus Broukhusius* Amstel. 1702. 4. ex officina Henr. wetstenii, subjuncto indice omnium vocabulorum. Nic. Heinsii notæ in Propertium quæ vulgandæ promittuntur p. 162. nondum lucem viderunt.





NOI

NOI

REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del *P. Fr. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquisitore*, nel Libro intitolato : *C. Valerius Catullus*, *Albius Tibullus E. R. Sextus Aurelius Propertius ex recensione Jo. Antonii Vulpii Bergomensis J. U. D.* non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Gioſeppe Corona* Sampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 16. *Genaro* 1709.

(Carlo Ruzini Cav. Proc. Ref.
(
(Alviſe Piſani Cav. Ref.



